PAULLI ROSARII FARRUGIA

IN

VENERANDO MELITENSI SEMINARIO

PHILOSOPHIAE, AC SACRARUM SCRIPTURARUM PROFESSORIS

DE

GENUINITATE ET AUTHENTIA

PENTATEUCHI

DISPUTATIO.

Εἰ γὰρ ἐπιστεύετε Μωσῇ, ἐπιστεύετε ἄν ἐμοὶ· περὶ γὰρ ἐμοῦ ἐκεινος ἔγραψεν. Εἰ δὲ τοῖς ἐκείνου γράμμασιν οὐ πιστεύετε, πῶς τοῖς ἐμοις ῥήμασι πιστεύσετε; *Joh. c.* V. *v.* 46-47.

MELITAE

Episcopi Permissu.

EXCUDEBAT F. CUMBO

AN. DNI. MDCCCLXIV.

Nihil obstat, quominus imprimatur.
Melitae die 25 Junii an. 1864,
SALV. CAN. CUMBO *Censor Theol.*

CAIETANO : PACE : FORNO

ARCHIEPISCOPO . RHODI . EPISCOPO . MELITAE

RELIGIONIS . VINDICI

SCIENTIARUM . CULTORI . ET . FAUTORI . EXIMIO

PATRI . AMANTISSIMO

PAULLUS . ROSARIUS . FARRUGIA

OPELLAM . HANC

LICET . EIUS . MERITIS . ET . LAUDIBUS . IMPAREM

GRATI . TAMEN . ANIMI . IN . SIGNUM

HUMILLUME . OFFERT . DEDICAT

PAULLUS ROSARIUS FARRUGIA

AUDITORIBUS SUIS.

TAM perspicua, tamque sibi concors, juvenes dulcissimi, omnium propemodum videtur mens ac sententia, nullum scilicet inter ecclesiasticas disciplinas, quam sacrarum scripturarum studium reperiri facile posse, quod se magis opportunitate, ac vero etiam necessitate commendet, ut ne ullum quidem dubium hac de re suboriri posse firmissime credam. Illius enim opportunitatem, necessitatemque efferunt catholici, neque remissiori cura efferunt, atque extollunt, qui a romano-catholicis fide, studiisque sejuncti sunt, quique protestantium nomine veniunt: hi enim in hoc studio totam fidem quaerunt, quam deinde ad salutem profitentur. Hoc studio etiam tamquam nutricis lacte sese enutrire ac educare voluerunt, quotquot doctrina et sanctitate ecclesiam catholicam illustrarunt, ita ut Hieronymus hanc necessitatem se-

quenti inculcaret argumento [1]: "Si juxta Apostolum Paulum Christus Dei virtus est, Deique Sapientia: et qui nescit Scripturas, nescit Dei virtutem ejusque Sapientiam: ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est."

Antequam vero omnem operam in iis addiscendis collocemus, perspectam habeamus oportet librorum dignitatem, ut non modo sciamus quantam rem tractemus, verum etiam eamdem ab improborum obtrectationibus tueri queamus. Haec est enim omnium divinarum rerum conditio, ut primum res ipsas exsistere certa ratione confirmetur; deinde ostendatur, quid ad nostram institutionem et vitae actionem eae conferant. Huc nos adducit praesertim ipsa hominum perversitas, et corruptela, qui vesano in res sacras furore correpti, ac nova sophismata sophismatibus accumulantes, libros sacros, ceu fabulas ad homines fallendos excogitatas, per universum orbem traducere moliti sunt. Hoc agebantur furore primis ecclesiae saeculis Celsus, Porphyrius Hierocles, Julianus, aliique philosophi gentiles; hoc etiam luctuosa hac nostra aetate aguntur, quotquot gloriosum philosophorum nomen immerito usurpantes, captiosa veterum philosophorum paganorum argumenta incredibili audacia instaurare enituntur. Hos inter eminet J. W. Colenso munere episcopali apud protestantes insignitus, qui ubi in

(1) Hieron. prologom. in Is. Proph.

nonnullas difficultates quae in Pentateucho occurrunt, quaeque ex obvia textus hebraici intelligentia pendent, incidit, ipsius Pentateuchi genuinitatem, authentiamque sese infi- ciari posse sibi blanditus.

Quae quum ita se habeant, nemo vestrum, juvenes humanissimi, mihi succensebit profecto, nemo laevo lumine hanc inspiciet opellam, vel ideo, quod, prouti fert nostrae disciplinae ratio, Pentateuchi antiquitatem, dignitatemque contra Colensiana commenta heic asserere decrevi. In hac enim disputatione edenda, ea mente, eoque ductus fui consilio, ut veritatis puritati, quam, licet summo adhibito studio, non est assecutus Colenso, ex una parte, utque commodo vestro ex altera vel tenuiter consulerem.

Jam vero antequam operi manus admoveam, adhuc mihi paululum heic commorandum, ut nonnulla de Colenso vita, doctrina, habitu, aliisque id generis [2] suis ex scriptis excerpta proferam quibus facilius, rectiusque de suo opere judicium proferre possitis. Et sane J. W. Colenso in secta protestantium enutritus, emenso studiorum curriculo in universitate Cantuariensi, primo curae animarum quodam in pago praepositus, ibique quosdam sermones in lucem, inque medium protulit plus minusve rationalismi labe infectos. Dein munere ac dignitate episcopali auctus anno 1854.

---

(2) Colenso 1 par. in praef. The Pentat. and Book of Joshua critic. exam.

suam dioecesim petiit, coloniam Natal dictam, et septentrionem inter et orientem capitis Bonae-spei nuncupati sitam, ibique in Cafris nomine Zulu ad Christianam religionem convertend's per octo annorum spatium sedulam collocavit operam. Nam ubi illuc appulit, in linguae illius regionis studio assiduam diligentemque operam collocavit, qua in addiscenda adeo profecit, ut grammaticam, ac lexicon in lucem edere posset. Sacrarum scripturarum in hanc linguam versionem pari facilitate aggressus, ut facilius eam transferret, quemdam juvenem patriam linguam callentem sibi adscivit, ex cujus docilitate insuper et ingenii acumine magnum sibi adjumentum futurum sperabat. At incredibile dictu! Qui adhuc erat in disciplina christiana a Colenso instituendus, quique vix a limine quidem sacram scripturam veneratus, tot tantasque in Mosis scripta edidit difficultates, ut Episcopus ipse prius anceps haeserit, dein, relictis protestantium placitis, de Rationalistarum more ea repudiarit. Cujus tam sinistri exitus duas praesertim caussas affert Adversarius: quarum alteram praestitit diluvium Noeticum: perinde ac si vel ideo quod nonnulla heic narrata divinum interventum subaudiunt, contra totius antiquitatis sensum, imo spreta diserta ipsius[3] Christi testificatione, posset tota narratio tamquam falsa traduci. Alteram pariter praestitit divinum

3) Math. c. xxiv. v. 37-39.

illud praeceptum: "[4] Qui percusserit servum suum vel ancillam virga, et mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. Sin autem uno die vel duobus supervixerit, non subjacebit poenae, quia pecunia illius est:" prorsus enim Deo indignum et ipse Cafer persensit, vocari hominem, ac coaequari pecuniae, ita ut posset de eo dominus pro lubito disponere. At minime advertit et ipse Colenso divinitatis doctor, heic Moysen totum in eo esse, ut certam judicibus praescribat normam ad homicidium voluntarium dominorum ab involontario distinguendum; ubi enim mors fuerit immediate subsecuta, non injuria praesumeretur dominus in servum animadvertens eam positive intendisse; ubi vero aliter res se haberet, vel ideo dominus impunitus evaderet, quia nemo, nisi aliunde constet, recte praesumitur, sese voluisse re sua, cujusmodi est pecunia, spoliare. Colenso vero hisce difficultatibus oppressus ad severiorem Pentateuchi investigationem sese contulit; at miserabili fato, prouti male exorsus, sic pessime finem fecit: nam hisce superioribus annis quatuor edidit libros, in quibus disseminatis huc illuc rationalismi principiis, ac in medium prolatis, quae sibi majoris momenti visae sunt, difficultatibus, tandem concludit Pentateuchum longe esse Moysi aetati posteriorem, imo plura in illo occurrere veracitate historica destituta.

4) Ex c. xxi. v. 20-21.

Quum haec sint in causa,nos cum Divo Augustino ea, quae reprehendit Conlenso, "[5] Statuimus defendere, quantum vires Dominus praestare dignatur, et in eis ostendere contra veritatem Dei nihil valere hominum caecitatem." Hanc ergo opellam vobis habetote, juvenes dulcissimi, tres in partes seu libros divisam: quorum in primo adversarii principia: in secundo vero ipsius argumenta: in tertio tandem conclusiones, ad quas devenit, critico subjicientur examini. Utinam bene ac feliciter meus hic labor vertat! Valete.

(5) August. de Genes. cont. manich. c. iv. §. 7.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Colensi principia plus minusve rationalismi labe infecta recensentur:—Ac illud in primis recensetur, quo contendit quaedam esse in Pentateucho ex divino afflatu, quaedam vero ex scriptoris ingenio consignata :—Hujusmodi distinctio a Valentino ejusque sectatoribus prolata esse ostenditur:—Falsitas hujus doctrinae variis rationum momentis retegitur.

1. Plane compertum ex historia litteraria, innumeros quovis tempore scripturas legisse: illas enim legerunt orthodoxi, legerunt haeretici, legerunt schismatici, legerunt judaei, legerunt gentiles, ac ii etiam legerunt qui religionem quamcumque revelatam aspernabantur: sed non omnes, quemadmodum par erat, intellexisse; imo ipsorum plerisque lapidem et petram scandali illas fuisse. Tales enim illas experti sunt haeretici, schismatici, Judaei, gentiles, et quotquot exstiterunt cujuscumque revelatae religionis osores, ita ut [1] Celsus omnium nomine confidentissime affirmarit, nihil sibi in christianorum bibliis occurrisse, quod non item, ac multo etiam plenius in philosophorum scriptis haud compererit.

(1) Orig. in sexto contra Cels. lib. n. 1.

2. Verum nulla alia tam sinistri exitus caussa, atque origo assignari potest quam, quod hi omnes, seposito aut in toto, aut in parte ecclesiae magisterio, ejusque authentica praedicatione neglecta, illotis omnino manibus scripturas tractarent, atque in illis eam fidem quaererent, quam deinde ad salutem profiterentur. Quod Augustinus relatis verbis: "[2] Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt a ventre, locuti sunt falsa:" praeclarissime significavit inquiens: „ "Ideo ergo erraverunt a ventre, quia locuti sunt falsa? An potius ideo locuti sunt falsa, quia erraverunt a ventre? In ventre quippe ecclesiae veritas manet. Quisquis ab hoc ventre ecclesiae separatus fuerit, necesse est falsa loquatur: necesse est, inquam, falsa loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excussit."

Nec aliter res se habere potest: hi enim omnes unicae subjectivae persuasioni innixi, quae pro uniuscujusque affectione in varia, sibique contraria necessario fertur, ancipites circa scripturarum canonem, earumdemque integritatem, sensumque dogmaticum haereant oportet.

3. Hoc modo sese gesserunt[3] veteres haeretici, qui pro sua lubidine e librorum sacrorum censu illos expunxerunt libros, quos cerebrosis suis commentis adversari posse deprehendebant. Hoc etiam sese gerunt protestantes, qui numquam sibi constituunt in numero librorum canonicorum definiendo; imo novis Bibliorum studiis excitatis, ac rationalismo in dies percrebescente, etiam libros, quos protocanonicos habent, vel aliquam horum partem ex scripturae censu expungere entuntur.

4. Et sane: hac ipsa nostra aetate Colenso haec de Penta-

---

(2) August enar. in Ps. LVII 4.

(3) Apud Tertul. de praescr. c. xxii, aliisque.

teucho, quem omnes protocanonicis adnumerant, habet: "[4] Pentateuchus, tamquam totus inspectus, nullo modo a Moyse, vel quocumque alio, qui propria experientia res narratas acceperat, fuit conscriptus: itemque narratio mosaica, uti communiter eam vocant, a quovis conscripta, licet plura, uti toto corde credo, de Deo, deque ejus voluntate nobis adaperiat; tamen nullo pacto pro historice vera habenda." Haec eadem alibi repetens profitetur, [5] nullam reperire difficultatem in miraculis, Deique revelationibus Pentateucho consignatis tota mentis adhaesione credendis; sed prorsus illi esse impossibile, narrationibus, quae absurditatibus undique scatent, opertis assentire oculis.

Partem igitur historicam Adversarius noster, utpote quae humani ingenii imbecillitatis praeseferat notam, repudiat; partem vero Pentateuchi, quae non immerito doctrinalis audit, divino afflatu conscriptam suscipit ac veneratur. Quam distinctionem vel adeo tuetur, ut illas Christi in[6] Novo Testamento de Pentateuchi genuinitate testificationes non ad

(4) Colenso oper. cit. introd. pag. 8. "The pentateuch, as a whole, cannot possibly have been written by Moses, or by any personally acquainted with the facts which it professes to describe: and further, that the (so called) mosaic narrative by whomsoever written, and though imparting to us, as I fully believe it does, revelations of the Divine will and character, cannot be regarded as historically true."

(5) Oper. cit. Introd. pag. X. n. 10. "I wish to repeat here most distinctly that my reason for no longer receiving the Pentateuch as historically true is not that I find insuperable difficulties with regard to the miracles, or supernatural revelations of Almighty God recorded in it: but solely that I cannot, as a true man, consent any longer to shut my eyes to the absolute palpable self contradictions of the narrative."

(6) Joh. c. vi. v. 46-47.—Luc. c. xx. v. 37 et c. xvi. v. 29

totum Pentateuchum duxerit [7] extendendas, sed ad loca illa partialia coarctandas.

5. Jam vero hujusmodi in libros sacrae scripturae distinctio haud fuit proprio marte ab adversario invecta; sed ex vetustissimorum haereticorum scriptis excerpta. Primis enim Ecclesiae saeculis Valentinus gnosticorum facile princeps apud Tertullianum: " [8] Quaedam legis, et Prophetarum probabat, quaedam improbabat." Hunc secuti sunt Marcionitae, de quibus idem Tertullianus scribit: " [9] Ista haeresis non recipit quasdam Scripturas, et si quas recipit, non recipit integras; adjectionibus et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit." Eamdem distinctionem saeculis insequentibus instaurarunt [10] Erasmus, Episcopius, Grotius, Clericus, et hac nostra aetate instaurat Colenso, negantes divinam inspirationem ad historias protendi, ac proinde illas tamquam falsas quandoque traducentes.

At hi omnes propria sapientia obcaecati haud adverterunt, quod jam de Valentini doctrina [11] Tertullianus animadverterat, universae scripturae summam cladem hoc ipso moliri: ac proinde non injuria inter profanos religionis illusores, prouti ac [12] ille, recenseri, eorumque commenta inter fabulas amandari.

6. Et sane: distinctio illa, quam commentus est Colenso in Pentateuchum, partem historicam inter, quam reprobat,

(7) Such words, ait ille oper.cit. praef. pag.XXX, as the above if understood in their most literal sense, can only be supposed, at all events to apply to certain parts of the Pentateuch.

(8) Tertul. de praescr. c. XLIX.

(9) Tertul. loc. cit. c. XXII.

(10) Patrit. de script. div. comm. c. VI.

(11) Tertul. de praesces. c. XLIX.

(12) Tertul. loc. cit.

et doctrinalem, quam toto corde veneratur, totius Pentateuchi partibus fidem derogat.

Illam derogat 1. quia tam intimis compagibus, arctaque necessitudine Dei revelationes, miracula, et facta historica in Pentateucho relata inter se colligantur, ut factu omnino sit impossibile distingui discernique, quid ex Deo, quid ex homine provenit; quid auctor ex revelatione divina, quid contra ex spiritu humano, et ingenio proferat. Quocirca passim fluctuaret et legentium et audientium fides, dum ignoraret, quonam spiritu, hominis an Dei, illa, quam prae oculis habet, Pentateuchi pars fuerit conscripta. Et re quidem vera: Moyses anno peregrinationis quadragesimo [13]narrat, se ea omnia, quae praeceperat illi Dominus, coram universo populo promulgasse: quae inter praecipuum obtinent locum illae Dei revelationes, illaque miracula, quibus populum prae ceteris sibi acceptum dignatus est tueri. At [14] Colenso futili innixus motivo hanc promulgationem aggreditur, illamque tamquam falsam, imo tamquam impossibilem traducit. Hinc nescio qua contendere possit, se tota mentis adhaesione Dei revelationes, Deique miracula in Pentateucho relata suscipere, ac venerari.

Illam derogat 2. quia homines ita a natura sunt comparati, ut, quem semel mendacem, vel falsa loquentem experti sunt, etiam dum vera dicit fidem habere detractent. Quem habitum sequentibus effert Aristoteles." [15]Mendax hoc lucratur, ut cum vera dixerit, ei non credatur:" et Cicero: [16] "Ubi quis semel pejerarit, ei credi postea, etiamsi per plures

(13) Deut. cap. 1. §. 3. et seq.
(14) Colenso op. cit. c. V. v. 39-42.
(15) Arist apud Diogen. lib. V.
(16) Cic pro C. Rab.

Deos juret, non convenit." Ubi igitur aliquid falsi in Pentateuchi narrationibus deprehenderemus, non injuria totus Pentateuchus in falsi suspicionem vocaretur.

Illam derogat 3. quia posita Dei revelatione homo obstringitur, et quidem obligatione morali, scilicet ethica, assensum eidem praestare ratum, certum ac plenum, prouti exigit summa actoritas Dei revelantis ; at ita a natura sumus comparati, ut assensum nostrum accommodare nequeamus veritatibus, quae non sint evidentes evidentia saltem externa, quae refunditur in evidentiam signorum. Ubi igitur signa, quae veritates vevelatas comitantur, nullam evidentiam, imo falsitates, absurditatesque praeseferant, nullum assensum, vel saltem incertum ac dubium iisdem praestare jubemur.

Illam derogat tandem 4. quia omnem divinam assistentiam e Scripturis eliminat. "Deus enim [17] lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae: " insuper nulla lucis cum tenebris consociatio fingi potest, dicente Apostolo: [18] "Quae societas luci ad tenebras ? " Deus igitur cum mendacio, cum absurditatibus, cum ignorantiae tenebris revelationem suam haud consociare potest. Si igitur aliquid absurdi, aut humanae imbecillitatis signum sacris in scripturis deprehendi posset: hoc ipso tota scripturarum dignitas prorsus dilabatur, oportet.

7. Hinc factum est, ut Christus, Apostoli, omnesque scriptores sive Judaei, sive Christiani toti in eo essent, ut summam conciliarent universae scripturae auctoritatem, nihilque prorsus intentatum relinquerent, quo omnem ignorantiae, aut falsitatis speciem ex ipsa removerent.

(17) 1 Joh. c. 1. v. 5. (18) 2 Cor. cap. vi. v. 14.

Hac mente, atque hoc consilio 1. Christus, quam auctoritatem ejus verba promerentur, eam literis Moysis, sine ulla exceptione, adtribuit, inquiens: "[19] crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis"? Et Paulus de libris Veteris Testamenti agens ad Timotheum allocutus: "[20] Ab infantia sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem, per fidem, quae est in Christo Jesu: πασα γραφη θεοπνευστος seu[21] expressis, quae desunt, πασα ἡ γραφη ἐστι θεοπνευστος, και ὠφελιμος προς διδασκαλια προς ἐλεγχον, προς ἐπανορθωσιν, προς παιδειαν την ἐν δικαιοσυνη, ἱνα ἀρτιος ᾐ ὁ του θεου ἀνθρωπος, προς παν ἐργον ἀγαθον ἐξηρτισμενος: tota scriptura est divinitus inspirata, et utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus". Nulla igitur scripturae pars inveniri potest, quae inspiratione caret; ac proinde nullam ejus partem ni Spiritui Sancto injurii esse velimus, rejicere possumus.

Hac mente atque hoc consilio 2. Josephus doctissimus penes Judaeos scriptor summam libris in canone Esdrino relatis auctoritatem, ac fidem conciliare enititur. Ait enim: "[22] Infiniti libri non sunt apud nos discordantes, et sibimet repugnantes, sed solummodo viginti duo habentes temporis totius descriptionem, quorum juste fides admittitur. Horum quinque sunt Moseos, qui nativitates continent, et humanae generationis traditionem usque ad ejus mortem ec."

(19) Joh. c. v. v 46-47.

(20) 2 Timot. c. iii. v. 15-17.

(21) Patrit. de scrip. comment. §. v.

(22) Josep. Flav. lib. i. contra Ap. §. 8.

Hac mente atque hoc consilio 3. Patres scripturam et praesertim libros Moysis paganorum philosophorum et poetarum scriptis opponebant, gentilesque ab his, quae fabellis referta, ad divinas historias revocabant. Sic Justinus Martyr graecos hortabatur: "[23] Igitur cum veri nihil ex magistris vestris de religione disci possit, ut qui vobis idonea suae rerum ignorationis documenta mutuis dissensionibus praebuerint: sequi mihi videtur, ut ad majores nostros recurramus, qui et multo antiquiores vestris fuere, nec quidquam proprio marte excogitatum nos docuerunt: nec inter se digladiati, aut suas invicem opiniones evertere conati sunt, sed sine ullo contentionis et partium studio scientiam a Deo acceperunt, eamque nos docuerunt." Et alibi: "[24] Undequaque igitur facile cognoscitur multo omnibus externis historiis antiquiorem esse Moysis historiam, quam divino afflatu litteris hebraeorum commendavit." Hinc concludit: "[25] Jam igitur tempus est, o Graeci, ut...divinas prophetarum legatis historias."

Hac mente etiam atque hoc consilio 4. autumarunt, Scriptores sacros velut passiva prorsus instrumenta extitisse in eorum scripturis conscribendis. Sic Athenagoras gentiles urgebat: [26] Nos autem eorum, quae perspicimus et credimus, testes habemus Prophetas, qui divino spiritu afflati de Deo ac rebus divinis pronuntiarunt. Atque id quidem ipsi quoque confirmabitis, qui prudentia et pietate in verum numen ceteros superatis, alienum esse a ratione, ut Dei spiritui, qui Prophetarum ora, tamquam instrumenta pulsavit,

(23) Just. cohor. ad Graec. n. viii.
(24) Just. loc. cit. n. xii.
(25) Just. loc. cit. n. xxxv.
(26) Athen. leg. pro Christ. n. vii.

credere supersedentes, animum ad humanas opiniones adjungamus."

Hac mente atque hoc consilio 5 tantopere progressi sunt, ut etiam verba divinitus esse inspirata autumarent. Sic Chrysostomus: "[27] Ne syllaba quidem praetereunda, nam omnia sunt a Spiritu Sancto:,, et Hieronymus: "[28] Non adeo me hebetis fuisse cordis, et tam crassae rusticitatis,... ut aliquid de dominicis verbis aut corrigendum putaverim, aut non divinitus inspiratum."

Hac mente atque hoc consilio 6. omnem nostram fidem, omnemque morum disciplinam a totali scripturarum ασφαλεια dependentem praedicarunt. "[29] Admisso semel, ait Augustinus, in tantum auctoritatis fastigium aliquo mendacio, nulla librorum illorum particula remanebit, quae non utcumque videbitur vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis :" et alibi: "[30] Titubabit fides nostra, si divinarum Scripturarum vacillet auctoritas." Qua in re consonant etiam [31] Basilius,[32] Chrysostomus, [33] Hieronimus aliique.

Hac mente atque hoc consilio tandem 7. propriam imperitiam potius quam vel unum mendacium scripturis inesse maluerunt asserere. Nomine omnium audiatur Augustinus: "[34] Illis libris... didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo errasse firmissime credam: ac si aliquid in eis offendero libris, quod videatur

---

(27) Chrys. in Genes. hom. xv. §. 1, hom. xxi. §. 1.
(28) Hieron. ad Marcel. ep. xxvii.
(29) August. ep. ad Hieron.
(30) August. lib. 1. de Docr. Christ. c. 37.
(31) Basil. hom. x. in Hex.
(32) Chrys, hom. 1 ad popul.
(33) Hier. in c. iii. epis. ad Ephes.
(34) Augus. epis. LXXXII.

contrarium veritati, nihil aliud, quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam. "

CAPUT II.

Secundum, quod in medium profert Colenso, principium impetit verum atque autenticum Christi magisterium:—In primis docet Christum,quoad Pentateuchum, Judaeorum praejudiciis indulsisse:—consonantia hujus doctrinae cum gnosticorum, aliorumque haereticorum placitis declaratur:—multiplex accommodationis genus apte secernitur:—cuinam Christum indulgere potuisse, quodve respuere debuisse ostenditur, idoneisque ad fidem faciendam argumentis haec omnia comprobantur.

8. Quum ea, quae praecedenti capite attulimus, argumenta per se satis sint, ut summam concilient Pentateuchi narrationibus fidem, utque funditus totam, quam Colenso molitus est, exceptionum molem evertant: quumque haec inter optimo jure, ut advertit[1] Bergier, maximam sibi vindicet auctoritatem Christi testificatio; hanc prae ceteris sibi aggrediendam duxit Colenso, illam infringens, omnemque, quae huic coelesti magisterio debetur, fidem resignandam contendens. Et sane: primo docet[2] Christum de Pentateucho agentem non ad veritatis normam esse locutum, sed eo tribuisse illi divinam auctoritatem, illumque allegasse

(1) Berg. Diz. Teolog. ad verb. Pent.

(2) Praef. pag. xxxi: "It may be said that, in making use of such expressions, (in pentateucho allegando,) our lord did but accommodate his words to the current popular language of the day.

tamquam genuinum Moysis opus, ut praejudiciis tunc temporis vigentibus indulgeret.

9. Verum hujusmodi commentum in hoc differt a Gnosticorum, aliorumque haereticorum, qui illorum errores sequuti sunt, placitis, quod hi in universum moralem Christi characterem; Adversarius vero in hac particulari doctrina adortus. Gnostici enim apud Irenaeum contendebant: "[3] se non solum presbyteris sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem: et non solum Apostolos, sed etiam ipsum Dominum modo quidem a demiurgo, modo autem a medietate, interdum autem a summitate sermonem fecisse: et se vero indubitate et intaminate, et sincere absconditum scire mysterium." Colenso horum vestigiis insistens contendit, Christum quoad Pentateuchi genuinitatem a demiurgo sermonem fecisse; ipsum vero indubitate, intaminate, et sincere asconditum hujus rei scire mysterium. At Irenaeus gnosticos, eorumque doctrinam optimo jure contemnens, eos [4] vanissimis sophistis adnumeravit: hinc eadem nota adversarium et nos cohonestemus, oportet.

10. Ne vero confidentiores quam deceat, non injuria videremur, adversarium nondum vel levissimis argumentis convictum damnando, ultro in medium, inque lucem argumenta proferemus. Quod ut perspicue et citra erroris periculum suscipiamus ac exsequamur, nil ducimus antiquius esse oportere, quam quadruplicem accommodationis rationem accurate secernere.

Itaque accommodatio, quae communiter definitur: [5] illa

(3) Iren. lib. 3. adv. Gnos. cap. ii. n. 2.
(4) Iren. lib. 3. adv. Gnos. cap. V. n. 1.
(5) Acker. arch. bib. cap. XII. §. 194.

agendi vel loquendi ratio ad alterius mores, captum, sententiamque inflexa ac temperata: alia est[6] hermeneutica, alia paedagogica, alia practica, alia denique dogmatica.

Accommodatio hermeneutica vocatur illa, qua voces, sententiaeque scripturarum ad aliud traducuntur, ac illud sit, quod Spiritus Sanctus significare ac exprimere voluit.

Accommodatio paedagogica consistit in docendi ratione ad illorum inflexa captum, qui erudiuntur: et haec trifariam dividitur, in accommodationem paedagogicam scilicet formalem, realem, et modalem. Quarum prima continetur ratione loquendi ad illorum exacta ingenium, qui excoluntur: secunda est illa, qua pro facultate audientium ea seliguntur, quae proponi, quaeque praeteriri silentio debeant: tertia demum ea argumenta, easque inductiones complectitur, quae ad creandam fidem, faciendamque persuasionem usurpari possunt.

Accommodatio practica illa est, qua quis intra honesti limites ita sese continet, ut non immerito aliorum imbecillitati indulgere videatur.

Postremo loco ea accommodatio venit, quae dogmatica audit, quaeque definitur illa accommodationis species, qua in auditorum gratiam, et ne iidem exacerbentur, vel necessariae veritates subtrahuntur, vel inoliti errores, pravaeque opiniones comprobantur.

11. Hisce positis, si adversarius noster ex tribus prioribus accommodationis speciebus unam Christo adtribuisset, et nos ipsos hac in re concordes invenisset. Ultro enim damus, Christum usum esse hermeneutica accommodatione sin minus ad rem edocendam, ad illam certe illuminandam: lucu-

(6) Conf. Pass. de Eccl. Ch. lib. 3. cap. XII. §. 132.

lenta enim hujus accommodationis exempla nobis[7] occurrunt in Novo Testamento.

Pariterque ultro damus, Christum triplici paedagogicae accommodationis specie usum: usus est enim accommodatione paedagogica formali: id enim innuit universa loquendi ratio infucata, simplex, et parabolica, quae in Christi sermonibus dominatur: usus est accommodatione paedagogica reali, ad quam spectant verba Christi: [8] "Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo:" usus est etiam accommodatione paedagogica modali, quando ad suam divinam missionem constabiliendam nonnulla in medium protulit penes Judaeos summo plausu recepta: cujusmodi est illud: "[9] In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est."

Tandem ultro damus Christum accommodatione practica usum esse: ea enim usus est, quando [10] circumcidi voluit: ea quando a Johanne [11] baptizari voluit: ea tandem quando [12] didrachma sicut ceteri Judaei solvit.

Omnis igitur contentio cum adversario ad accommodationem dogmaticam redit, videndum scilicet nobis est, utrum Christus in auditorum gratiam, et ne iidem exacerbentur, divinam auctoritatem, quae ex Adversarii sententia Pentateucho nullo modo competit, adtribuerit; nec ne. Qua de re statuimus ac vehementissime affirmamus, nulla dogmatica accommodatione Christum unquam usum esse; ac proinde pronti res se habebat, Pentateuchum tamquam genuinum Moseos opus allegasse. Nam ut Christo posset dogmatica

7) Conf. Patriz. lib. 1. de Interp. Scrip. cap. xviii. art. 2.
8) Joh. cap. xvi. v, 12.
9) Joh. cap. viii. v. 17.
10) Luc. ii. v. 21.

accommodatio adscribi, probandum esset eum confirmasse Judaeos in Judaismo, et ethnicos in ethnicismo. Porro Christum numquam ad accommodationem dogmaticam usque sese demisisse sequenti demonstratione ad mentem Divi [13] Irenaei exacta suademus.

12. Si Christus usus fuisset in hominibus instituendis accommodatione dogmatica debuisset, indulgere ex una parte Judaeorum traditionibus et doctrinis tunc temporis vigentibus; et erroribus ethnicorum ex altera. Atqui Christus acr.ter oppugnavit praeposteras doctr inas Judaeorum, et impios errores ethnicorum. Et re quidem vera in hypothesi a Colenso excogitata deberet etiam Christus 1. vanae Judaeorum [14] expectationi de Messia adhuc venturo favere, illamque suo testimonio cohonestare: 2. Messiae adventum tamquam [15] gloriosum, ejusque regnum splendidissimum praedicare: 3. necessariam adhuc esse [16] observantiam legalium, et nominatim [17] circumcisionis, quam adeo magni faciebant, ut ipsa tantum contenti viderentur: 4. promissiones a Deo factas [18] Abrahamo, [19] Isaaco, [20] Jacobo, et sequentibus temporibus de semine quodam eximio nasciturо non extendendas esse ad universas gentes, sed ad unam [21] Abrahami stirpem coarctandas: 5. in sua firmitate atque

(11) Math. cap. iii. v. 14-16.
(12) Math. cap. xvii. v. 23-26.
(13) Iren. adv. haer. lib. iii. cap. v. n. 3.
(14) Math. c. xxvi. v. 63, Joh. c. i. v. 19.
15) Luc. c. xxiv. v. 21.
(16) Math. c. xii. v. 2. Mar. c. ii. v. 24. c. iii. v. 2.
(17) Act. c. x. v. 45. c. xi. v. 2-3. c. xv. v. 1.
(18) Genes. c. xviii. v. 18. c. xxii. v. 18.
(19) Genes. xxvi. v. 4.
(20) Gen. c. xxviii. v. 14.
(21) Math, c. iii. v. 9,

splendore Templum Hierosolymitanum, sacerdotium, et sacrificium[22] perpetuo duraturum. Atqui doctrina Christi prorsus adversatur hisce praeconceptis opinionibus Judaeorum.

13. Prorsus adversatur 1. expectationi de Messia adhuc venturo: passim enim inculcat omnia Veteris Testamenti oracula in se ipso esse[23] completa: ac proinde se esse Messiam tamdiu expectatum. Prorsus adversatur 2. expectationi de regno Christi glorioso: palam enim profitebatur regnum suum non esse[24] cum observatione. Prorsus adversatur 3. necessitati legalium: solam enim circumcisionem cordis et[25] fidem in se ipsum tanquam necessariam praedicabat. Prorsus adversatur 4 limitationi a Judaeis invectae promissionum Patribus factarum: saepe enim inculcabat se esse[26] lapidem angularem ab illis reprobatum, qui facit utraque unum, uniens scilicet eos, qui longe, et eos qui prope, hoc est circumcisionem et praeputium, itemque ad beatas promissiones vocari non solum filios carnales Abrahami sed etiam multitudinem gentium, e quibus omnibus colligenda erat Ecclesia, ut unum[27] fieret ovile et unus Pastor. Prorsus tandem 5. adversatur praejudicio quoad templi, sacerdotii, ac sacrificii Aronici firmitatem: palam enim praedicabat illam advenisse[28] horam, in qua nec in monte Garizim, neque Hierosolymis sacrificia tantum Deo offerrentur;

22 Act. c. vi. v. 13-14
23 Math. c. xxvi. v. 54 Joh. c. v. v. 39. Luc. c. xxiv. v. 27-44
24 Luc, c. xvii v 20. c. xix. v. 11.
25 Joh. c. iii. v. 36. vi. 47. xvii. v. 3.
26 Math. c. xxi. v, 42-44. Mar. c. xii. v. 10, et Luc. xx. v. 17.
27 Math. c. viii. v. 11. Luc. xiii. v. 29-30.
28 Joh. c. iv. v. 21-24,

sed in qua veri adoratores in Spiritu et veritate adorarent Patrem, illique in omni loco mundam facerent oblationem. Hinc factum est, ut Judaei summo odio Christum prosequerentur, illumque tandem aliquando, tamquam in Mosen, inque sanctam religionem blasphemum in judicium raperent, conviciis jactarent, vinculis verberibusque mulctarent, et ad supplicium [29] agerent. Quin igitur dicatur Christus indulsisse falsis Judaeorum doctrinis, potius affirmandum, tanta constantia veritatem, quam in sinu Patris acceperat, enarrasse, ut odium Judaeorum incurrerit, potiusque mortem oppetere, quam veritatem deserere maluerit.

Quod autem Christus directa fronte erroribus ethnicorum adversatus sit, patet ex eo, quod ad omnem fere paginam librorum Novi Testamenti inculcatur [30] monotheismus, et vanitas [31] idolorum, quae gentes colebant; pariterque bellum indicitur acerrimum tum omnibus doctrinae [32] corruptelis, tum omnibus doctrinae veritatisque [33] corruptoribus. Fas igitur nobis est concludere numquam Christum dogmatica accommodatione usum; ac proinde, veritate exigente, Pentateuchum Moysi adtribuisse, divinamque auctoritatem illi contulisse.

14. Id ipsum ulterius ex absurdis, quae, posita semel concessaque dogmatica accommodatione, profluerent, comprobatur. Institutio enim christiana hoc tamtum pacto vigere potest, sibique constare, si nullo pacto in dubitationem adducatur 1. vel moralis Christi character: vel 2.

29 Math. c. xxvi. v. 59-66. xxvii. v. 1-50.
30 Mar. c. xii. v. 29-32. Joh. xvii. v. 3.
31 Act. c. xiv. v. 14. 1. Cor. c. xii. v. 2.
32 Colos. c. ii. v. 2-7-8. Hebr. xiii. v. 9.
33 Math. c. vii. v. 15. Mar. xiii. v. 22. 2 Pet. c. ii. v. 12-14 15-22.

expletae ab eodem partes coelestis Doctoris: vel 3. sacrarum scripturarum harmonia atque concentus: vel tandem 4. auctoritas supremae normae, ac principis regulae pretium, quod christianae disciplinae atque revelationi conveniat. Si enim haec omnia in dubitationem adducantur, aut quod longe capitalius foret, praefracte negentur: quidquid tenemus de christiana oeconomia amplius stare, ut cuique patet, nullo modo poterit: sed prorsus jaceat ac penitus dilabatur oportet.

15. Atqui adtributa semel Christo dogmatica accommodatione, quae recensuimus non modo in dubitationem veniunt, sed prorsus etiam negantur. Et 1. negatur moralis Christi character, quum hoc in casu et simulationis et proditae veritatis flagitio onustus jure haberetur: 2. negatur Christum partes explevisse coelestis doctoris, qui puram, liquidamque, quam a Patre didicerat, doctrinam hominibus enarrarit: 3. negatur scripturas esse divinas, sibique in omnibus cohaerere, quum ex hypothesi plura in eis occurrerent, non tam ad veritatem, quam ad praeposteras falsasque opiniones expressa. Tandem 4. negatur revelationi christianae, atque Christi praedicationi pretium competere supremae normae, ac principis regulae, qua et nostra fides, nostraeque assensiones regantur. Nobis enim officium et quidem gravissimum injungitur secernendi constantia a temporariis, humana a divinis, coelestia a terrestribus, et quae dogmaticae accommodationis sunt, ab iis, quae e veritatis fonte emanarunt.

Quum igitur tanta clades, posita semel concessaque dogmatica accommodatione, rei christianae proveniret: id unum sequitur nullo modo potuisse Christum hujus disciplinae auctorem ad accommodationem dogmaticam sese dimittere.

16. Hinc factum est, ut Patres hanc accommodationem totis, quae illis inerant, viribus proscriberent, argumentisque peremptoriis confutarent.

Speciminis gratia nonnulla argumenta proferemus ex Irenaeo desumpta.

Et sane 1 ita Irenaeus disputat: [34] "Dominus noster Jesus Christus [35] veritas est, et mendacium in eo non est. Quemadmodum et David eam, quae est ex Virgine generationem ejus, et eam, quae est ex mortuis resurrectionem prophetans ait: [36] veritas de terra orta est.. Et Apostoli autem discipuli veritatis existentes, extra omne mendacium sunt: non enim communicat mendacium veritati, sicut non communicant tenebrae luci, sed praesentia alterius excludit alterum. Veritas ergo Dominus noster existens, non mentiebatur: et quem sciebat Labis esse fructum, non utique Deum confiteretur, et Deum omnium, et summum Regem, et Patrem suum perfectus imperfectum, spiritalis animalem, is qui in Pleromate esset, eum qui extra Pleroma. Neque discipuli ejus alium quemdam Deum nominarent, aut Dominum vocarent, praeter eum, qui vere esset Deus et Dominus omnium." Quae quidem argumentatio huc redit: Christus in se est veritas, ejusque oeconomia fuit veritas: solam igitur limpidamque veritatem praedicare potuit.

Nec aliter res se habere potuit: fac enim Christum dogmatica accommodatione usum fuisse, illud erit consequens quod Irenaeus urget his verbis: [37] "Hoc autem non est sanantium, nec vivificantium, sed magis gravantium et

34 Iren. adv. haer, lib. iii. c. v. n: 1.
35 Joh. c. xiv. v. 6.
36 Psalm. lxxxiv. v. 12.
37 Iren. adv: haer. lib. iii. c. v. n. 2.

augentium ignorantiam ipsorum: et multo verior his Lex invenietur, maledictum dicens omnem, [38] qui in errorem mittat caecum in via. Qui enim ad inventionem missi erant Apostoli, et ad visionem eorum, qui non videbant, et ad medicinam languentium, utique non secundum praesentem opinionem colloquebantur eis, sed secundum veritatis manifestationem. Nec enim quilibet homines recte facient, si caecos jam jamque per praecipitium ferri incipientes adhortentur insistere illi periculosissimae viae, quasi vere rectae, et quasi bene perventuri sint. Quis autem medicus volens curare aegrotum, faciat secundum concupiscentias aegrotantium, et non secundum quod aptum est medicinae? Quoniam autem Dominus medicus venit eorum, qui male habent, ipse testificatur dicens: [39] non est opus sanis medicus, sed male habentibus: non veni vocare justos sed peccatores ad poenitentiam. Quomodo ergo qui male habent confirmabuntur? et quomodo peccatores poenitentiam agent? utrum perseverantes in eisdem ipsis, an e contrario magnam commutationem et transgressionem prioris conversationis accipientes, per quam et aegritudinem non modicam, et multa peccata sibimetipsis importaverunt? Ignorantia autem mater horum omnium per agnitionem evacuatur. Agnitionem ergo faciebat Dominus suis discipulis, per quam et curabat laborantes, et peccatores a peccando coercebat. Non igitur jam secundum pristinam opinionem loquebatur eis, neque secundum suspicionem interrogantium responde bat eis; sed secundum doctrinam salutarem et sine hypo crisi et sine personae acceptione."

(38) Deut. c. xxvii. v. 18.
(39) Luc. c. v. v. 31-32.

Tandem compendio haec alibi argumenta repetens, illaque confirmans concludit: "[40] Superfluus autem et inutilis adventus Domini parebit, siquidem venit permissurus et servaturus uniuscujusque olim insitam de Deo opinionem. Adhuc etiam et multo durius erat, quem hominem viderant Judaei et cruci affixerant, annuntiari hunc esse Christum Filium Dei, aeternum ipsorum regem."

17. Imo Patres tanto ferebantur odio in hujusmodi accommodationis speciem, ut et reliquas haud ferendas traderent. Hac mente atque hoc consilio practicam accommodationem rejecerunt: quam sane pluribus [41] Augustinus explosit, neque passus ullatenus est, ut Cephas a Paulo simulate reprehensus putaretur. Qua in re consonant [42] Tertullianus [43], Cyprianus, [44] Hieronymus, et [45] Divus Thomas. Hac mente atque hoc consilio ne historicam quidem accommodationem ferendam esse tradiderunt: quare [46] Julius Africanus prorsus sese dissentire professus ab iis, qui Salvatoris genealogiam non tam ad historiae veritatem, quam ad conciliandum Christo splendorem concinnatam arbitrabantur.

Jam vero ex his omnibus, quae hucusque protulimus, liquido profluit, nullo modo Christum potuisse, Pentateuchum tamquam genuinum Moysis opus suscipere, ut praejudiciis tunc temporis vigentibus cum maximo veritatis stipendio indulgeret.

---

40) Iren. adv. haer. lib. iii. c. xii. n. 6.
41) August. ep. xxviii, xl, et lxi.
42) Tert. adv. Mar. lib. v. c. 3.
43) Cyp. ep. lxxi. ad Quint.
44) Hieron. in dial. adv. Pelag.
45) Thom. Comment. ad Gal. c. 2.
46) Jul. ep. ad Aristid.

CAPUT III.

Praeterea Colenso docet Christum coelestem doctorem a Patre hominibus datum ignorantia quoad Pentateuchi genuinitatem laborasse;— Consensus hac in re cum Gnosticis, aliisque veteribus haereticis retegitur.—praecipuae tum ignorantiae tum scientiae classes declarantur;—anima Christi primo in se inspecta, dein Divinitati conjuncta relate ad has varias tum ignorantiae tum scientiae species consideratur:—bibliorum testimonia ab Adversario relata et in pravum sensum detorta explanantur.

18. Negata Christi in hominibus instituendis sinceritate, seu quod idem est, negato morali Christi charactere, Colenso, ne, causa, quae conclamata est, penitus cadat, et alium characterem, qui scientificus audit, quique cum morali conjunctus summam testibus conciliat auctoritatem, fronte adoritur sane pervicaci. Contendit enim prorsus consonam esse plenae et devotae in Christi Divinitatem fidei, plurimorum sententiam, qui docent eum, quando humanam sibi copulavit naturam, sponte omnes naturales infirmitates, quas inter et illam, quae limitatam, et novis in dies accessionibus succrescentem rerum cognitionem inducit, suscepisse testante Luca; "Jesus proficiebat sapientia et aetate."

1 Praef. pag. xxxi; "It is perfectly consistent with the most entire and sincere belief in our Lord's Divinity, to hold as many do, that, when he vouchsafed to become a Son of Man, he took our nature fully, and voluntarily entered into all the conditions of humanity, and among others, into that which makes our growth in all ordinary knowledge gradual and limited. We are expressly told, in Luke ii. v. 52. that "Jesus increased in wisdom as well as in stature."

Hinc colligendo infert [2], inspecta humana natura, Christum haud majori cognitione quoad Pentateuchi genuinitatem praeditum, quam reliqui Judaei, qui et pietate et doctrina floruerunt.

19. Verum eequorum est tam speciosa doctrina, quae Christum tamquam Deum honore prosequi contendit, eo ipso, quo summa illum injuria afficere haud veretur? Haec est impia Gnosticorum, aliorumque primis Ecclesiae saeculis haereticorum doctrina ab omnibus Patribus proscripta, argumentisque peremptoriis confutata. Nam Gnostici apud Irenaeum: [3]"Assumebant et illam falsationem, quasi Dominus cum puer esset, et disceret literas, cum dixisset magister ejus, quemadmodum in consuetudine est, dic A. respondit A. Rursum cum magister jussisset dicere eum B., respondisse Dominum, tu prior dic mihi quid est A., tunc ego dicam tibi quid est B." Hujusmodi vanissima Gnosticorum commenta saeculis insequentibus restaurarunt Ariani, et Nestoriani: hi omnes enim Christum pro mero homine habentes ex sententia docuerunt eum, prouti ceteri homines, ignorantia laborasse. [4]"Si vera sapientia, ratiocinabantur illi, et propria sapientia erat Patris, cur quaeso scriptum est: Jesus profecit sapientia et proceritate, et gratia apud Deum

2 Loc. cit. "It is not supposed, that in his human nature, he was acquainted, more then any educated Jew of the age, with the mysteries of all modern sciences; nor with St. Luke's expressions before us, can it be seriously maintained that, as an infant or young child he possessed a knowledge, surpassing that of the most pious and learned adults of his nation, upon the subject of the anthorship and age of the different portions of the Pentateuch.

3) Iren. adv. Gnost. lib. i. cap. xvii.

4) Apud Athan. orat. iv. contr. Arian.

et homines? Et progressus in fines Caesaraeae Philippi, percunctatus est ex discipulis, quemnam ipsum homines dicerent: progressus item in Bethaniam, interrogavit, ubi Lazarus situs esset: quaesivit itidem ex discipulis, quotnam panes haberent? Quomodo igitur hic sapientia fuerit, qui in sapientia crescit, progressusque facit? Eaque ignota habebat, quae ab aliis voluit condiscere?" Hisce similia urgebat Nestorius apud [5] S. Cyrillum. Nec mirum: distracta enim unione hypostatica Verbi Divini cum humanitate, quae isti reprehenderunt, liquido fluerent, necesse erat. Verum Colenso horum vestigiis insistens novum in Christo deprehendit prodigium, ignorantiam nempe se reperisse blanditur in humano intellectu superna Divinitatis luce illustrato. Quod, quam falsum sit heic innuere decrevi.

20. Ne vero debiles mentis oculos in lucem inaccessibilem temere figentes caecutiamus, orationem nostram in brevia et vada caeca conjiciamus, quin secundis flatibus ad veritatis portum perducamus; caute hac in controversia incedendum nonnullaque in antecessum praemittenda statui. Et sane: homo ex ipsa sui natura omni cognitione orbatus nascitur, ad quam pedetentim comparandam industria, labore, sensuum ministerio, atque sedula mentis cogitatione indiget. Est hinc ut non parva temporis intercapedine, dum adolescat, rerum fere omnium ignoratione teneatur. Deinde cum fit aetate provectior et ad scientias appellit animum, nonnullarum veritatum cognitionem acquirit; sed ratione limitum, quibus mens humana coercetur, et defectu experientiae, ex qua scientia hominis exorditur, ad plurimorum objectorum, et quidem praestantiorum notitiam non assurgit, imo quandoque ne assurgere quidem potest. Hinc fit ut

5) Cyrih. lib. iii, adv. Justor.

homo, qui solis naturae viribus vult sibi scientiem comparare, primo ignorantia totali non modo supernaturalium, verum etiam veritatum naturalium, dein harum ignorantia partiali illarum vero totali detineatur.

21. Verum homo illarum veritatum, quas sive ratione limitum menti humanae inhaerentium, sive defectu experientiae cognoscere haud poterat, cognitionem acquirit, ubi haec illi liberaliter a Deo, modo limitatae intelligentiae proportionato, conceditur. Quae scientiae species, a modo, quo acquiritur, infusa audit, et opportune dispescitur in infusam per se, et infusam per accidens. Altera ea est, vocaturque quae in objecta fertur pure supernaturalia, quaeque non aliter quam infusione comparari haberique potest. Altera vero illarum rerum cognitionem importat, quae licet aliunde comparari possit, liberaliter tamen a Deo conceditur.

Hisce omnibus scientiae speciebus illa praestat, quae scientiae comprehensivae nomine donatur, illaque est, qua objecta quantum sunt cognoscuntur, et tam perfecte cognoscuntur, ac cognosci possunt et postulant: sive ea est, quae tam extensive quam intensive objecto est commensurata.

22. Hisce praestitutis non exquirimus, imo ultro damus, animam Christi, inspecta nativa humanae naturae conditione, ac praecisione facta ab unione hypostatica, nullam scientiam infusam jure, ut ita dicam, suo habere debuisse, sed illam tantummodo, quae propria industria, sensuum ministerio, atque sedula mentis cogitatione acquiritur. Nam scientia infusa a libero Dei beneplacito pendet: et natura humana variis instructa est mediis ad rerum cognitionem modo sibi proportionato capessendam. Hinc S. Gregorius Magnus aperte declarat: "(6) Unigenitus factus pro nobis homo per-

(6) Greg. epist. xxxix. lib. x.

fectus, in natura quidem humanitatis novit diem et horam Judicii: sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit. Quod ergo in ipsa novit non ex ipsa novit.

Non exquirimus, imo ultro damus animam Christi non modo in se inspectam sed etiam Verbo Divino hypostatice consociatam, nulla sive Dei, sive omnium possibilium scientia comprehensiva donatam fuisse. Nam comprehendere Deum, et in Deo omnia possibilia, actus est infinitae virtutis. At anima Christi creata erat; ac proinde hujusmodi actus prorsus incapax. Hinc damnata est in concilio [7] Basiliensi sententia illa Augustini Romani: " Anima Christi Deum videt tam clare, et intense, quam clare, et intense Deus videt seipsum. "

Omnis igitur nostra contentio cum Adversario huc redit: an scilicet Anima Christi a Verbo Divino assumpta, scientia omnium rerum sive naturalium, sive supernaturalium quam per se habere non potuit, speciali Dei privilegio donata fuerit: deque ea statuimus ac vehementissime contendimus animam Christi perfectissima humana rerum omnium scientia fuisse donatam.

23. Idque suadet, luculenterque demonstrat 1° vaticinium Isajae: "[8] Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet: et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae, et intellectus, Spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis. Et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in aequitate pro mansuetis terrae. " Quo vaticinio diserte praedicuntur in Messiae

(7) Concil. Basil. Sess. ii.

(8) Is. cap. xi. v. 1-4.

humanitate permansura Spiritus Sancti dona, et praesertim ea quae ad intellectum pertinent Spiritus sapientiae, et intellectus, spiritus consilii et scientiae. Itemque praedicitur fore ut ejus tribunal prae ceteris omnibus sola justitia, solaque aequitate regeretur nullis humanis, terrenisque cognitionibus commixta. Quae omnia rerum omnium scientiam infusam necessario subaudiunt.

Idque suadent, luculenterque demonstrant 2 semel atque iterum repetitae Aeterni Patris voces: "[9] Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite." Heic Christus prae ceteris hominibus Patri acceptus praedicatur; ac proinde prae ceteris majoribus donis, quae inter non parvum scientia infusa obtinet locum, auctus. Heic etiam solemni Patris declaratione omnium doctor et magister constituitur. Heic demum illum audire, docilemque omnibus ejus verbis ac doctrinis fidem habere jubemur. Quae omnia omnem ignorantiam a Christo removeant, necesse est.

Idque suadent, luculenterque demonstrant 3 quae suo ipsemet ore Christus protulit, inquiens: "[10] Vos autem nolite vocari rabbi: unus est enim magister vester, Christus." At nonnisi summa impudentia sibi soli vindicaret omnium magisterium, ubi aeque ac reliqui homines, iique etiam doctissimi, aliqua ignorantia laboraret. Vel quae alibi affirmavit: "[11] Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me: quia ego ex meipso non sum loqutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, et quid loquar. Et scio quia mandatum ejus vita aeterna est. Quae

(9) Math. c. iii. v. 17 xvii. v. 5.

(10) Math. cap. xxiii v. 8.

(11) Johan. c. vii v. 16, xii 48.50, xiv v. 10.

ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor. Verba quae ego loquor vobis, a meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera." Quae quum ita se habeant, ecquis adhuc contenderet Christum aliqua ignorantia laborasse veramque Pentateuchi originem haud illi perspectam fuisse?

Idque suadent, luculenterque demonstrant 4. promissiones de Paracleto ab ipso Apostolis factae: "[12] Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis:" et alibi: "[13] Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a semetipso; sed quaecumque audiet, loquetur, et quae ventura sunt, annuntiabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis." Heic igitur promittitur fore ut Apostoli a Christo per Spiritum omni doctrina, omnique veritate imbuerentur, scientiaque infusa donarentur; at prorsus incredibile, ut qui tanta liberalitate fertur erga alios homines, summa regatur austeritate erga sui humanam naturam, nullaque scientia infusa eam ornet, augeatque.

Idque suadent, luculenterque demonstrant 5 splendida hujus scientiae specimina a Christo edita. Non alia scientia enim quam infusa cognoscere potuit secreta cordium, resque futuras aperte ac definite praedicere. Sic nequitiam Pharisaeorum [14] cognovit in dolosa quoad liceitatem census solvendi quaestione: cognovit etiam plus vice simplici discipulorum quoad nonnulla ejus dicta animi [15] perplexitatem,

(12) Joh. c. xiv v. 26.
(13) Joh. c. xvi v. 13-14.
(14) Math. cap. xxii v. 18.
(15) Marc. viii v. 17. Joh.) xvi v. 19. vi v. 62.

eorumque inde ortas quaestiones, variasque inter se dissensiones. Itemque evangelium suum per universum orbem promulgatum iri, ac futurum ut mulieris, quae caput ejus unguento delibuerat, pietas ubique [16]celebraretur: gentesque omnes legibus evangelicis se [17]subjecturum praedixit. Adversitatum fluctibus perpetuo jactatam ecclesiam usque ad mundi exitum ac Petri successorum regimini obtemperantem perseveraturam esse [18]vaticinatus. At quid plura persequar? Si enim alia vaticinia deficerent, sat nobis esset clarissimum de Jerosolymorum excidio Christi oraculum. Adhuc enim stante secundo templo atque hierosolymitana urbe, Christus cum omnibus suis adjunctis temporis, personarum, modi, signorum, eorumque omnium, ea, quae praecedere urbis templique eversionem debebant, eamque subsequi usque ad mundi exitum, [19]praedixit. Quae quidem omnia adamussim partim adimpleta novimus: partim adimpleri nos ipsi cernimus. Jam vero omnium horum scientiam Christus, ut patet, non propria experientia, neque proprio labore, et sedula mentis cogitatione sibi comparare potuit: liberaliter igitur fuisse illi a Deo concessam, dicamus, oportet.

Idque suadent, luculenterque demonstrant 6, disertae Apostolorum hac de re testificationes. Juxta Apostolum enim in Christo inveniuntur: "[20] Omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. Johannes de Christo praedicabat: "[21]Non ad mensuram dat ei Deus spiritum: sed plenus fuit gratiae et

(16) Math. c. xxvi v. 13.
(17) Math. xxiv v. 14. Mar. xiii. v. 10 , Luc. xxiv v. 47.
(18) Math. xvi v. 18, xxiv v. 35.
(19) Math. xxiii v. 36, xxiv v. 2, Mar. xiii v. 2, Luc. xiii v. 34, xxi v. 6.
(20) Colos. c. ii v. 3.
(21) Joh. c. iii v. 24.

veritatis." Petrus tandem sequentibus Christum est allocutus: "[22]Domine tu omnia nosti, tu scis, quia amo te." Quae certe loquendi rationes plenam ac cumulatissimam in Christo designant rerum omnium notitiam.

Idque suadent tandem, luculenterque demonstrant 7 omnium sive doctorum, sive reliquorum ex plebe Judaeorum de Christi scientia demirationes. Eam demirati sunt, quando adhuc puerulus in medio doctorum constitit, illos audiens, illosque interrogans: "[23]Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, et responsis ejus." Jam igitur a sui pueritia scientia et doctrina, non quidem experimentali, sed divinitus infusa, omnibus hebraicae gentis doctoribus praestabat. Eam pariter demiratae sunt turbae, quando die festo tabernaculorum mediante Jesus ascendit in templum, ut suam legem praedicaret: "[24]Mirabantur Judaei, dicentes: quomodo hic literas scit, cum non didicerit?" Non igitur humana industria, terrenisque auxiliis, sed divina largitione scientiam, qua pollebat, Christus sibi comparavit.

24. Hinc factum est ut Patres nil intentatum relinquerent, quo omnem ignorantiae suspicionem a Christo removerent.

Hac mente atque hoc consilio 1. ejusdem assertores et vindices inter [25] illusores adnumerarunt: atque hujusmodi nota Cyrillus Alexandrinus eos dehonestavit, quod contenderent aliquid incrementi scientiae Christi accessisse. Hinc statuit: "[26]Credimus ex ipso ventre atque utero virgineo ipsum Emmanuel, cum Deus esset, hominem, prodiisse

(22) Joh. c. xxi v. 17.
(23) Luc. cap. xii v. 47.
(24) Joh. c. vii v. 15.
(25) Iren. lib. i adv. Gnost. c. xvii.
(26) Cyril. lib. iii adv. Nestor.

plenum proculdubio sapientia et gratia, quae illi naturaliter inerat. Quodnam igitur is incrementum susciperet, in quo sunt omnes thesauri sapientiae?

Hac mente atque hoc consilio 2. nullo modo ferendam tradiderunt illarum scripturarum interpretationem, ex quibus nonnulla Christus ignorasse videtur. " Qui novit, ait [27]Origenes, quae sunt in cordibus hominum Christus Jesus.... non ignorans interrogat, sed quoniam semel assumpserat hominem, utitur omnibus, quae sunt hominis, quorum unum illud est, interrogare: nec mirandum si id facit Servator, cum ipse etiam omnium Deus, moribus hominum sese accommodans, perinde ac si quis homo morem gerat filio suo percontetur, velut in hoc, Adam ubi es ? et, ubi est Abel frater tuus?" Cui consona etiam sunt, quae Basilius docet, inquiens: "[28]Propter te, et horam et diem judicii ignorat; quamquam nihil latet veram illam sapientiam. Nam per illa omnia sunt condita: nemo enim mortalis usquam est, qui opus suum, quod fecit, ignorat." Et Tertullianus: "[29]Ecce aliquid et de illis pusillitatibus, et infirmitatibus Creatoris in Christo. Ignorantiam enim et ego adscribere ei volo. Permitte mihi adversus haereticum. Tangitur a foemina, quae sanguine fluitabat, et nescivit a qua. Quis me, inquit, tetigit? Etiam excusantibus discipulis, perseverat in ignorantiae voce, tetigit me aliquis: idque de argumento affirmat: sensi enim virtutem ex me profectam. Quid dicit haereticus? sciebatne personam? Et cur quasi ignorans loquebatur? Ut confessionem certe provocaret, ut timorem probaret."

---

(27) Orig. comm. in Mat. c. xiii.

(28) Basil. epist. cxli.

(29) Tertul. adv. Marc. lib. iv cav. 20.

Qua de re non minori perspicuitate refulgent, quae uno ore testantur [30] Chrysostomus, [31] Ambrosius, [32] Augustinus, aliique.

Hac mente atque hoc consilio tandem 3. Christi scientiam urgebant ad ejus prae ceteris excellentiam ostendendam. "[33] Nullus homo, ait Divus Hieronymus, excepto eo, qui ob nostram salutem carnem est dignatus induere, plenam habuit scientiam et certissimam veritatem." Idemque repetit Bernardus ex eo, quod: "[34] Nec fuit hora in quacumque aetate sua, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur: sed a principio perfectus, a principio, inquam, plenus fuit spiritu sapientiae et intellectus, spiritu consilii et fortitudinis, spiritu scientiae et pietatis."

25. Nec hoc tantum Patres fuere contenti, sed hujus veritatis convenientiam plurimis ad fidem faciendam idoneis argumentis collustrarunt: quae quidem omnia argumenta disertissime omnium in unum collegit, et evolvit Sanctus [35] Fulgentius Ruspensis Episcopus. Speciminis gratia nonnulla, eaque selectiora, in medium proferemus. Et 1. illud in medium profero, quod ex plenitudine gratiae et veritatis, qua Christus donatus, necessario dimanat: "[36] Non enim, inquit ille, tota plenitudo veritatis habetur, quando veritatis ipsius aliquid ignoratur, quod absit ut de Christo aliquatenus sentiamus." Imo fac Christum 2, aliquid ignorasse illud

(30) Chrys. hom. lxxviii in Math.
(31) Ambros. lib. v. de fid. c. xviii.
(32) August. lib. ii de peccat. remis.
(33) Hieron. epist. ad Damas.
(34) Bern. hom. ii in verb. Missus.
[35] S. Fulg. ad Ferrand. pag. 253-257 num. 29-34.
[36] Loc. cit. pag. 255 n. 33.

erit consequens, quod non sit ille ipsa veritas: "[37] Quis dicat animam Christi aut minus aliquid percipere veritatis, aut minus habere aliquid charitatis? Ipse autem Christus est veritas. Quomodo ergo anima illa minus in se notitiam veritatis habere dicitur, quae ipsius veritatis anima singulariter invenitur?" Tandem in tuto posita Verbi Divini cum humanitate hypostatica unione concludit: "[38] Non existimo illi animae in aliquo plenam Divinitatis deesse notitiam, cujus una est persona cum Verbo: quam sic sapientiam suscepit, ut eadem sapientia ipsa sit."

26. Nostrae sententiae postremo loco et ratio theologica suffragatur. Christus enim variis titulis, muneribusque in scripturis donatur. Insignitur enim praerogativa [39] doctoris, [40]legislatoris, [41] mediatoris, [42]redemptoris, [43] capitis, [44]judicis, aliisque id generis: quae sunt totidem veluti argumenta, quibus cumulata rerum omnium notitia Christo adtribuitur.

27. Quae hucusque in medium, inque lucem protulimus argumenta talia sunt profecto, ut omne quoad Christi rerum omnium scientiam dubium, si quid forte suboriri posset, removeant; tamen ut plenum de adversarii cavillationibus triumphum egisse non immerito videamur, adhuc nobis solvenda venit gravis, ut vera fatear, illa exceptio ex[45] Luca desumpta. Diserte enim videtur Evangelista innuere Chri-

[37] Loc. cit. pag. 254 n. 50.
[38] Loc. cit. pag. 253 n. 29.
[39] Is. c. xxx v. 20. et Joel. c. ii v, 23.
[40] Psalm. ix v. 20.
[41] I ad Timot. c. ii v. 5.
[42] Gal. c. iii v. 13. c. iv v. 5. Tit. c. ii. v. 14. et I Petr. c. i v. 18.
[43] Ad Ephes. c. v v. 23. et Colos. c. i v. 18,
[44] Act. c. x v. 42. et Jac. c. v v. 9.
[45] Luc: c: II v: 52.

stum in dies quoad sapientiam profecisse, quod limitatam potius, quam cumulatissimam rerum omnium scientiam inducit.

28. Verum hujusmodi scripturae locus nullum nobis facessit negotium, neque talis est, qui graviter solideque contra doctrinam, quam vindicavimus, urgeri possit et valeat. Sancti enim Patres toti in eo sunt, ut ostendant profecisse quidem Christum sapientia non tamen, quoad se, sed quoad nos, in quantum scilicet magis magisque in dies hominibus proficere videbatur. "[46] Ut aetate, inquit Gregorius Nazianzenus, ita et sapientia proficiebat: non quod haec in eo incrementum caperent, quid enim eo quod a principio perfectum erat, perfectius esse possit? sed quod haec paullatim detegerentur ac elucerent." Id ipsum urgebat Athanasius contra Arianos: "[47] Corpore aetate crescente in illo quoque crescebat major Divinitatis explicatio, omnibusque ostendebatur templum Dei ipsum esse, et Deum esse in corpore:" et Cyrillus Alexandrinus contra Nestorium: "[48] Quomodo igitur profecisse dictus est? Ut ego arbitror, quia Deus Verbum pro incremento et aetate sui corporis, divinorum bonorum quae sibi inerant manifestationem admetiebatur." Hisce omnibus, ne in re tam perspicua plus quam par est excurram, unum adjicio Bernardum qui de more perbelle hanc veritatem illustrat: "[49] Neque enim, ait, minus habuit sapientiae, vel potius non minus fuit sapientia Jesus conceptus, quam natus; parvus quam magnus. Sive ergo latens in utero, sive vagiens in praese-

[46] Greg: Naz: orat: xx.
[47] Athan: orat: iii adv: Arian: n: 53.
[48] Cyril: lib: iii adv: Nestor:
[49] Bernar: hom: ii de laudib. B. M. V.

pio, sive jam grandiusculus interrogans Doctores in templo, sive jam perfectae aetatis docens in populo, aeque profecto plenus fuit Spiritu Sancto... Nam quod de sapientia et gratia hic dictum est (Luc. ii. v. 52) non secundum quod erat, sed secundnm quod apparebat, intelligendum est".

CAPUT IV.

Praeterea Colenso rationalismi placitis pressius insistens ipsum revelationis depositum aggreditur: —et in primis revelationis opportunitatem effert quidem, repudiat tamen necessitatem; triplici necessitatis specie distincta ostenditur nonnullas veritates nobis revelatas necessitatem praeseferre, quam vocant, physicam, alias vero tantum moralem

29. Rationalismi semina, quae antiquae fidei vestigiis obruta, atque impedita in mente Colensi delitescebant, jam sese evolvere, erumpere, et perniciosos fructus edere, ac proferre satagunt. Omnis enim, qui parum caute periculo sese committit, in praeceps, attenta humanae naturae imbecillitate, eat, necesse est. Hinc factum est, ut Adversarius noster nomine tantum Christianus varia rationalistarum placita, quibus summopere delectatur, paullatim amplecti nobis videatur. Non enim illico, de rationalistarum more divinae revelationis auctoritatem, ut humanae rationis vindicias susciperet, adortus; sed primo eam indirecte impetit, ut debilitatam facilius dein posset prosternere ac prorsus dejicere. Haud enim it infiecias [1] sacram scri-

[1] Introd. pag. xiii, § 13-14— "The Bible has all along been and, as far as we know, will never cease to be, the mightiest instrument in the hand of the Divine Teacher for awakening in our minds just conceptions of his character, and of his gracious and merciful dealings with the children of men."

pluram aptissimum esse in manu Domini instrumentum ad suam voluntatem facilius hominibus reserandam; contendit tamen, non modo divina traditione, verum[2] etiam omni scriptura remota, posse homines voci Dei in cordibus eorum clamanti obtemperantes recte ac sine ullo offendiculo viam salutis percurrere. Divinae revelationis igitur opportunitatem adhuc tuetur, licet ejus necessitatem parvi, imo nihili habendam ducat.

30. At quae est humanae mentis misera conditio! Ille ipse Colenso, qui homines absque scriptura, et absque ulla revelatione suam salutem comparare posse contendit, non solo animarum zelo actus, munus episcopale, licet depositus, adhuc potius retinere, quam deserere mavult. Quam revelationis necessitatem igitur verbis repudiat, opere admittere ac venerari cogitur.

31. Quae quum ita se habeant, mihi in animo est evincere, non modo utilem, verum etiam magnopere fuisse divinam revelationem necessariam. Quod ut citra errandi periculum praestemus, illud discrimen recolemus oportet, quo ita necessitas diribetur, ut alia sit dicaturque metaphysica, alia physica, alia moralis.

Necessitas metaphysica, seu ut alii malunt, necessitas ab-

2) Loc. cit. " Our belief in the living God remains as sure as ever though not the Pentateuch only, but the whole Bible were removed And it is perhaps God's will, that we should be taught in this our day among other precious lessons, not to build up our faith upon a book though it be the Bible itself, but to realise more truly the blessedness of knowing that himself the living God, our Father and Friend, is nearer and closer to us than any book can be; that His voice within the heart may be heard continually by the obedient child that listen for it, and that shall be our Teacher and Guide in the path of life, when all other helpers even the words of the Best of Books may fails us."

soluta ea est, qua aliquid ita existit, ut ejus oppositum sine ulla adjecta conditione, contradictionem involvat. Ad physicam necessitatem ea omnia referuntur, quae inspectis legibus, viribusque naturae aliter evenire haud possunt. Necessarium tandem necessitate morali id omne erit, cujus oppositum absolute loquendo evenire posset, sed non absque maxima difficultate.

32. Hisce praejactis non exquirimus, imo ultro damus supernaturalis revelationis factum nullam metaphysicam sive absolutam necessitatem praeseferre: adeo enim pendet a libera Dei voluntate, ut nonnisi successivis temporibus praetiosum hujusmodi depositum hominibus fuerit concreditum.

Hisce vero non obstantibus contendimus contra Adversarium, posito libero Dei decreto, quod per omnes illas veritates, quas nunc colimus, homines suam salutem consequi possent, harum revelationem, partim physice, partim moraliter fuisse necessariam.

33. Et re quidem vera 1. necessaria et quidem physice fuit revelatio, quae cultum Deo dignum ac prae ceteris sibi acceptum respicit. Licet enim omnibus exploratum compertumque sit, vel ipso rationis lumine, Deum nedum internis cordis affectibus, sed etiam externis corporis signis esse ab hominibus colendum; tamen humana ratio ex se sola, nulloque superno lumine illustrata, prorsus impar est illum cultum certe determinandi, qui non modo divinae Majestati dignus, verum etiam acceptus, ac prae ceteris gratus esse possit. Ecquam enim relationem quosdam actus motusque corporeos inter et Deum oculis corporeis non objectum quilibet homo reperire posset? Exploratum, compertumque illi esse potest Deum rerum omnium summum esse Dominum; at quo argumento animum induceret suum ad credendum, quasdam ex eis igne consumere, aut gladio

eas perimere, gratum illi futurum: vel oleo saxum perfusum, aut igne combustum thymiama illi honori esse? Num carnem taurorum, ut regii [3] Psaltis verba usurpem, manducat Deus, aut sanguinem hircorum potat? Ni igitur Deus ipse aliquem sibi prae ceteris gratum selegerit cultum, illumque determinarit, ac hominibus commonstrarit, humana ratio physice impar fuisset ad illum cultu sibi accepto gratoque prosequendum.

34. Hinc factum est, ut omnis populus divina revelatione destitutus, talem cultum Deo exhibuerit, qui non modo illo indignus, sed etiam quo positive injuria afficiebatur. Ecquis enim neget Deum injuria affectum fuisse illis sacrificiorum monstris, quibus veteres gentiles, etiam cultiores supremo numini litare consueverunt? Silentio praetereo Baccantium deliria, mysteria Orphica, Eleusinia, aliaque a [4] Clemente Alexandrino, et ab [5] Arnobio cum execratione commemorata: et illa potissimum urgeo sacrificia, in quibus humanae hostiae immolabantur: qui mos receptus fuit non modo apud [6] Scythas, [7] Persas, [8] Germanos, [9] Gallos, [10] Britannos, imo etiam apud [11] Graecos et [12] Romanos: nec non cultus omnium absurdissimos Fauno et Capro dicatos, aut florales ludos, in quibus, ut S. Augustinus loquitur: " [13] Non aves,

(3) Psalm. xlix, v. 13.
(4) Clem. Alex. cohort. ad gent.
(5) Arnob. in vii lib. cont. Gent.
(6) Strab. lib. xii.
(7) Herod. lib. vii.
(8) Tacit. de morib. German.
(9) Cic. orat. pro Font. et Caes. lib. vi de Bello.
(10) Plin. lib. xxx hist. nat.
(11) Euseb. lib. vi praep. et Virgil. ii Aen. v. 116.
(12) Lact. lib. i div. Inst. c. xxi.
(13) August. epist. xci.

non quadrupedes, non denique sanguis humanus, sed multo scelestius pudor humanus offerebatur."

His itaque leviter adumbratis fas nobis est contra Colenso non modo illarum veritatum, quae cultum Deo dignum, acceptumque spectant, revelationis opportunitatem, verum etiam physicam, ut ajunt necessitatem asserere, illaque Platonis verba usurpare, quibus praedicabat "[14] Neminem pietatem docere posse, nisi Deus quasi dux et magister praecesserit."

35. Pari necessitate 2 gaudet illarum veritatum manifestatio, quae peccatoris reconciliationem cum Deo parabilem faciunt. Cunctae sane gentes ostenderunt se cognoscere, illisque perspectam esse hujus in divinam gratiam peccatis amissam reditus necessitatem; sed electione modorum non tam variorum, quam ad libidinem confictorum, ineptorumque se id consequi per se non posse haud obscure declararunt. Heic vero, ne turpiter in omnibus caeremoniis ad id institutis enumerandis immoremur, spectacula scenica a [15]Livio memorata, cruentosque gladiatorum ludos a [16]Prudentio descriptos omittimus; illas vero memoramus lotiones aquis fluminum et maris factas, aliasque id generis caeremonias utpote quae illis, quae apud Hebraeos longe lateque obtinuerant, conformes, imo ab illis derivatae. Hinc Ajacem cernimus vel ideo lavacra petentem, ut divinam effugiat ultionem:

"[17] Lavacra peto, et pelagus quae littora
Circumjacent, maculis ibi criminum
Lotis, acerbam ut effugiam iram deae."

(14) Plat. in Epinom.
(15) Liv. dec. i. lib. vii c. 2.
(16) Prud. lib. i.

Hinc innumera apud gentes [18] comperimus sacrificia, innumerosque ritus variis nominibus donata ἱλαστικα, nempe, αγνιστικα, καθαρτικα a Latinis placamina, februa, piamina dicta.

Verum haec omnia, ubi apud Hebraeos fide offerentium informata vere expiatoria evadebant; apud gentiles vero, quum non possent hoc spiritu esse informata, neque hac fide oblata ex revelationis defectu, erant omnia inania elementa, quae nequibant hominem innocentem efficere, imo caeremoniae superstitiosae, quae illum reum multo magis efficiebant. Imo quod capitalius, et ipsi gentiles hanc sacrificiorum vanitatem agnoscebant. Hac mente atque hoc consilio canebat Ovidius:

"[19] Ah! nimium faciles, qui tristia crimina caedis
Flumina tolli posse putatis aqua!

et Plautus,

"[20] Atque hoc scelesti illi in animum inducunt suum,
Jovem se placare posse donis, hostiis:
Et operam et sumptum perdunt."

Si ergo ridiculae, ineptaeque lotiones, nec non sacrificia ad abluenda crimina ab ipsis gentilibus habebantur, et erant, nullum alium modum reperire poterant, quo in gratiam cum Deo redirent. Hinc factum est, ut dum e funestis effectibus, quos nova parit, excitarentur, ira in crimen, inque seipsos commoverentur, se coarguerent, se quadam desperatione punirent, seque diu noctuque domesticis furiis actos dicerent. Ita eum poenitebat, qui exclamabat:

"[21] Poenitet, ah! si quid miserorum creditur ulli,

(17) Sophoc. Ajax flag. v. 665.
(18) Lomejer de vet. gent. lustr.
(19) Ovid. Fast. ii v. 45.
(20) Plaut. in Prolog. Ruden.
(21) Ovid. lib. i de Pont.

Poenitet, et facto torqueor ipse meo."

Plane igitur constat illorum mediorum revelationem, quorum ope homines in gratiam Dei nunc redunt, fuisse illis physice necessariam.

36. Physice etiam 3 necessaria hominibus fuit illarum veritatum manifestatio, quae mysteriorum nomine veniunt: seu quae, quum altioris sint ordinis, longe ab humana distant intelligentia. Jam vero hujusmodi mysteria divinam revelationem complecti factum est certissimum, nonnullaque ex eis adhuc Colenso veneratur, ac toto suscipit corde. At haec, quum veritates naturalis ordinis, quae humanae cognitionis proportionatum objectum constituunt, quam longissime excellant, nullo modo, ut patet, ab humana mente detegi ac cognosci possunt. Imo, quod capitalius, harum veritatum cognitis per divinam revelationem terminis, mens humana horum terminorum intimum nexum nullo modo assequi potest. Hinc factum est, ut nemo ex gentilibus, etiam ex eis qui philosophorum nomine donabantur, unquam vel aliquam de hisce veritatibus suspicionem se habuisse contenderet. Divina revelatio igitur plures veritates complectitur, quae, attentis humanae intelligentiae viribus, nonnisi supernaturali revelatione hominibus compertae esse possunt.

37. Hasce veritates et illae excipiunt, quae jus naturae respiciunt et naturalium cognitionum ordinem haud excellunt, quaeque innatis humanae mentis viribus detegi etiam possunt. Atque contra Colenso harum veritatum supernam manifestationem contendimus non modo fuisse hominibus opportunam, verum etiam moraliter necessariam. Nam heic non agimus de rationis lumine integro atque perfecto, quale fuit a Deo homini innocenti in prima ejus creatione inditum; sed de eo lumine infirmo ac debili, quod post

peccatum in nobis reliquum est: seu de eo, quod in nobis nunc esse, experientia ipsa nos docet: hinc in animo est evincere tot, tantaque esse ad omnia, quibus obstringimur erga Deum, erga nosmetipsos, et tandem erga similes, officia probe cognoscenda, in homine impedimenta, ut moraliter impossibile sit absque superna revelatione, omnia juris naturae praecepta probe cognoscere ac exequi.

Quam veritatem summa evidentia propugnavit primo [22] Origenes, dein variis in [23] locis Divus Thomas, et praesertim in libris de veritate Catholicae fidei [24] contra Gentes. Nam Doctor Angelicus sequentibus necessitatem moralem divinae revelationis, quoad juris naturae completam cognitionem, urget.

38. "[25] Sequerentur, ait ille, tria inconvenientia, si hujus veritas solummodo rationi inquirenda relinqueretur. Unum est, quod paucis hominibus Dei cognitio inesset. A fructu enim studiosae inquisitionis, qui est veritatis inventio, plurimi impediuntur tribus de causis. Quidam siquidem propter complexionis indispositionem, ex qua multi naturaliter sunt indispositi ad sciendum: unde nullo studio ad hoc pertingere possent ut summum gradum humanae cognitionis attingerent, qui in cognoscendo Deum consistit. Quidam vero impediuntur necessitate rei familiaris: oportet enim esse inter homines aliquos qui temporalibus administrandis insistant, qui tantum tempus in otio contemplativae inquisitionis non possent expendere, ut ad summum fastigium humanae inquisitionis pertingerent, scilicet Dei cognitionem. Quidam autem impediuntur pigritia: ad co-

(22) Origen. lib. i contra Cels. n. 9.
(23) D. Thom. i par. qu. i ar. 1 et 22 qu. 2 ar. 4.
(24) Cont. gent. lib. 1 cap. 4.
(25) Loc. cit.

gnitionem enim eorum, quae de Deo ratio investigare potest, multa praecognoscere oportet, cum fere totius Philosophiae consideratio ad Dei cognitionem ordinetur: propter quod Metaphysica, quae circa divina versatur, inter Philosophiae partes ultima remanet addiscenda. Sic ergo non nisi cum magno labore studii ad praedictae veritatis inquisitionem perveniri potest: quem quidem laborem pauci subire volunt pro amore scientiae, cujus tamen mentibus hominum naturalem Deus inseruit appetitum.

"Secundum inconveniens est quod illi qui ad praedictae veritatis cognitionem, vel inventionem pervenirent, vix post longum tempus pertingerent: tum propter hujusmodi veritatis profunditatem, ad quam capiendam per viam rationis non nisi post longum exercitium intellectus humanus idoneus invenitur: tum etiam propter multa quae praeexiguntur, ut dictum est: tum propter hoc quod tempore juventutis, dum diversis motibus passionum anima fluctuat, non est apta ad tam altae veritatis cognitionem, sed in quiescendo fit prudens, et sciens. Remaneret igitur humanum genus, si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis ignorantiae tenebris; cum Dei cognitio, quae homines maxime perfectos, et bonos facit, non nisi quibusdam paucis, et his paucis etiam post temporis longitudinem proveniret.

"Tertium inconveniens est, quod investigationi rationis humanae plerumque falsitas admiscetur propter debilitatem intellectus nostri in judicando, et phantasmatum permixtionem. Et ideo apud multos in dubitatione remanerent ea, quae sunt verissime etiam demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, et praecipue cum videant a diversis qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera, quae demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid

falsum, quod non demonstratur, sed aliqua probabili, vel sophistica ratione asseritur: quae interdum demonstratio reputatur. Et ideo oportuit per viam fidei fixa certitudine ipsam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi. Salubriter ergo divina providit clementia ut ea etiam, quae ratio investigare potest, fide tenenda praeciperet, ut sic omnes de facili possent divinae cognitionis participes esse, et absque dubitatione et errore. Hinc est quod Ephes. iv. 17 dicitur: Jam non ambuletis sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum: et Jsaiae liv. 13. Ponam universos filios tuos doctos a Domino."

39. Quibus omnibus et aliud argumentum praestat adjicere ipso ex facto desumptum, ex eo quod scilicet nullus populus inveniri possit, qui absque superna revelatione in absurdissimos contra sanae ethices principia errores delapsus non fuerit. In absurdissimos errores circa veritates theoretecas intimius cum religione conjunctas non modo vulgus verum etiam ipsi abierunt philosophi. Ecquis enim horum primam rerum e nihilo eductionem, veramque hominis originem perspectam habuit? [26]Peripatetici mundum ab aeterno extitisse putabant: [27]Epicurei vero eum ex atomis fortuito coaluisse somniabant. Duo esse summa rerum omnium principia bonum unum, alterum malum non solum [28]Manichaei, sed permulti ante eos philosophi [29]effutierunt: quo nihil absurdius. Alii fortunae caecae et inconstanti omnia tribuebant: et alii e contra cuncta ineluctabili fato regi [30]arbitrabantur, ut omnis tolleretur libertas, qua sublata omnem

(26) Conf. Gallup. Stor. della Filos. cap. 1 et sequ.
(27) Gallup. loc. cit.
(28) Berg. diz. teol. art. Manich.
(29) Plutar. trac, de Is. et Osir. pag. 190.
(30) Cic. lib. de fato cap. xvii.

religionem tolli necesse est. Pariterque de animi immortalitate nonnulli eorum, qui sapientissimi habebantur, aut prave omnino sentiebant, aut saltem vehementer [31]dubitabant. Sic Socrates, cujus probitatem tantopere Philosophi celebrant cum jam moriendi tempus instaret: "[32] Tempus est, inquit, jam hinc abire me, ut moriar, vos ut vitam agatis; utrum autem sit melius, Dii immortales sciunt, hominem quidem scire arbitror neminem." Tanta igitur, ut paucis omnia complectar, invecta erant in Phylosophiam monstruosarum opinionum portenta, ut recte S. [33] Augustinus veterum Phylosophorum scholas Babylonicae confusioni comparaverit: et Tullius scriptum reliquerit "[34] Nescio, quomodo nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum."

Ex hisce perversis doctrinis longe lateque grassantibus pessimi illi, qui apud gentiles vigebant, mores magna ex parte suam repetebant originem. Cato enim aliique plurimi fornicationem, veluti remedium ad vitanda adulteria aptissimum [35] proponebant. Plato in bacchanalibus ebrietatem, feminarum communitatem, crudelemque liberorum expositionem [36]approbavit, quem errorem [37]Aristoteles ipse adoptavit. De Aristippi autem et Cynicorum impura doctrina dicere pudet. Cicero mendacium quin et perjurium aliquando licitum duxit; imo tamquam scite dictum illud Eu-

(31) August. lib. xviii de civ. Dei c. 41, et Cic. lib. i. quaest. tusc. cap. 11.
(32) Cic. loc. cit. cap. xli.
(33) August. lib. xviii de civ. Dei cap. 41.
(34) Cic. lib. ii de div.
(35) Apud Cic. orat. pro Cael. et Hor. lib. i. sat. 2.
(36) Plato lib. vi de leg. et lib. v. de Rep.
(37) Aris. lib. vii Polit. cap. 16.

ripidis adagium [38] suscepit: "Juravi lingua, mentem injuratam gero." Omnes fere vindictam, ut maxime honorificam, et laudabilem [39] praedicabant; qua tamen nihil esse potest reipublicae perniciosius. Omnes tandem, ne plura persequar, laudem et gloriam, tamquam nobilissimum ad virtutem stimulum superbe proponebant: unde illud apud Ciceronem: "[40]honos alit artes, omnes incenduntur ad studia gloria:" et apud Divum Augustinum Romani: "[41]huic vitio non solum non resistebant, verum etiam id excitandum, et accendendum esse censebant, putantes hoc utile esse Reipublicae."

40. Quibus omnibus leviter adumbratis, sic breviter Colenso urgemus. Quaecumque demum sit Dei vocis, clamantis in hominum cordibus, illosque per viam salutis dirigentis vis et auctoritas, quam adeo ille extulit, ut omnem revelationis supernaturalis necessitatem procul amandandam duxerit; factum tamen est publicum universale et constans, per plura saecula nullum populum, sive barbarum, sive excultum, quamdiu revelatione destitutus fuit, completam atque puram non modo illarum veritatum, quae longe superant humanae mentis captum, sed et earum, quae naturalium veritatum ambitu continentur, cognitionem sibi comparasse. Necessarium igitur fuit sive physice, sive moraliter aliquod medium divinitus hominibus datum ad eos tum circa veritates supernaturalis, tum circa illas naturalis ordinis recte instituendos. Jam vero istud aliud esse non potest, nisi supernaturalis atque divina revelatio, quae maxima ex parte sacrae scripturae libris continetur. Non

(38) Cic. lib. iii de offic. c. 29.
(39) Cic. loc. cit. cap. 12.
(40) Cic. lib. i quaest. tusc. cap. 12.
(41) Augus. lib. v de civ. c. 13.

sine injuria igitur revelationis horum librorum necessitatem, ut internum, quod ipse finxit, divinum magisterium pro virili tueretur, Colenso inficiari potuit.

CAPUT V.

Insuper Colenso nostram fidem ex scientifico processu hac de re instituto dependentem traducit.— Infinitum quod humanam scientiam inter fidemque divinam intercedit discrimen declaratur;— Mutuus respectus, quem fides ac scientificus processus ad se invicem habere possunt, innuitur, argumentisque ad fidem faciendam idoneis constabilitur.

41. Semel veluti firmissimo fundamento jacto, quod capite praecedenti refutavimus, principio, Colenso munere episcopali, nec non Divinitatis doctoratu praefulgens ad Sacrarum Scripturarum divinam inspirationem introspiciendam accedit. At miserabile dictu! quem strenuum patronum optimo jure, duplicique ex capite Sacra Scriptura se habere gestiebat, ignorantissimum advocatum imo infensissimum accusatorem experta est: Colenso enim qui scripturarum vindicias suscipere, illasque totis viribus tueri et tamquam episcopus, et tamquam divinitatis doctor jubebatur, perquam imbecilla[1] traduxit illa rationum momenta, quibus fides in scripturarum inspirationem innititur. Hinc totus in eo est ut summis[2] evehat laudibus scientificam illam investigatio-

(1) Praef. pag. xi. "I felt more hopelessly than ever how hollow is the ground, upon which we have been so long standing, with reference to the subject of the Inspiration of Scripture."

(2) Introd. pag. iv. "Among the many results of that remarkable activity in scientific enquiry of every kind, which by God's own gift, distinguishes the present age, this also must be recko-

nem tenacem simul ac liberam, qua sola delectantur Protestantes et Rationalistae, veritatum fidei: utque pro virili inculcet onus illud, quod fingit, amplectendi etiam in religionis negotio quascumque veritates deductionesque quae inde profluere videantur.

Haec ille: nos vero e contra contendimus facillime quidem posse veritates fidei ad tractationem vere scientificam evehi, at non aliam has inter relationem agnoscimus, quam ut illae sine hac esse possint, haec nisi illae praecesserint, esse non possit.

42. Ad cujus veritatis majorem intelligentiam nonnulla animadvertisse juvabit. Et primo diligenter recolendum magnum illud, quod fidem inter scientiamque humanam intercedit discrimen. Colenso enim divinitatis doctor ultro assentitur: 1. fidem ex principio eam gignente a scientia discriminari: illius enim est gratia, quae supervenit naturae quaeque prorsus gratuita est; hujus vero ipsa humana constitutio intelligentia ac ratione praedita: 2 ex objecto: illius enim constituitur ab omnibus et solis veritatibus a Deo revelatis: hujus vero constituitur a veritatibus humanae intelligentiae plane consentaneis, sibique propriis: 3 tandem ex motivo formali: illius enim est ipsa Dei revelantis auctoritas: hujus vero est ipsa, quam praeferunt veritates, evidentia.

43. Secundo sedulo animadvertendum hominem ante susceptam fidem certo cognoscere posse motiva, quae vocant credibilitatis, ac per ea sibi comparare certitudinem existentiae divinae revelationis: haud tamen per ea posse sibi

ea, that attention and labour are now being bestowed, more closely and earnestly than ever before, to search into the real foundation for such a belief as this... Whatever the result may be, it is our bounden duty to buy the truth at any cost."

constituere motivum formale actus fidei. Et sane: potest homo certo cognoscere motiva credibilitatis: quia per se cognoscere potest tum veritates logicas, metaphysicas, psychologicas, morales, physicas, aliasque id generis. Atqui credibilitatis motiva constant partim ex veritatibus facti, quae sive sub sensuum experientiam cadunt, sive ex indubio humanae auctoritatis testimonio accipiuntur, partim ex principiis logicis ac metaphysicis, quae illis facti veritatibus applicantur: consequitur ergo veram ab homine de illis motivis haberi certitudinem posse. Potest praeterea per ea certam existentiae divinae revelationis cognitionem adquirere: nam cum ea motiva necessario nexu cum divina revelatione revinciantur, aperte conficitur posse per ea hominem certum omnino fieri de ejusdem revelationis existentia. Et re quidem vera omnia miracula, ac vaticinia, quae praecipua credibilitatis motiva constituunt, cum nonnisi a Deo edi possint, si semel proinde homini certo constiterit patrata aut edita fuisse ad aliquam veritatem comprobandam, dubitare is amplius nequit eam a Deo suam repetere originem; praesertim si adjuncta omnia tum intrinseca, tum extrinseca in id concurrant.

Non potest tamen per ea sola sibi constituere motivum formale actus fidei, perinde ac si fides ipsa in se spectata in extrinsecam illam objectorum evidentiam resolveretur, aut formale motivum actus fidei ab eadem evidentia constitueretur. Etenim cum actus fidei, ut supra innuimus, debeat necessario, et ab intrinseco supernaturalis esse, qui fieri potest ut constituatur aut eliciatur tamquam ex principio formali ab evidentia motivorum credibilitatis, quae ex se tota naturalis est, et naturalem parit certitudinem aut persuasionem? Insuper actus fidei talem praeseferre debet infallibilem ac objectivam certitudinem, quae naturalem quamvis

superet certitudinem. At certitudo hujusmodi nullo modo ut patet, comparari potest ex humana, quaecumque illa sit, disquisitione et industria, sed nonnisi a divina gratia, seu principio supernaturali produci in nobis potest, innitique prorsus debet divinae auctoritati.

44. Tertio sciendum, posse hominem post susceptam fidem ipsius fidei fundamenta sedulo investigare, et doctrinam fidei ad tractationem vere scientificam evehere; haud tamen posse in suis inquisitionibus a fidei norma desciscere, aut quod capitalius, fidei doctrinam ad systemata philosophica quovis modo inflectere. Et sane: potest homo post susceptam fidem, ipsa fidei fundamenta investigare, quia objectum materiale fidei nostrae totum historicum est, ac revelatio ipsa est factum, adeoque et illa omnia, quae in revelatione continentur: hinc fit, ut revelatio ejusque objecta possint quoad eorum existentiam documentis demonstrari non minus ac credibilitatis motiva, quae nempe homini evidenter suadent talem reipsa esse revelationem, quae divinitus data perhibetur. Potest itaque humana ratio post adeptam fidem, fundamenta ipsius investigare ac detegere, ut ea illis possit proponere, qui ad eam investigationem minus idonei sunt et comparati, eaque ab abversariorum impetu tueri. Imo quin dicamus hujus doctrinae revelatae naturam huic scientificae investigationi obstare, potius contendimus eam mirum in modum provehere. Nam quo modo Deus admirandum hujus universi spectaculum oculis nostris retegit, ut, non modo ceu stupida animalia, unice inspiciamus, sed etiam, imo potissime, ut per partes singulas illud rimemur, ordinem inquiramus, expendamus] leges, relationes rerum varias intelligamus, easque deducamus in usum et commodum nostrum, utque tandem illum sapientissimum conditorem admiremur atque laudemus: sic or-

dinem divinum ac supernaturalem, qui ex fide historica coalescit, nobis exhibuit, non ut ejus tantummodo objectivitatem credamus, eique unice inhaereamus, verum etiam, ut intimius, modo cujusque intelligentiae proportionato, ac prout ipsa rei natura patitur, eum perscrutemur, ac contemplemur, assurgamus ad altiora cognoscenda, nitamurque assequi, quae eo sub cortice delitescunt. Fides proinde historica et objectiva quoddam veluti vehiculum est, quo in eorum intelligentiam perducimur, quae prius sola fide tenebamus: germen est quod ulterioris semper evolutionis capax est: fons denique est speculativae contemplationis, ex quo aquas haurire homo jugiter potest ad suam scientificam investigationem magis elaborandam perficiendamque.

Non potest tamen homo in suis scientificis investigationibus a fidei norma desciscere, et fidei doctrinas ad systemata philosophica turpiter inflectere. Nam si aliter faceret in absurdum sane maximum sese coujiceret: fide enim divina crederet illas veritates, quas simul repudiaret: seu fidem divinam, quam adhuc colere contendit, in discrimen vocaret, ut ejus in locum nonnisi fidem humanam sufficeret. Praeterea veritates a Deo revelatas cum veritatibus humanae intelligentiae propriis irrito conatu confunderet. Tandem summa injuria Deum afficeret: nam ejus infinitae veracitati curtum intelligentiae suae lumen praeferret.

45. Hisce praejactis jure optimo contendimus praepostere se habere Colenso, qui fidem in divinarum scripturarum inspirationem ex scientifico processu hac de re instituto traducit dependentem: nam vehementissime affirmamus fidem scientiamque christianam ita sibi mutuo respondere, ut illa sine hac esse possit, haec nisi illa praecesserit, esse non possit.

Etenim 1, non aliud intercedit discrimen principia inter

haustasque ex iisdem notitias, deductionesque, quam quod illa per se sunt nota atque origine antevertunt, istae vero ab illis suam mutuantur veritatem, illaque consequuntur: quod illa sunt radicis instar et fontis, istae vero ramorum, rivolorumque speciem praeseferunt: et quod illa tamquam fundamentum et basis se habent, istae vero tamquam hisce innixum aedificium. Jam vero in scientifico processu vere realiterque christiano fides ex dictis se habet veluti principium, scientia autem veritatisque intellectus spectari aliter non debent, quam ut ea, quae ex principio dimanant: fides se habet ut radix, scientia ut germen quod ex radice erumpit. Necesse est igitur fidem antecedere, ut altero loco graduve cognitio et intelligentia subsequantur.

46. Quod quidem 2, summa evidentia declarat S. Thomas in prima parte summae Theologicae. Iste enim primo sequentes sibi proponit difficultates. "[3]Videtur quod sacra doctrina non sit scientia: omnis enim scientia procedit ex principiis per se notis. Sed sacra doctrina procedit ex articulis fidei, qui non sunt per se noti, cum non ab omnibus concedantur: non enim omnium est fides, ut dicitur 2 Thess. iii, 2. Non igitur sacra doctrina est scientia. Praeterea scientia non est singularium. Sed sacra doctrina tractat de singularibus puta de gestis Abrahae, Isaac, et Jacob, et similibus. Ergo sacra doctrina non est scientia."

Quibus difficultatibus sequentibus occurrit: " [4]Sciendum est, quod duplex est scientiarum genus. Quaedam enim sunt quae, procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus, sicut arithmetica, geometria, et hujusmodi: quaedam vero sunt quae procedunt ex principiis notis lu-

(3) D. Thom. loc. cit. quaes. 1 ar. 2.
(4) D. Thom. loc. cit.

mine superioris scientiae, sicut perspectiva procedit ex principiis notificatis per geometriam, et musica ex principiis per arithmeticam notis. Et hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiae, quae scilicet est scientia Dei et beatorum. Unde sicut musica credit principia tradita sibi ab arithmetico, ita doctrina sacra credit principia sibi revalata a Deo."

Tandem eas quam brevissime diluit: "[5]Ad primum ergo dicendum, quod principia cujuslibet scientiae vel sunt nota per se, vel reducuntur ad notitiam superioris scientiae: et talia sunt principia sacrae doctrinae. Ad secundum dicendum, quod singularia traduntur in sacra doctrina, non quia de eis principaliter tractetur, sed introducuntur tum in exemplum vitae, sicut in scientiis moralibus, tum etiam ad declarandum auctoritatem virorum, per quos ad nos revelatio divina processit, super quam fundatur sacra scriptura, seu doctrina."

47. Huic consonat S. Anselmus, qui in Proslogio haec ad rem nostram habet: "[6]Non tento, Domine, penetrare altitudinem tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum, sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quem credit et amat cor meum. Neque enim quaero intelligere ut credam, sed credo ut intelligam. Nam et hoc credo, quia nisi credidero, non intelligam."

Cujus habitus duas profert caussas, easque tanta perspicuitate declarat, ut nihil quod sit evidentius, expeti possit. Quarum alteram sequentibus proponit: "[7]Solent quidam, cum coeperint quasi cornua confidentis sibi scientiae produ-

(5) D. Thom. loc. cit.
(6) Anselm. prost. cap. 1.
(7) Anselm. in lib. de fid. Trinit. c. ii.

cere, nescientes quod si quis aestimat se scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire, antequam habeant per soliditatem fidei alas spirituales, praesumendo in altissimas de fide quaestiones assurgere. Unde sit, cum ad illa, quae prius fidei scalam exigunt, sicut scriptum est, nisi credideritis, non intelligetis, praepostere prius per intellectum conantur ascendere, ad multimodos errores per intellectus defectum cogantur descendere. Palam namqe est, quia illi non habent fidei firmitatem, qui quoniam quod credunt intelligere non possunt, disputant contra ejusdem fidei a sanctis patribus confirmatam veritatem: velut si vespertiliones et noctuae nonnisi in nocte coelum videntes, de meridianis solis radiis disceptent contra aquilas solem ipsum irreverberato visu intuentes. Prius ergo fide mundandum est cor, sicut dicitur de Deo, fide mundans corda eorum; et prius per praeceptorum Domini custodiam illuminandi sunt oculi, quia praeceptum Domini lucidum illuminans oculos; et prius per humilem obedientiam testimoniorum Domini debemus fieri parvuli, ut discamus sapientiam quam dat testimonium Domini fidele sapientiam praestans parvulis. Unde Dominus: confiteor tibi Pater Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Prius, inquam, ea quae carnis sunt postponentes secundum spiritum vivamus, quam profunda fide dijudicando ; discutiamus; nam qui secundum carnem vivit, carnalis sive animalis est de quo dicitur: animalis non percipit ea, quae sunt spiritus Dei. Qui vero spiritu facta carnis mortificat, spiritualis efficiatur de quo legitur: quia spiritualis omnia judicat et ipse a nemine judicatur. Verum enim est, quia quanto opulentius nutrimur in sacra scriptura ex his quae per obedientiam pascunt, tanto sublimius provehimur ad ea, quae per intellectum satiant; frustra

quippe conatur dicere, super omnes docentes me intellixi, qui proferre non audet, quia testimonia tua meditatio mea est. Et mendaciter pronuntiat, super senes intellexi, cui non est familiare quod sequitur, quia mandata tua quaesivi. Nimirum hoc ipsum quod dico qui non crediderit, non experietur: et qui expertus non fuerit, non intelliget."

Quibus dictis pergit Anselmus, alteramque caussam exponit. Perpendens enim, quo pacto homo ad Dei imaginem conditus exhibetur, inquit: "[8]Quomodo autem ad imaginem suam? Attende. Deus semper meminit sui, intellegit se, amat se. Et tu ergo si pro modulo infatigabiliter memor fueris Dei, intellexeris Deum, amaveris Deum, eris ad imaginem ejus, qui hoc facere niteris, quod semper facit Deus. Ad memorandum et intelligendum atque amandum summum bonum, totum debet homo referre quod vivit: ad hoc omnis cogitatio, omnis volutatio cordis retorqueatur, acuatur, confimetur, ut infatigabili affectu memor sis Dei, intelligas Deum, ames Deum, et tuae creationis dignitatem, qua ad imaginem Dei creata es (anima), salubriter exprimas."

48. Ad hujusmodi vero bonum obtinendum opus est, ut [9]naturalis potentia homini indita per voluntarium effectum explicetur. [10]Explicatur autem quum ad divinam evehatur communicationem, intimoque vitae consortio cum Deo cohaereat.

Quam divinam communicationem iteratis precibus Anselmus a Deo postulabat: "[11] Doce me quaerere te, et ostende te quaerenti; quia nec quaerere te possum nisi tu doceas, nec invenire nisi tu ostendas. An potuit omnino anima

(8) Ansel. medit. I cap. I.
(9) Ansel. monol. cap, lxviii.
(10) Ansel medit. xiv cap. I.
(11) Idem Proslog. cap. I.

aliquid intelligere de te, nisi per lucem tuam et veritatem tuam? Deus lumen cordium te videntium, et vita animarum te amantium, et virtus cogitationum te quaerentium veni ad me, ut videam te, dilata mentem et attolle intuitum cordis, ut vel rapida cogitatione spiritus meus attingat te, aeternam sapientiam super omnia manentem." Atqui haec omnia in ordine supernaturali per fidem comparantur: omnis ergo christiana scientia fidem subaudit, ex qua pendet, et ex qua e nativo veluti fonte permanat.

49. Hanc doctrinam 4 pro virili asseruerunt quotquot in Asia, Africa et Europa a primis Ecclesiae saeculis scriptores floruerunt. Quos inter sat erit unum citare Augustinum, qui disputationem suam ad Scripturarum inspirationis factum coarctans sequentibus fideles hortatur: "[12] Ante omnia, fratres, hoc in nomine Domini et admonemus, quantum possumus et praecipimus, ut quando auditis exponi sacramentum Scripturae narrantis, quae gesta sunt, prius illud quod lectum est credatis sic gestum, quomodo lectum est; ne subtracto fundamento rei gestae, quasi in aere quaeratis aedificare."

50. Tandem 5, ex absurdis, quae in Adversarii hypothesi profluerent nostra sententia evincitur, et confirmatur. Si enim fides a scientifico processu dependeret, maxima Christianorum pars, qui huic scientiae comparandae impares sunt, fide divina orbata non immerito haberetur. Imo fides ipsa doctrinis sibi mutuo excludentibus coalescere posset. Quae sane absurda sunt, et a notione supernaturalis fidei prorsus aliena. In investigatione igitur veritatum fide cognitarum, ut verbis Theodoriti utar: "[13] Dux sit fides, et scientia sub-

(12) Augus. serm. 11 de tent. Abrah. § 7.
(13) Theod. curat. graec. affect. pag. 723.

sequetur. Pure siquidem ingenueque credentibus, Dominus in quem creditur, cognitionem concedit, fideique adjuncta cognitio perficit scientiam veritatis. Quam qui assequitur, felix immo felicissimus est habendus.".

CAPUT VI.

Quod ab initio divinavimus Colenso Protestantium placitis haud contentus Rationalistarum in partes concessit: — Veritatem lumine rationis comparatam evehit ad principem normam credendorum: hujusmodi principium a Christiana institutione esse procul amandandum ostenditur, et validis rationum momentis refellitur.

51. Plane compertum est apud omnes ab essentiali protestantismi constitutione ac natura nihil aliud necessario profluere, quam rationalismum, eo quod Protestantes, rejecta penitus infallibili Ecclesiae auctoritatate, sufficiunt eidem spiritum suum privatum, seu ut modo loqui adamant, rationem suam individualem veluti normam ac judicem tum in critica biblica, tum in exegetica, tum in dogmatica, proclamantque principium libertatis et examinis in religionis negotio: in quo proprie natura ac vis consistit rationalismi: nullumque protestantismum inter et rationalismum discrimen intercedere, quam quod alter aliquam rei supernaturalis speciem adhuc retinet, quum Bibliis innitatur, ac veluti symbolorum pallio cooperiatur; alter vero utrumque aggreditur, utrumque prorsus repudiat.

52. Verum Colenso et haec Christianismi vestigia e sui sectà amovere enititur, ipsamque Protestantismi essentialem constitutionem, vitamque adortus, sacrarum Scripturarum divinitatem et praesertim Pentateuchi in discrimen vocando,

omniaque ad veritatis pro lubito confictae normam exigenda contendendo. Huc faciunt semel atque iterum ad nauseam usque repetitae Adversarii declarationes, quibus se modo Dei [1] veracissimi servum: modo veritatem oculis mentis aeque [2] contueri ac corporeis solem in aere resplendentem: modo solo veritatis comparandae desiderio [3] actum ad hujuscemodi inquisitiones arripiendas: modo tandem omnibus officium sane maximum injungi, onusque imponi [4] veritatem sectandi, veritatisque [5] legi obtemperandi, dictitare haud desinit.

At ecquae est veritas illa, quam tota mentis adhaesione, omnique studio veretur, colit, sectaturque Colenso? Ipse est audiatur: [6] illa profecto, quae plus minusve perspecta hominibus solatio fuit, quaeque lucem inquirentibus, ac pro vero justoque disceptantibus animum addidit, quaeque tandem ab illis omnibus, qui semper et ubique aliquam religionem professi, venerabatur.

Non aliam veritatem igitur sectatur, quam quae utpote a mente concepta subjectiva audit, quaeque solo rationis lumine comparatur. Certi enim sumus, [7] subdit ille, Deum

(1) Col. oper. cit. praef. pag. viii.

(2) Idem loc. cit. pag. ix.

(3) Idem Introd. pag. vii §. 7.

(4) Idem praef. pag. xii.

(5) Idem loc. cit. pag. xiii.

(6) Colen. op. cit. praef. pag. ix. That Truth, I know, more or less distinctly apprehended, has been the food of living men, the strength of brave souls that yearn for light, and battle for the right, and the true, the support of struggling and sorrow-stricken hearts, in all ages of the world, in all climes, under all religions."

(7) Introd. pag. v 3. " We are certain that He, who has given us our reasoning powers, intends and requires us to use them, reverently and devoutly, but faithfully and diligently, in His service.

qui nos ratione ornavit, id unum spectare, ac id unum a nobis exigere, ut fideliter, diligenterque ea utamur in ejus servitio.

53. Jam vero ex his quae capite praecedenti innuimus luculenter colligitur humanae rationis munus id unum esse, ut se tamquam pedissequa fidei subjiciatur, eique ancilletur: ac proinde, ubi ratio se ipsam unicam fidei regulam semel constituerit, prorsus actum de religione christiana, deque fide objectiva ac historica esse. At nemo est qui non videt tantam cladem procul esse a re christiana amandandam.

54. Procul est amandanda 1, quia nefas est, uti vidimus, fidem scientiamque commiscere, et ea, quae hujus propria sunt, inconcinne, ac vero etiam absurde ad fidem traducere. Est autem non fidei qua Christianismi nota et character continetur; sed scientiae proprium omnia ad rationem exigere, omnia rationis momentis definire, eaque omnia et sola complecti, quae ratione pervidentur.

Procul est amandanda 2, quia institutio christiana est historica, positiva, in facto posita, supernaturalis, quaeque tota ex auctoritate pendet, atque in auctoritatem tota refunditur.

Procul est amandanda 3, quia ad asseclas christianae institutionis pertinet, quod Paulus scribit: " [8] Ex parte cognoscimus . . . [9] videmus enim nunc per speculum in aenigmate. "

55. Procul est amandanda 4 quia humana ratio haud est idonea ad ea praestanda, quae sibi pollicentur Rationalistae. Cujus rei testem vocamus Justinum Martyrem, qui, licet per varias philosophorum sectas diversatus, tamen

(8) Paul. 1 Cor. cap. xiii v. 9.
(9) Ibid. v. 12.

habet: "[10] Quod si quis ab antiquissimis apud eos (graecos) appellatis philosophis doctrinam sibi videatur accepisse de Deo, is Ammonem et Mercurium audiat: Ammonem quidem, qui Deum occultissimum in suis de illo scriptis vocat: Mercurium autem clare et aperte dicentem, Deum intelligere perdifficile est, ac si quis intelligere possit, eloqui profecto non possit. Omnino igitur perspectum et exploratum esse debet, nulla alia ratione Deum aut rectam religionem cognosci posse, nisi ex solis prophetis, qui divino numine afflati nos docent. '

Hisce prorsus consona sunt, quae et alter Alexandriae philosophus Clemens Alexandrinus hac de re protulit: "[11]Non enim, ait, nudum sermonem, nudasque ideas dicimus esse cognitionem, christianamque sapientiam, sed quamdam divinam scientiam, et lucem illam, quae innata animae ex praeceptorum obedientia, omnia quae generatione oriuntur, manifesta facit, hominemque instruit, ut seipsum cognoscat, et qua ratione Dei compos fieri possit, edocet. "

Hisce gemina sunt quae scribit Eusebius, qui sequentibus finem sibi propositum in praeparatione evangelica conscribenda retegit: "[12] Ut caeteri nobiscum omnes, quos adhuc rerum istarum cognitio latuit, intelligant, quales tandem a multis retro seculis, quibusque nati parentibus, quantis implicati malis, quanta demum impietatis ac divini numinis ignoratione, tamquam alta quadam crapula obruti, tollere oculos aliquando, tamque funesta servitute liberari unius Evangelicae doctrinae vi, beneficioque potuerimus, quam profecto non alia ratione sumus, quam Jesu Christi Serva-

(10) Just. cohor. ad Graec. n. 38.
(11) Clem. Alex. Stroz. lib. iii.
(12) Euseb. praep. ev. lib. ii cap. 5.

toris Deique nostri adventu consequuti. Hic enim ille est qui . . . veluti Sol quidam intelligentium ac ratione praeditorum animorum, luminis sui radios longe lateque diffundens . . . in verae erga rerum omnium moderatorem Deum pietatis diem vindicavit. "

Quibus omnibus, ne plura consecter, unum adjicio Grotium, qui de humanae rationis vi ac potestate disserens, ad rem nostram scriptum reliquit: " [15]Graecae sapientiae auctores nihil ferme certi se adferre ipsi fatebantur: quippe veritatem velut in puteo demersam, et mentem nostram non minus caligare ad divina, quam oculos noctuae ad lumen solis. Ipsorum praeterea nemo non aliquo vitio obsitus, alii regum adulatores, alii scortorum amoribus addicti, alii caninae impudentiae. Invidiae vero omnium inter se magnum argumentum rixae de verbis aut nullius momenti rebus, frigoris vero in Dei cultu, quod et qui Deum unum crediderunt, tamen illo seposito alii, et quidem quos deos non crederent, cultum exhibuerunt, religionis normam statuentes id quod receptum esset publice. De praemio quoque pietatis nihil asseverabant certi, quod vel ex ultima illa Socratis morituri disputatione apparet. "

56. Postremo loco procul est amandanda 5 quia universum fidei systema labefactat, ejusque veluti oeconomiam. Labefactat enim illud 1, quoad ipsum revelationis depositum, seu regulam remotam, quae ex Scriptura ac Traditione exsurgit; siquidem anceps haerere debet circa Scripturarum canonem, earumdemque integritatem, sensumque dogmaticum: prouti invicte colligitur ex ipso agendi modo a Colenso usurpato. 2. labefactat quoad singula dogmata, quippe ab humana ratione pendet determinare quaenam

(15) Grot. de verit. relig. Christ. lib. ii §. xviii.

vera, quaenam autem adscititia habenda sint: ita ut Adversarius, sola ratione duce, Christi characterem sive moralem sive scientificum inficiari haud erubesceret. Illud tandem 3 labefactat quoad firmitatem ac unitatem fidei. Christus enim eam hominibus prorsus omnibus religionem tradidit, qua unum omnes saperent, unum sentirent, unum loquerentur, atque sua hac unitate et concordia specimen ostenderent aliquod illius ineffabilis unitatis, quam pro omnibus ipse postulavit inquiens: "[14] Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, et ipsi in nobis unum sint." Ubi vero haec omnia unicae subjectivae persuasioni inniterentur: cum haec varia pro uniuscujusque affectione necessario sit, necesse etiam prorsus esset, ut ea omnia nutent, omnia fluctuent, ac in perpetua varietate et transitu posita sint, ex quo omnis dissolvatur unitas, horribilis inducatur confusio, donec fides, ac ipsa fidei notio penitus intereat: cujus confusionis haud leve semper et praesertim hac nostra tempestate nobis offert specimen Protestantium secta non modo quoad Scripturarum inspirationem, verum etiam quoad aeternitatem poenarum, atque alia id generis.

(14) Joh. cap. xvii v. 21.

CAPUT VII.

Postremo loco Colenso principium auctoritatis quo catholici reguntur, aggreditur:—Et in primis ex libero examine, quo gloriantur Protestantes, omnis scientiae progressum repetit;—ex principio vero auctoritatis nonnisi caliginem, classicamque ignorantiam profluere statuit:—falsitas utriusque assertionis validissimis argumentis ostenditur.

57. Hoc est in more omnium haereticorum positum, ut in ecclesiam catholicam, a qua damnati desciscunt, atram bilem evomant, eamque omnibus tamquam infensissimam traducant. Modo enim illam violatae ac corruptae fidei incusant, modo ignorantiae insimulant. Hinc frequens est penes incredulos, ac Rationalistas solemnis illa calumnia, ab ecclesia catholica nimirum omnem humanae rationis evolutionem, progressumque impediri, ejusque vim sub fidei jugo opprimi atque elidi.

58. Hisce praeposteris opinionibus Colenso imbutus omnes Protestantes hortatur,[1] ut illam examinis libertatem, quae Protestantismi essentiam constituit, quaque eorum secta vitae lucisque centro est universo orbi, pro virili tueantur, ne veteris ignorantiae caligine obruantur, neve

(1) Colen. cit. praef. pag. xi-xii agens de Essays and Reviews habet: " They may feel it to be their duty to the Church itself, and to that which they hold to be the Truth...to claim for all her members, clerical as well as lay, that freedom of thought and utterance, which is the very essence of our Protestant religion, and without which, indeed, in this age of advancing science, the Church of England would soon become a mere dark prison-house, in which the mind both of the teacher and the taught would be fettered still with the chains of past ignorance, instead of being, as we fondly believed...the centre of life and light for all the world. "

auctoritatis vinculis, tempore scientiarum progressus, eorum revinciant mentes.

Qua adhortatione haud obscure innuit, eum ex principio auctoritatis non aliud nisi caliginem, ignorantiam, scientiarumque obicem; ex libero autem omnium veritatum examine, seu ex ipsa Protestantismi essentia omnem cognitionem, omnisque scientiae progressum repetere.

At turpiter hallucinatur: non enim ex principio auctoritatis, quod catholica ecclesia tuetur, et quo regitur, sed contra ex nativa Protestantismi constitutione, ac libera cogitandi potestate, verus scientiarum progressus impeditur.

59. Et sane: non ex principio auctoritatis verus scientiarum progressus impeditur 1, quia hujusmodi principium vel ideo in veritatibus revelatis a catholicis proclamatur, quia summa veracitas Dei revelantis omnimodam exigit fidem. At Deus est ipse totius scientiae fons ac largitor uberrimus, qui scientiarum Dominus voluit [2] appellari: qui cum inexplicabile comparandae scientiae desiderium homini indiderit, tum illum in sacris litteris ad scientiam ac sapientiam sibi omni labore ac studio comparandam continuo [3] excitat: qui a sacerdotibus suis, ut scientiam custodiant, eamque aliis diligenter [4] communicent, requirit. Si quod igitur scientiae progressui detrimentum per auctoritatis principium contingere umquam posset, id totum merito refunderetur in Deum revelantem, imo contra positivam ipsius voluntatem eveniret: quod quidem absurdissime diceretur, nedum impie.

---

(2) 1 Reg. cap. ii v. 3.
(3) Eccles. c. i v. 1. Prov. c. ii v. 6.
(4) Malac. c. ii v. 7.

Scientiarum progressus haud impeditur 2 ex principio auctoritatis, quia, uti jam innuimus, potest humana ratio doctrinam fidei ad tractationem vere scientificam evehere. Ubi enim fides ipsa in omni sua parte sarta tectaque teneatur (quod constituit christianae scientiae proprium ac singulare decus), nihil impedit quominus ipsas veritates revelatas homo veluti principia assumere possit, earum vim declarare, dispositionem patefacere, mutuamque relationem, dependentiam ac nexum ostendere: latentes denique consecutiones ex illis deducere: conferre item cum scientiis reliquis prout substratae materiae natura patitur: analogiam quam cum illis habent, commonstrare: atque alia hujusmodi efficere, quibus intimius illas cognosceret, ac plura immensae utilitatis sive pro parte theoretica, sive pro practica ex eis suum in usum derivaret.

Scientiarum progressus haud impeditur 3 ex principio auctoritatis: quia a primis religionis christianae temporibus usque in praesens semper floruerunt tum Patres, tum Scriptores ecclesiastici non modo pietate, verum etiam doctrina praestantes. Adhuc supersunt Justini, Irenaei, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Origenis, Hieronymi, Augustini, aliorumque ad Aquinatis usque tempora praestantissima scripta [5] summa eruditione referta. Ecquis ignorantem vocaret Divum Thomam, ut unum ex multis urgeam, quem maximi habuerunt et ipsi protestantes, sive dum [6]rationum soliditatem, sive dum [7]ingenii excellentiam, sive dum [8]lectionis copiam et inexhaustam prorsus

(5) Conf. Moehler Patrolog.

(6) Leibn. Theod. § 330.

(7) Budd. Inst. theol. lib. iii c. 2.

(8) Brucker hist. crit. Phil. tom. iii pag. 2.

solertiam pro viribus celebrant: vel etiam S. R. E. Cardinalem Nicolaum Wiseman, cujus merita haud satis praedicare possumus, vel ideo quod parum sese exhibent sollicitos de illa cogitandi in rebus fidei libertate, quam summis efferunt laudibus Protestantes?

Scientiarum progressus haud impeditur 4 ex principio auctoritatis, verum directe juvatur ac promovetur. Quod ut facilius, breviusque simul praestemus, e re esse ducimus latissimum scientiarum campum ad quasdam peculiares classes redigere sapientium judicio satis probatas. Jam vero hujusmodi scientiae vel sunt rationales, quae scilicet ad intellectus speculationem, ac theoreticam entium doctrinam pertinent, ad quas revocantur ideologia, logica, psychologia atque alia id generis: vel sunt morales, quo nomine veniunt scientiae illae, quae humanam operationem ac praxim considerandas suscipiunt, cujusmodi sunt ethica, politica, jurisprudentia, aliaque plurima: vel sunt naturales, quo nomine cohonestantur scientiae illae, quae in physica rerum natura investiganda, uti physica, geologia, botanica etc. vel in quantitate supputanda versantur, ad quas revocantur mathesis ejusque multiplices divisiones. Hisce omnibus merito adjici possunt studia, quae generali bonarum artium nomine veniunt, cujusmodi sunt historia, critica, pictura, sculptura, poesis aliaque hujusmodi.

60. Ex his vero nulla est, quae ex catholica fide magnum profectum, magnamque sui evolutionem haud repetit, quaeque ex eo vehementer haud juvatur ac promovetur. Catholici enim dum veritates revelatas adstruere ac constabilire enituntur, ad omnium fere scientiarum apparatum recursum habeant, necesse est. Etenim cum prius veritates, quae praeambula fidei audiunt, scilicet Dei existentia, pro-

videntia, animorum immortalitas etc. in tuto collocanda sint, omnia cognitionis humanae fundamenta, certitudinis ac veritatis criteria, ratiocinandi leges, animi naturam ac proprietates, ontologicas notiones atque principia sedulo investigare opus est. Hisce vindicatis ad motiva credibilitatis expendenda procedimus. Heic vero innumeris disquisitionibus historicis, criticis, philosophicis, physicis, physiologicis, etc: aditus patet, quibus vaticinia, eorumque adimplementa, multiplicia miracula, media et obstacula tum propagationis, tum conservationis fidei, aliaque id generis firmiter constabiliuntur. Idem contingit cum de unice vera ecclesia a Christo instituta, ejusque immutabili ad mundi usque finem stabilitate, deque constitutione, ejusque dotibus disceptamus, ut tuto eam a quavis spuria secta secernamus.

Nec minori cognitionum supellectile nobis opus est, cum singula dogmata, singulasque veritates discutiendas et vindicandas, cum disciplinam ab ecclesia sancitam, leges conditas, errores proscriptos rimandos suscipimus. Exinde apologetica theologia exoritur, cujus ope adversus incredulos, haereticos, aliosque sincerae veritatis osores dimicamus. Quum vero hujusmodi homines omnibus disciplinis abutantur, atque ex his graves exceptiones in veritatem catholicam proferant, imo nulli parcant fraudi atque molimini, quo illam offuscent, prorsusque extinguant, necessitas nobis oritur omnium prorsus disciplinarum subsidium in rem nostram, inque usum derivandi. Scientiarum omnium progressus igitur non modo ex principio auctoritatis haud impeditur, verum etiam mirifice juvatur, ac promovetur.

61. Quibus summis, ut ajunt, labiis delibatis, ad alterum, quod secundo loco proposuimus, deveniamus oportet. Ex nativa enim protestantismi constitutione, ac facta cui-

libet libere cogitandi potestate contendimus haud parvum vero scientiarum progressui obicem provenire. Protestantismus enim in sua nativa indole inspectus non aliud quam rationis nihilismum proclamat, nec aliud quam absolutum omnis humanae philosophiae contemptum profitetur. Lutherus enim cum hominem peccato originis in ipsis naturae essentialibus depravatum ac pessumdatum doceret, eo fere pacto, quo liberum ejus arbitrium sustulit e medio, ita etiam humanum intellectum obscuratum adeo et extinctum esse commentus est, ut nihil veri, sine revelatione, eidem reliquum esset. Hinc in omnem philosophiam vehementer debacchari, eamque ut fidei inimicam traducere, et quod capitalius, omnes scientias speculativas errores esse proclamare coepit. Sic Erasmus haec de Luthero habet: "[9] Nonne Lutherus scripsit omnem disciplinam tam practicam, quam speculativam esse damnatam? Omnes scientias speculativas esse peccata et errores?" Et Leibnitius "[10] Reformatores, ac Lutherus praecipue, locuti quandoque sunt, quasi philosophiam omnino rejecerint, fideique inimicam esse judicaverint." Hinc insanae illae in philosophiam insectationes, dum Protestantium nonnulli opus carnis eam appellant, vel dum tamquam falsas in theologia traducunt veritates omnes philosophicas, vel dum non esse curandum edicunt, si fidei dogmata vindicantes in absurditates philosophicas incurramus. An vero hujusmodi placita ad majorem scientiarum culturam incitamentum sint, apud ipsum Colenso sit judicium. Quod si temporibus insequentibus Protestantes philosophiam ac disciplinas reliquas excolendas susceperunt, id ex eo factum

(9) Eras. lib xxxi ef. 59.
(10) Leibnit. in dis. de confor. fid. cum rat.

est, quia ratio ad nihilismum dejecta per quamdam reactionem se extulit, ac sese de oppressoribus suis vindicavit, ut in aliud extremum, jugum cujusvis auctoritatis excutiendo, prolaberetur. Protestantismus igitur in sua nativa constitutione inspectus nonnisi acerrimum cuilibet scientiarum progressui bellum indixit.

62. Hisce similia de libero examine, deque facta libere cuique quidlibet cogitandi potestate per se inspecta praedicare possumus. Tunc enim verus scientiarum progressus habetur, quando via faciliori, eaque tutiori veritas, ad quam homo naturali amore agitur, illi patescere potest. At cogitandi libertas per se hac duplici caret praerogativa. Non est enim via facilis ac tuta ad veritatem comparandam, quia attenta humanae rationis limitatione ac imbecillitate in omne scientiarum genus, nonnisi doctrinas inter se discordantes ac sibimet repugnantes, inducere potest, ac reapse inducit; ita ut qui omne studium, omnemque operam collocaret ad vera a falsis, quae in quolibet scientiarum genere docentur secernenda, vix ad vitae exitum voti compos esse posset.

Atque ea omnia, quae hoc in libro de Adversarii principiis innuimus, satis sunt ut quis absque ullo errandi periculo omnes difficultates, omnesque exceptiones, quas magno eruditionis apparatu in Pentateuchum molitus est Colenso, eo, quod illae merentur, in pretio possit habere et valeat.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De iis Pentateuchi locis in universum spectatis, quae a Colenso pro sua sententia tuenda, objiciuntur: Cujusmodi ista sint: discrimen inter dogmaticam et exegeticam difficultatem:— objecta loca difficultatem gignunt non dogmaticam, sed tantummodo exegeticam.

1. Ad illud jam devenimus, quod secundo loco posuimus, eoque pertinet ut illa expendantur Pentateuchi loca, illaque enodentur argumenta inde a Colenso petita, quibus innixus, sibi arrogata auctoritate quam ecclesiae catholicae denegat, Pentateuchum tamquam spurium, imo, quod capitalius, tamquam μυθοις refertum traducere non est veritus. Ipse vero ut omnem temeritatis ac impietatis notam suis e scriptis procul arceret, imo potius lectorum favorem ac gratiam ipsis conciliaret harum difficultatum naturam confertim declarandam esse duxit. Ipsas enim toto caelo praedicat esse diversas ab iis, [1] quas sparsim in scripturis

(1) Introd. oper. cit. pag. viii § 8 " I am not here speaking of a number of petty variations and contradictions, such as, on closer examination, are found to exist throughout the books, but which may be in many cases sufficiently explained, by alleging our ignorance of all the circumstances of the case, or by supposing

occurrere, quasque vel ab imperfecta rerum narratarum notitia, vel ab aliqua sacri textus corruptione, vel aliena adjectione tum verborum, tum etiam sententiarum ortum habere contendit: pariterque longe diversas esse autumat ab iis, [2] quae in rerum omnium creatione et Noetica alluvione plerisque occurrunt: itemque ab iis, quae inspecto nonnullorum miraculorum charactere: cujusmodi sunt ea, quae de solis lunaeque Josue temporibus statione, vel de Hebraeorum per Jordanem itinere, vel de Balaam asello, aliisque id generis narrantur, ultro profluere nonnullis videntur. Sed tales esse [3] venditare conatur, quae pugnantibus conceptibus apertisque contradictionibus scatentes nonnisi opertis oculis credi ac suscipi possent.

2. At in harum omnium difficultatum enumeratione texenda, inque comparatione inde instituta actum prorsus egit, tempusque miserrime trivit doctissimus Colenso: illam enim difficultatum classem silentio praeteriit, de quibus scribit S. Augustinus: " [4] Fieri posse, imo id semper acci-

---

some misplacement, or loss, or corruption, of the original manuscript, or by suggesting that a later writer has inserted his own gloss here. and there, or even whole passages, which may contain facts or expression at variance with the true Mosaic Books.

(2) Loc. cit: "Nor are the difficulties of the same kind as those which arise from considering the accounts of the Creation and the Deluge...or the stupendous character of certain miracles, as that of the sun and moon standing still: or the waters of the river Jordan standing in heaps...or the ass speaking with human voice ecc."

(3) Loc. cit. pag. x § 16: "I cannot consent any longer to shut my eyes to the absolute palpable self-contradictions of the narrative."

(4) De morib. eccles. lib. I cap. I.

dere, ut multa indoctis videantur absurda, quae cum a doctioribus exponuntur, eo laudanda videantur, et eo accipiuntur aperta dulcius, quo clausa difficilius aperiebantur."

3. Ne vero audacior quam deceat, non injuria videar, nihil hisce in locis impeditum, nihil salebrosum, ac nihil quod negotium faceret, difficultatemque crearet, me reperisse affirmando, ultro fatebor quod est, et difficultatem nemini dissimulabo; sed duplicem continuo distinguam difficultatum classem, alteram δογματικήν et alteram ἐξηγητικήν: tum addam, nullum ex hisce Pentateuchi locis talem esse, qui difficultatem δογματικήν creare possit, sed tantummodo ἐξηγητικήν.

Jam quid sibi vult δογματική difficultas, et quo ab illa distat quam ἐξηγητικήν appellavimus? Difficultas δογματική ea est, vocaturque, quae ad ipsum pertinet revelationis factum, et qua propterea vel ipsa alicujus articuli revelatio penitus denegatur, vel neque certa satis, neque satis perspicua ostenditur. Difficultas vero ἐξηγητική sita in eo est, ut unius, alteriusve Scripturarum testimonii ea inveniatur comprobeturque interpretatio, quae cum praestituta veritate consentiat, apteque conspiret.

4. Hisce praestitutis, facile mihi persuadeo neminem fore, qui huic, quam subjicimus, disserendi concludendique formae non omnino suffragetur. Nullus patet locus δογματικαῖς difficultatibus, quum neque certi cujuspiam articuli revelatio negari funditus potest, neque illius perspicuitas in suspicionem adduci. Atqui non modo divina Pentateuchi inspiratio, verum etiam ejusdem genuinitas atque authentia adeo ex jam dictis, [5]et praesertim ex dicendis [6]patent, ut fas minime

(5) Lib. i cap. I.

(6) Lib. iii cap. ii et sequ.

sit vel eas funditus inficiari, vel de illarum perspicuitate, evidentiaque ambigere. Superest igitur ut nulla δογματικὴ difficultas contra revelatam hujus doctrinae veritatem adhiberi urgerique possit.

5. Ac longe minus adhiberi urgerique potest, materie ex iis deprompta Pentateuchi locis, quae objiciuntur. Verissima namque est Irenaei regula sequentibus expressa: "[7] Omnis autem quaestio non per aliud quod quaeritur, habebit resolutionem, nec ambiguitas per aliam ambiguitatem solvetur apud eos qui sensum habent, aut aenigmata per aliud majus aenigma; sed et quae sunt talia ex manifestis et consonantibus et claris accipiunt solutiones." Sed quaenam censenda sunt manifesta, consonantia, et clara, quaeque e contra ambigua, et explanatione indiga? Profecto sicut referri ad alteram classem debent, quae ex professo traduntur, quae ingeminantur, formulisque usitatis, atque solemnibus continentur; ita ad alteram pertinent, quae ex obliquo dumtaxat rem attingunt, quae ut plurimum locis carent parallelis, quae verbis constant rarioribus, et ambiguae potestatis, quae plurimas ex philologia, chronologia, geographia, historia, archaeologia, aliisque pene innumeris cognitionibus, notitias requirunt, quaeque tandem interpretibus antiquis et recentioribus, orthodoxis atque heterodoxis numquam crucem non fixerint. Nisi haec certa, luculentaque existimentur, nescio profecto quid aliud ratum, quidve perspicuum esse possit.

Jam vero ea omnia Christi, et Apostolorum, quae jam [8] protulimus et adhuc uberius [9] proferemus, testimonia pro

(7) Iren. adv, haer. lib. ii cap. x.
(8) Lib. i cap. i.
(9) Lib. iii cap. ii-iii.

divina Pentateuchi inspiratione, genuinitate, atque authentia vindicanda, ita se habent, ut 1 ad rem ipsam ex professo spectent: ut rem ipsam 2, repetant, geminisque formulis collustrent: loquutionibus etiam 3 constant, quae nihil exhibent insolentis, ac nihil quod non sit commune, usitatum, et fixa rataque significatione contentum: hinc 4 vix et ne vix quidem ullum novimus in illis enarrandis interpretum dissidium; immo novimus unam prorsus eamdemque semper fuisse, ac porro esse de illis intelligentiam, ita ut ipse Colenso non aliter eorum vim se eludere posse ratus, quam [10] accommodationem dogmaticam, imo et ipsam ignorantiam Christo adtribuendo. Sunt igitur explorata, sunt certa, factumque revelationis de divinitate, genuinitate, et authentia Pentateuchi extra controversiam situm esse demonstrant. Sed ejusdem ne sunt generis illa Pentateuchi loca ab Adversario nobis objecta? Mihi sat est si, quae sequentibus capitibus animadvertimus, aliqua cura legantur; pro certo namque habeo omnes mecum de hisce veritatibus consensuros: 1, in ejusmodi locis nullum ex professo de veritatibus, de quibus heic agimus, sermonem institui, illasque ex obliquo tantum ac levissime attingi: potius enim Interpretum peritiam in reddendis Pentateuchi libris ex hebraeo sermone in aliam linguam, quam ipsum primigenium textum afficiunt: sic speciminis gratia contra Pentateuchi genuinitatem et authentiam Colenso illud praeceptum [11] urget, quo Summus Sacerdos [12] jubetur extra castra efferre in locum mundum omnes reliquias vituli pro suo et totius populi peccato oblati: grave enim nimis et ingratum illi visum est,

(10) Conf. dicta lib. i cap. ii-iii.
(11) Lib. cit. Colensi cap. vi p. 43-45.
(12) Lev. cap. iv v. 3-12.

quod Aaron vir jam exactae aetatis per se tam grave pondus extra castra efferre teneretur: at tota difficultas corrueret, ubi hujus loci interpres pro "efferret" verbum והוציא textus hebraici "[13] efferri faciet" vertisset: 2, in iisdem frequenter voces, sententiasque occurrere, quarum potestatem, sensumque, summo licet adhibito studio, nonnisi conjiciendo suspicandoque assequi possumus: cujusmodi est vox חמשים [14] modo armati, modo instructi, modo lumbos succincti ab interpretibus reddita. Horum omnium 5 genuinum sensum a numeris omnibus absoluta vicissitudinum, quibus Hebraei in deserto obnoxii fuere cognitione, a consuetudinibus, moribusque tunc temporis receptis, aliisque id generis notitiis dependere. Hinc 4 si interpretes adeas propositasque ab iis explicationes mutuo compares: mirum nisi [15]commentariorum varietate fatigeris, opinionum autem pugna non summopere commovearis.

Quae plane ostendunt, ea esse Pentateuchi loca a Colenso objecta, e quibus, nisi omnes omnino interpretandi leges labefactentur, nullum depromi possit argumentum, quo genuinitatem, authentiam, divinamque Pentateuchi inspirationem tot tantisque argumentis in tuto positam, atque vindicatam oppugnes, neque umbras colligas, quibus vel tenuiter insitam eisdem evidentiam infusces, neque postremo difficultatem petas, quam δογματικαῖς jure meritoque accenseas, sed tantummodo ἐξηγητικήν.

6. Jam vero, quum haec sint in caussa, omnis nostra contentio cum Adversario huc revocatur, ut genuinam,

(13) Conf. dicenda cap. v.

(14) Conf. dicenda cap. viii.

(15) Conf. Synops. criticor: Math. Poli praesertim Gen. cap. xxxviii.

atque obviam horum Pentateuchi locorum interpretationem determinemus, quae cum firma in illius genuinitatem, authentiam, divinamque inspirationem fide consentire, apteque conspirare possit. Illam vero prae ceteris genuinam, atque obviam tum verborum, tum etiam sententiarum interpretationem vocabimus, atque seligemus, quam, sub infallibili Ecclesiae Catholicae magisterio, accipiendam suadent regulae grammaticae, contextus ac series sermonis, indoles hebraicae linguae, usitata loquendi ratio, aliaque tum generalia, tum particularia criteria ad rectam interpretationem comparandam necessaria. Ad propositum.

CAPUT II.

De hisce difficultatibus in specie: —et in primis de ea, quae afficit familiam Judae, agitur:—status quaestionis proponitur:—nihil tamen, quod falsitatis coargui possit, in ea occurrere multis argumentis evincitur:—Alia tandem bibliorum testimonia ab Adversario pro sua sententia relata, et in alienum sensum detorta explanantur.

7. Cum, plusquam par erat, in ipso elucubrationis suae vestibulo atque aditu exaggerasset Colenso naturam difficultatum, quas sparsim in libris Moysi occurrere judicavit: cumque probe nosset, quotidiana experientia duce, ita homines a natura esse comparatos, ut non tam verborum ambagibus, quam soliditate argumentationis, et ipsa rerum evidentia in eorum judiciis proferendis duci summopere gestiant: ne conjecturis videatur indulgere, nutantibusque inniti judiciis, imo ne temeritatis atque impietatis nota ab omnibus Christianis exacerbatis inuratur; tandem aliquando singula argumenta, singulasque difficultates quae contra Pentateu-

chum obtrudi, urgerique possent, singulis capitibus explanandas duxit, et callide evolvendas. Hinc abs re non erit, si, hisce omnibus difficultatibus occurrentes totis, quae nobis insunt, viribus enitemur ex Adversarii manibus illa arma, quibus Pentateuchi genuinitatem, divinamque inspirationem petit, extorquere, iisdemque instructi in arenam descendere, collatoque pede cum illo congredi, et veracitatem Mosaicae narrationis, quam stricto adoritur gladio, iisdem armis vindicare.

Verum, ut id facilius praestemus, majorique rei intelligentiae consulamus, haud confertim ejus argumenta examinabimus, sed singula singulis disputationibus expendemus. Quapropter de illa heic agimus difficultate salebris quidem obsita, aleaeque, ut ipse Augustinus testatur, periculosae plena ex familia Judae desumpta.

8. Sacra enim historia, leviter summisque, ut ajunt labiis delibata Josephi [1] venditione, ad ea, quae Judam alium Jacobi filium respiciunt sese convertit, illaque [2] duobus in locis sequentibus nobis aperit. Narrat enim primo Judam [3] eodem tempore Sue Chananaeam duxisse uxorem, et ab ea tres liberos suscepisse Her, Onan, et Sela. Pergit sacra historia, atque ulterius edocet, Judam primogenito suo Her ad nuptias cum Thamar ineundas suasisse, et hoc mortuo, Thamar alium filium Onan iterum dedisse; at hisce secundis nuptiis desiderato eventu frustratis nullo modo Judam, ut murai suae et Sela adjungeret, adduci potuisse; ac proinde de die in diem has nuptias procrastinasse: unde factum est ut Thamar et

---

(1) Genes. cap. xxxvii v. 27-28.

(2) Genes. cap. xxxviii v. 1-30, et c. xlvi v. 12.

(3) Genes. cap. xxxviii v. 1 et sequ.

ipsum socerum fraude circumveniret, illique geminos pareret Phares, et Zaram. Tandem [4]alio in loco refert Phares duos suscepisse e matrimonio filios Hesron et Hamul.

9. Quibus recitatis, optimo jure quaeritur, quo tempore haec omnia contingere potuerunt? Cui quaestioni sequentibus Colenso [5] occurrit inquiens: Judas uxorem duxit eodem tempore, quo scilicet venumdatus fuit Joseph: insuper Hesron et Hamul in terra Chanaan, ante Jacobi ingressum in Aegyptum, in lucem editi perhibentur: ergo concludit intra viginti duorum annorum spatium ista omnia contigisse. Verum, supputatis, qui inter has singulas generationes naturaliter ac necessario intercesserant, annis, invenit, mirabile dictu! haec omnia, nonnisi intra triginta annorum spatium, ut minimus annorum numerus petatur, evenire potuisse. Hinc fronte sane pervicaci inferendo statuit, [6] totam historiam de familia Juda libris Moseos consignatam prorsus esse falsam, imo absurdam.

10. Haec ille: nos vero tota mentis adhaesione iis omnibus, quae de familia Juda Moyses memoriae tradidit, id spectamus, in id nervos intendimus, ut summa sedulitate illam temporis diuturnitatem, extensionemque determinemus, quae cum praestituta veritate consentire, apteque conspirare possit et valeat. Tota igitur contentio cum Adversario huc redit, utrum scilicet tempus, quod nimis angustis cancellis se utrinque cohibere posse sibi blanditur Colenso, adhuc, quin ulla narrationi vis inferatur,

(4) Genes. cap. xlvi v. 12.

(5) Colenso oper. cit. cap. ii § 19-21.

(6) Oper. cit. cap. ii § 20. "The above being certainly incredible, we are obliged to conclude that one of the two accounts must be untrue."

protrahi, extendique possit, nec ne. Qua de re cum Divo Augustino statuimus, ac vehementissime affirmamus eo utrinque protrahi, extendique posse, ut tota Adversarii hac de re exceptio proprio veluti pondere gravata penitus corruat, ac prorsus dilabatur.

11. Divus enim Augustinus primo sequentem sibi proponit difficultatem. "[7] Si posteaquam Joseph devenit in Aegyptum, quomodo intra viginti ferme et duos annos (nam post tantum temporis colligitur eos venisse ad eumdem Joseph fratrem suum in Aegyptum cum patre suo) fieri potuerit, ut Judae filii ejus aetatis omnes possent ducere uxores? Nam Thamar nurum suam, mortuo primogenito suo, alteri filio dedit: quo etiam mortuo, expectavit ut cresceret tertius: et cum crevisset, nec illi eam dedit, timens ne et ipse moreretur: unde factum est, ut eidem socero suo se illa supponeret. Quomodo ergo haec omnia intra tam paucos annos fieri potuerint, merito movet."

Cui difficultati sic occurrit, eamque sequentibus diluit. "[8] Scriptura per recapitulationem aliquot annos ante venditum Joseph hoc fieri coepisse intelligi vult: quoniam sic positum est, ut diceretur: factum est autem in illo tempore:" et alibi credendum docuit: "[9] Mox ut adolescere Judas coepit, eum incidisse in amorem ejus, quam duxit uxorem, nondum vendito Joseph in Aegytum." Divus Augustinus igitur hysterologiam, sive anticipationem heic statuit, illaque verba: ויהי בעת ההוא quae Vulgata reddit: "eodem tempore:" non ad proxime praecedentia de

(7) August. quaest. cxxviii in Genes.
(8) August. loc. cit.
(9) August. loc. cit.

venditione Josephi esse referenda, sed longius extendenda contendit, ita ut aliquam de familia Judae historiae partem ante venditum Ioseph accidisse innuere videatur. Nec est, cur id vitio ipsi vertatur.

12. Hanc enim interpretationem, temporisque extensionem suadent, luculenterque demonstrant 1. loca parallela. Phrasis enim ista: בעת ההוא; quam Vulgata heic reddit "eodem tempore" passim in Scripturis, et praesertim in aliis Pentateuchi locis tempus designat non quidem praesens, ac determinatum, sed jam diu praeteritum, et indeterminatum. Sic Moyses sub vitae exitu, praejacto tempore, scilicet [10] anno peregrinationis quadragesimo, et loco, nempe [11] campestribus Moab, quaecumque per totius peregrinationis tempus, tum secunda tum adversa illis contigerant, repetens, universamque legem populo explanans, praemisso inciso בעת ההוא, illud tempus [12] designavit, quo peracta fuit, [13] suadente Iethro, principum populi, tribunorum, et centurionum electio: itemque praefato inciso usus, quando de [14] duabus tabulis lapideis, vel de [15] tribus Levi a reliquis separatione, aliisque [16] id generis jamdiu peractis verba seruit. Nihil igitur prohibet, quominus in sensu jamdiu praeterito heic a Moyse usurpata fuisse dicamus illa verba בעת ההוא. ad designandum scilicet illud tempus, quo primitus Judas, nondum Josepho a fratribus vendito, ex Chananaeis Sue duxit uxorem.

(10) Deut. cap. i v. 3.
(11) Deut. cap. i v. 1. et Numer. c. xxii v. 1.
(12) Deut. cap. i v. 9.
(13) Ex: cap. xviii v. 18-23.
(14) Deut. cap. x v. 1.
(15) Deut. loc. cit. v. 8.
(16) Deut. cap. ii v. 34: cap. iii v. v. 8-12-18-21-23.

Hanc interpretationem, temporisque extensionem suadent, luculenterque demonstrant 2. sacri scriptoris propositum, atque consilium. Moyses enim in hisce filiorum Israel partialibus historiis conscribendis ea mente, eoque ducebatur consilio, ut numquam e conspectu suo ipsum totius historiae principale subjectum, Iacob nempe, amitteret; imo quod capitalius, ut illas distribueret juxta triplicem ejusdem historiae partem. Sic narrata undecim filiorum Israel nativitate, eorumque nominibus scripto consignatis concludit: " [17] Hi sunt filii Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriae." Itemque, ubi de pravo Ruben facinore cum Bala concubina patris sui verba fecit, tempus, locumque quo id contigerat designavit, illudque ad secundam Iacobi historiae partem, ad reditum scilicet a Mesopotamia retulit, inquiens: " [18] Egressus inde (Iacob) fixit tabernaculum trans turrem gregis. Cumque habitaret in illa regione, abiit Ruben ecc." Ad hanc aetatem refert etiam [19] caedes Sichemitarum, imo et ipsam Iosephi historiam: nam sequentibus illam exorsus: " [20] Habitavit autem Iacob in terra Chanaan, in qua pater suus peregrinatus est. Et hae sunt generationes ejus: Ioseph cum sexdecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer ecc." Ad hanc aetatem igitur Iudae historiam retulisse, habitationemque Iacob in terra Chanaan, potius quam Iosephi venditionem per illa verba "ויהי בעת ההיא" Moysen innuere voluisse dicamus, oportet.

Hanc interpretationem, temporisque extensionem suadent 3. luculenterque demonstrant loca consequentia. Hoc enim

(17) Genes. cap. xxxv v. 26.
(18) Gen. loc. cit. v. 21-22.
(19) Gen. cap. xxxiv v. 25-29.
(20) Genes. cap. xxxvii v. 1-2.

pacto praefata verba בעת ההוא ad venditionem Iosephi referri possent, et non potius ad aetatem anteriorem, si Iudae historiam inter et Iosephi aliquis chronologicus nexus intercedere deprehenderetur. At ne ullum quidem hujuscemodi nexus vestigium probari, concedique potest: nam absoluta de Iudae familia narratione, Moyses Iosephi historiam iterum [21] aggreditur, nobisque aperit, quomodo ductum in Aegyptum illum emit [22] Putiphar eunuchus Pharaonis, et quomodo tum in adversis, tum in secundis rerum vicibus fortiter, patienterque sese [23] gessit, semperque pietatem et in Deum, et in patrem, et in infidos fratres [24] coluit. At nemo, nisi Colenso audacior, fingere, serioque asserere potest, quaecumque de Juda Moyses narravit, per illud perquam breve temporis spatium, quod Josephi venditionem inter et ejus ingressum in Aegyptum intercesserat, contigisse. Quum igitur nullus chronologicus nexus heic occurrat, optimo jure fas licitumque nobis est latiorem extensionem hisce verbis בעת ההוא adtribuere.

Hanc interpretationem, temporisque extensionem 4 suadent difficultates, quae ex Adversarii interpretatione necessario profluerent. Posita enim semel, concessaque Colensi interpretatione, ejusque praeposteris deductionibus inde depromptis, non injuria classicae ignorantiae nota onusti viderentur Iudaei, et praesertim ipsa tribus Iuda, quae semper ceteris omnibus praestabat, quaeque reges et pietate, et sapientia insignes in lucem, inque medium protulit, dum hanc Pentateuchi partem, in qua nec ipsius Iudae

(21) Gen. cap. xxxix v. 1.

(22) Genes. loc. cit.

(23) Gen. cap. xl v: 14-15.

(24) Gen. cap. xliii v. 32-34.

incestus cum nuru sua reticetur, licet ex Adversarii sententia falsam, tota mentis adhaesione semper susceperit: imo nec ipse Scriptor evangelicus hujuscemodi nota immunis evaderet, utpote qui ad hanc Pentateuchi partem in Christi genealogia texenda recursum [25] habuerit. Atqui haec omnia absurda sunt, et a divina Evangeliorum inspiratione, quam adhuc profitetur Colenso, prorsus aliena.

Tandem hanc interpretationem, temporisque extensionem suadent 5, omissis, quae ex [26] praecoce pubertate in orientalibus terrae plagis, et ex more penes Iudaeos recepto haud diutius matrimonia differendi depromi possent, argumentis, suadent, inquam, disertae criticorum tum Hebraeorum, tum etiam Christianorum testificationes. Penes Hebraeos enim Aben-Ezra, uti testatur [27] Cartwrightus, monet hisce verbis בעת ההוא non venire tempus illud, quo Ioseph fuit venditus: quod enim heic narratur ante venditionem Iosephi accidit. Ex christianis item plures laudare possumus [28] criticos tum Catholicos, tum etiam Acatholicos. Speciminis gratia unum ex Protestantibus urgemus Seb. Schmidium, qui haec ad rem nostram habet: "[29] Observo, quod Moses mentionem primi Iudae matrimonii post commemoratam historiam de Iosephi venditione faciat, non involvere aliquam necessariam connexionem vel subsecutionem, quasi illud primum matrimonium non ante hanc venditionem contractum esse potuisset. Videntur enim verba illa:

(25) Math. cap. i v. 3.

(26) Conf. Dizion. med. di M. G. Lev.

(27) In collect. Criticor Sac. Scrip. Amstelaed. edit. 1698.

(28) Conf. Math. Poli Synop. criticor: in hunc loc.

(29) In Thesauro Dissertat. elegant. ad select, et illustr. V. et N. Testim. loca.

tempore illo: respectum potius habere ad aetatem Iacobi, sive tempus, quo Iacob terram Canaan incolebat, in qua Patres ipsius peregrini fuerant."

13 Iam vero attentis omnibus, quae hucusque pro nostra interpretatione in pulverem, inque solem protulimus, argumentis, jure optimo huic disputationi possemus finem imponere: quum perquam facilis patet nobis via, qua ostenderemus totam de familia Iudae historiam ab ejus anno aetatis duodecimo usque ad quadragesimum secundum, quo juxta[30] Colenso venit in Agyptum, cum omnibus suis adjunctis evenisse; ne vero plus quam par est, hujuscemodi eventus coacervare non injuria videamur, adhuc heic paullulum commorandum, quo ostendere possemus non minoribus difficultatibus laborare et illam Colensi sententiam, qua docet Hesron et Hamul, utpote in terra [31] Chanaan ante descensum Iacob in Aegyptum, et non potius temporibus insequentibus natos, a priori familiae Iudae historia nonnisi immerito distrahi posse; ac proinde et ipsos intra viginti duorum annorum spatium procreatos fuisse: quod est impossibile.

14. At turpiter hallucinatur: praepostere enim se posse gloriatur ex Scripturis evincere, Hesron et Hamul in terra Chanaan potius, quam in Agypto natos fuisse: omnino enim Scriptura hac de re altum observat silentium; imo nil aliud probabilius innuere videtur, quam quod hi duo Iudae nepotes in locum ejus primogenitorum Her et Onan in terra Chanaan e vivis ereptorum fuerint suffecti.

Et sane: ita rem effert 1°. Scriptura in textu originali:

---

(30) Col. oper. cit. par. i. cap. ii. in nota.
(31) Colenso oper. cit. par. i cap: ii § 19.

ובני יהודה ער ואונן ושלה ופרץ וזרח וימת ער. ואונן [32] בארץ כנען ויהיו בני-פרץ חצרן וחמול: quae latine verti possunt: “Et filii Iuda Her, et Onan, et Sela, et Phares; et mortui sunt Her et Onan in terra Chanaan. Et fuerunt filii Phares Hesron et Hamul.” Iam vero Moyses per haec verba, et praesertim per emphaticum verbum ויהיו vel innuere voluit locum, quo Hesron et Hamul in lucem editi fuerunt, seu ut Colenso contendit, terram Chanaan: vel illam tantum naturalem, quae patrem inter et filios intercedit relationem: vel insuper contrappositionem instituere sibi proposuit inter Her et Onan jam in terra Chanaan absque liberis mortuos, et Hesron et Hamul, qui splendidam post se reliquerunt progeniem. Atqui probari, concedique nullo modo potest primum: nam particula localis שם quae passim in aliis Pentateuchi locis [33] occurrit, prorsus heic praetermittitur: legitur enim tantum: “ [34] Et fuerunt ” non vero: “ et fuerunt ibi: ” imo nec haec sufficeret ad sensus complementum: adhuc enim foret adjiciendum verbum: “ nati: ” ita ut haec foret totius sententiae constructio: “ Et filii Iudae Her et Onan, et Sela, et Phares, et Zara; et mortui sunt Her et Onan in terra Chanaan: ibique vero nati sunt filii Phares Hesron et Hamul. ” Prorsus tamen tum particula localis שם “ibi:” tum participium ילודים: “nati sunt:” heic desiderantur: Hinc factum est, uti plerique verosimilius docent, quod Moyses in conscrib:nda de familia Iudae historia in terra [35] Chanaan peracta, ne verbum quidem ullum

---

(32) Gen. cap. xlvi v. 12.

(33) Gen. cap. ii v. 12, cap. xi v. 7-9-31: cap. xii v. 7 et alibi.

(34) Gen. cap. xlvi v. 12.

(35) Genes. cap. xxxviii v. 12-30.

de hisce Iudae nepotibus fecerit. Nec potest probari concedique secundum: quia si aliter res se haberet; eodem modo, eademque verborum constructione Iudae genealogiam efferret, quo reliquorum genealogias conscripsit, neque a communi loquendi usu in omnibus genealogiis usurpato recederet: in his enim frustra verbum ויהיו quaereres, sed simpliciter [36] ובני invenies: sic volens Moyses edocere Aser una cum duobus nepotibus Aegyptum ingressum, ita rem expressit: " [37] ובני אשר ימנה וישוה וישוי ובריעה ושרח אחתם ובני בריעה חבר-ומלכיאל " Et filii Aser Iamue, et Iesua, et Gessui, et Beria, et Sara eorum soror. Filii Beria Heber et Melchiel. " Ubi igitur Moyses naturalem, quam praeseferunt filii ad patrem, et vicissim, relationem heic innuere vellet, sat superque illi foret sequentibus rem efferre: ובני יהודה ער ואונן ושלה ופרץ וזרח ובני פרץ חצרן וחמול ומת ער ואונן בארץ כנען ". Et filii Iudae Her, et Onan, et Sela, et Phares, et Zara: et filii Phares Hesron et Hamul; at mortui sunt Her et Onan in terra Chanaan. " Moyses igitur contrappositionem heic instituere voluit inter primogenitos Iudae mortuos ex una parte, et primogenitos Phares ex altera; ac si diceret: Her et Onan ob eorum scelera in terra Chanaan periere, in eorum locum vero suffecti sunt, seu fuerunt filii Phares Hesron et Hamul. Nec desunt alia Scripturarum exempla in quibus vocabulum תחת, quod nostro italico aequivalet (in luogo), licet ad sensus complementum necessario requiratur, tamen, utpote intellectu facile, omittitur: sic plus vice simplici illud ipse Moyses omisit in illis casibus

(36) Genes. cap. xlvi v. 9 11.
(37) Genes. loc. cit, v. 17.

[38] enumerandis, in quibus juste pro damno sibi allato reparationem posset damnificatus exigere. Ubi igitur quae desunt supplere velimus, ac verborum nexui, qui abruptus non immerito videtur, consulere, illud incisum, quod nepotes Iudae respicit, ita nobis reddendum erit : ויהיו תחתם בני פרץ חצרן וחמול: " Et fuerunt loco eorum filii Phares Hesron, et Hamul. " Quae quum ita se habeant, liquido fluit nonnisi praepostere arguere posse Colenso, ex praefato loco Hesron et Hamul potius in terra Chanaan, quam in Aegypto fuisse procreatos.

Id ipsum ulterius evincitur 2, ex scriptoris proposito atque consilio. Moyses enim in hisce genealogiis conscribendis non ea mente, eoque consilio ductus fuit, ut locum nativitatis, qui singulis personis de familia Iacob contigerat, commonstraret; imo potius ut Iudaeos quot et quinam eorum progenitores in Aegypto fuerant, edoceret, simulque eos ad justas dignasque Deo rependendas gratias, qui a perquam exiguo septuaginta numero ad innumeram fere multitudinem intra breve duorum saeculorum spatium eos crescere fecit, incitaret. Huc enim faciunt semel atque iterum repetitae ipsius Moysis testificationes: " [39] Haec sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum: " et alibi: " [40] In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Aegyptum: et ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus sicut astra coeli. " Ne igitur crederent Hebraei, Judam hos tantum Sela, Phares et Zara habuisse liberos: neve existimarent, demortuis primogenitis Her et Onan, haud loco illorum suscepisse nepotes Hesron

(38) Exod. cap. xxi v. 32-34.
(39) Genes. cap. xlvi v. 8.
(40) Deut. cap. x v. 22.

et Hamul; Moyses, ut hisce omnibus occurreret, primo loco in Judae genealogia posuit Her et Onan, et obiter indicato loco, quo mortui sunt, ad ceteros filios, et nepotes enumerandos perrexit. Contra igitur ipsius scriptoris propositum contendit Colenso ex hoc loco certe evincere Hesron et Hamul in terra Chanaan, et non alibi, in lucem editos fuisse.

15. Imo heic habes 3, candide lector, quod maxime mireris: nam ipse Colenso, qui nullo plausibili argumento innixus nobis venditare enititur, se posse ex praefato scripturae loco evincere duos Judae nepotes in terra Chanaan natos esse, ac proinde scripturam tamquam falsam traducere, fas licitumque sibi esse duxit ipsa verba Scripturae aliter ac jacent in textu originali, aut prouti reddita sunt in versione patria lingua conscripta, pro lubito transcribere, et pro re sua allegare: pessimo enim jure in primis editionibus verbum "ויהיו fuerunt," quod etiam occurrit in Protestantium versione, quodque summopere, ut vidimus, rectae hujus textus interpretationi inservit, [41] omisit; quamvis in posterioribus verba non vero argumenta emendarit, ipsamque interpunctionem in illis vitiatam immutarit. Quae quum sint in causa, iisdem verbis, quibus Justinus Martyr Tryphonem Judaeum simili in casu urgebat, et nos Adversarium urgemus: " [42] Si simpliciter ac citra malignitatem his verbis recitatis conticuisti . . . tibi ignosci potest. Sin autem ob eam causam, quod te existimaveris disputationem in angustias conjicere posse . . . . errasti. " Utique errasti, mi Colenso, in praeposteris interpretationibus in Scripturam impactis; sed pejus

(41) Colenso oper. cit. par. i cap. ii § 19.
(42) Just. Martyr in Dial. n. 65.

in ipsius Scripturae temeraria interpolatione; ac proinde irrito eniteris conatu adhuc contendere, te posse ex hoc Pentateuchi loco prave intellecto Hesron et Hamul in terra Chanaan natos fuisse arguere.

16. At instat Colenso, nobisque omnia fere [43] Scripturae loca obtrudit, quibus animae cum Jacob Aegyptum ingressae septuaginta fuisse perhibentur, et a quibus vel ideo haud parvum suo errori patrocinium se petere posse [44] autumat, quod absque duobus Judae nepotibus Hesron et Hamul falso septuaginta fuisse dicerentur animae vere ac physice cum Jacob Aegyptum ingressae.

Nos vero, quemadmodum ex Augustino accepimus, quo totam difficultatem solveremus, ab eo etiam mutuabimur, quo horum locorum rectae interpretationi consulamus. Ipse enim sequentibus hac de re suam effert mentem: " [45] Si autem quisquam exigit, quomodo etiam secundum historiae fidem verum sit, Jacob cum septuaginta quinque animabus (loquitur enim juxta Septuaginta) in Aegyptum intrasse: non illo uno die quo venit, ejus ingressum oportet intelligi, sed quia in filiis suis plerumque appellatur Jacob, hoc est in posteris suis, et per Joseph eum constat in Aegyptum intrasse, introitus ejus accipiendus est, quamdiu vixit Joseph, per quem factum est ut intraret. ' Et alibi: " [46] Illud autem est, quod fallit minus ista diligenter intuentes, quoniam scriptum est: Haec autem nomina filiorum Israel, qui intraverunt in Aegyptum simul cum Jacob patre suo. Hoc enim dictum est,

(43) Gen. cap. xlvi v. 8-26-27. Ex i v. 1-5. Deut. cap. x. v. 22.
(44) Colens. loc. cit. § cit:
(45) August. quaest. clxxiii in Genes.
(46) August. de Civ. Dei lib. xvi c. 40.

quia simul cum illo computantur septuaginta quinque, non quia simul jam erant omnes, quando Aegyptum ingressus est ipse: sed, ut dixi, totum tempus habetur ejus ingressus, quo vixit Joseph, per quem videtur ingressus." Juxta Divum Augustinum igitur horum septuaginta ingressus non physice, sed moraliter interpretandus; ita ut etiam qui in Aegypto, vivente adhuc Joseph, nati sunt, non immerito cum Jacob ingressi perhibeantur: a qua interpretatione, ne latum quidem unguem ducimus recedendum: illam enim suadent, luculenterque demonstrant varia rationum momenta.

17. Et sane: illam suadet luculenterque demonstrat 1. philologia. Nam praestantior Scripturae locus, qui, ut redditur in versionibus, Colensianae interpretationi favere videtur, sic jacet in textu originali: “ כל־הנפש הבאה ליעקב מצרימה יצאי ירכו מלבד נשי בני־יעקב כל־נפש ששים ושש ובני יוסף אשר־ילד־לו במצרים נפש שנים כל־הנפש לבית־יעקב הבאה מצרימה שבעים: scilicet: “ Omnis anima ingressa Aegyptum ad Jacob egressa femore ejus praeter uxores filiorum Jacob omnis anima sexaginta et sex: et filii Joseph qui nati sunt ei in Aegypto animae duae: omnis anima domui Iacob adscripta Aegyptum ingressa septuaginta." Iam vero, ut clarissime patet, nulla particula, nullaque vox heic occurrit, quae aliquam concomitantiae speciem praeseferre videtur: nam particula ל nomini Iacob adnexa, licet varios in sensus communiter in [48] Scripturis usurpata invenitur, numquam tamen in locum עם vel את ad con-

---

(47) Genes. c. xlvi v. 26-27.

(48) Conf. Winer. lex. heb. et Chald.

comitantiam designandam suffecta occurrit; saepissime vero e contra [49] relationem unius rei ad alteram innuit. Hoc praejacto, Iacobi nepotes eo ipso quod in Aegypto in lucem editi, vere Aegyptum ingressi sunt; itemque quum a Iacob omnium stipite descendant, intimam ac naturalem ad eum relationem habeant oportet. Nullo igitur modo ex hoc loco Adversarius evincere potest, omnes septuaginta animas, ac proinde Hesron et Hamul, jam in terra Chanaan natas fuisse, quum etiam in nostra sententia possent vere dici Aegyptum ad Iacob ingressi.

Illam suadet, luculenterque demonstrat 2, mutuus respectus inter verba quibus usus est Moyses in prima sententiae parte, et ea, quibus totam sententiam absolvit. Ubi enim in prima parte dixit : " [50] Omnis anima ingressa Aegyptum ad Iacob": seu uti Vulgata reddit: " Cunctae animae, quae ingressae sunt cum Iacob in Aegyptum:" in altera vero rem melius expressit, inquiens: " [51] Omnis anima domui Iacob adscripta Aegyptum ingressa septuaginta: " quibus verbis omnis removetur de contemporaneo una cum Iacob in Aegyptum ingressu praepostera interpretatio, imo positive contraria inducitur: nam inter septuaginta adnumerantur Ioseph cum duobus natis Ephraim et Manassen, qui numquam cum Iacob in Aegyptum descenderant. Quum igitur vox " ingressa" etiam heic de iis qui in Aegypto nati erant adhibeatur : jure nostro inferimus, etiam Hesron et Hamul, qui prouti contendimus non in terra Chanaan sed in Aegypto fuerunt

---

(49) Loc. cit.
(50) Genes. cap. xlvi v. 26.
(51) Genes. loc. cit. v. 27.

in medium inque lucem editi, non physice sed moraliter cum Iacob Aegyptum fuisse ingressos.

Illam suadet luculenterque demonstrat 3, loquendi usus communiter a Moyse usurpatus. Solet enim ille de liberis non modo immediatis, verum etiam mediatis ita disserere, et quae uni sunt propria, ita alteri adtribuere, ac si una eademque essent persona. Sic speciminis gratia Deus perhibetur Iacobum adlocutus: " [52] Ego descendam tecum illuc (in Aegyptum), et ego inde adducam te revertentem: " quae postrema verba non Iacobum, sed potius innumeram ejus progeniem afficiunt. Quae quum ita se habeant, nihil prohibet, quominus Iacobi ingressum in Aegyptum non ad ejus immediatos liberos tantum, verum etiam ad ejus nepotes, qui adhuc vivo Iosepho prima ac praecipua hujus ingressus causa in Aegypto nati, extendamus. Quam rationem sequentibus promit Augustinus: " [53]Sicut (scriptura) dicit: hi filii Liae, quos peperit ipsi Iacob in Mesopotamia Syriae: loquens etiam de iis, qui non erant nati; quia illic parentes eorum, ex quibus nati sunt, pepererat, ibi eos perhibens natos, quoniam caussa qua nascerentur ibi nata est, id est parentes eorum, quos ibi Lia peperit: ita quoniam caussam intrandi in Aegyptum Iacob in Ioseph habuit, totum tempus, quo in Aegypto vixit Ioseph, ingressio erat Iacob in Aegyptum per suam progeniem, quae illo vivo propagabatur, per quem factum est, ut ingrederetur. "

Illam suadet tandem luculenterque demonstrat 4 versio septuaginta interpretum. In ea enim non modo se-

(52) Gen. cap, xlvi v. 4.

(53) August. quaest. clxxiii in Genes.

ptuaginta, sed etiam septuaginta quinque animae, additis et aliis quinque ex Iosepho prognatis, cum Iacob Aegyptum perhibentur ingressae. At hi certe in Aegypto et nonnulli saltem post Iacobi obitum prodiere. Septuaginta igitur Interpretes non omnes physice, sed nonnullos moraliter cum Iacob Aegyptum ingressos esse existimarunt. Qua in re dignus est qui audiatur Augustinus: ita enim hac de re scriptum reliquit: "[54] Ingressi itaque referuntur in Aegyptum simul cum ipso Iacob septuaginta quinque homines, annumerato ipso cum filiis suis. In quo numero duae tantum feminae commemorantur, una filia, neptis altera. Sed res diligenter considerata non indicat, quod tantus numerus fuerit in progenie Iacob die vel anno, quo ingressus est Aegyptum. Commemorati sunt quippe in eis etiam pronepotes Ioseph, qui nullo modo jam tunc esse potuerunt: quoniam tunc centum triginta annorum erat Iacob, filius vero ejus Ioseph triginta novem: quem cum accepisse trigesimo anno suo, vel amplius, constet uxorem, quomodo potuit per novem annos habere pronepotes de filiis, quos ex eadem uxore suscepit? Cum igitur nec filios haberent Ephraem et Manasses filii Ioseph, sed eos pueros infra quam novennes Iacob Aegyptum ingressus invenerit, quo pacto eorum non solum filii sed etiam nepotes, in illis septuaginta quinque numerantur, qui tunc Aegyptum ingressi sunt cum Iacob? Nam commemoratur ibi Machir filius Manasse, nepos Ioseph, et ejusdem Machir filius, id est Galaad, nepos Manasse, pronepos Ioseph: ibi est et quem genuit Ephraem, alter

(54) August. de civ. Dei lib. xvi c. 46.

filius Ioseph, id est, Utalaam, nepos Ioseph, et filius ipsius Utaloae Edem, nepos Ephraem, pronepos Ioseph: qui nullo modo esse potuerunt, quando Iacob in Aegyptum venit, et filios Ioseph nepotes suos, avos istorum, minores quam novem annorum pueros invenit. Sed nimirum introitus Iacob in Aegyptum, quando eum in septuaginta quinque animabus Scriptura commemorat, non unus dies vel unus annus, sed totum illud est tempus, quamdiu vixit Ioseph, per quem factum est ut intrarent."

18. Iam vero, quae sparsim attulimus in unum colligendo hoc exsurgit argumentum. Inspectio, quam hucusque instituimus, locorum parallelorum, scriptoris consilii atque propositi in hac historia conscribenda, verborum ac sententiarum mutui respectus, et tandem sensus praestantissimorum sacrae Scripturae interpretum auctoritatem nobis confert inferendi absque ulla errandi formidine tempus intra quod ea, quae de familia Iudae Scriptura testatur, peracta fuerunt, utrinque, plusquam fieri posse prima facie legentibus videtur, dilationem extensionemque suscipere posse: in id enim haec omnia conspirant, eoque tendunt ut non post Iosephi venditionem, et ante Iacobi ingressum in Aegyptum, sed tum ante venditum Ioseph, tum post Iacobi ingressum, quae de familia Iudae narrantur et incepta et absoluta fuisse, ostendant. Atqui id unum sufficit ad veracitatem Mosaicae narrationis quoad hanc partem vindicandam. Et sane: fac Iudam anno aetatis suae decimo septimo, prouti Hebraeorum in more positum fuisse testatur " Van-

(5?) Vandew. Diction. evang. pag. 314.

dewardt, matrimonium cum Sue iniisse, seu quod idem est tribus annis ante venditum Ioseph: itemque, nato primo matrimonii anno primogenito Her, fac singulis trienniis, quo [56] tempore Hebraeorum mulieres solebant ut plurimum suos ablactare parvulos, eum suscepisse Onan, et Sela; nativitas Selae anno aetatis Iudae vigesimo quarto, a venditione Ioseph anno quarto responderet. Itemque fac primogenitum Iudae Her anno aetatis suae decimo septimo, seu anno patris sui Iudae trigesimo quinto, a venditione Ioseph decimo quinto Thamar sibi duxisse in uxorem: eoque post duos annos mortuo, ac post totidem alios ejusdem fratre Onan, Iudam per alios duos annos distulisse Selae cum Thamar matrimonium; nativitas Phares et Zara responderet Iudae aetatis anno quadragesimo secundo, a venditione Ioseph vigesimo secundo. Judas igitur anno aetatis suae quadragesimo secundo, prouti contendit Colenso, et a venditione Ioseph vigesimo secundo potuit secum ducere in Aegyptum geminos Phares et Zara in terra Chanaan natos: quorum alteri postea in Aegypto nati sunt Hesron et Hamul familiae Iacobi a Moyse adscripti et moraliter cum avo in Aegyptum ingressi. Iudae igitur historia talis est, ut ne ullum quidem de sua veracitate dubitandi periculum relinquat; imo ut etiam plus quam opus est a se invicem distractis, quae in ea occurrunt, eventibus, semper rata fixaque maneat.

19. Hinc factum est, ut semper ejus veracitatem agnoverint Patres, pleraque ex ea in suos usus de re christiana agentes derivarint. Hac mente enim, hocque consilio 1, ea usi sunt, ut peccatores in spem Divinae

(56) 2 Macb. c. vii v. 27.

Misericordiae erigerent. Sic Hieronymus recitatis scripturae verbis: " Iudas genuit Phares et Zaram de Thamar: " subdit, inquiens: " [57] Notandum in genealogia Salvatoris nullam sanctarum assumi mulierum; sed eas, quas Scriptura reprehendit: ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret. " Et Chrysostomus: " [58] Vides ipsum, inquit, non levi de causa totam commemoravisse Iudae historiam? Idcirco etiam Ruth, et Rahab meminit, quarum altera alienigena, altera meretrix erat; ut edisceres ipsum venisse ut mala nostra omnia solveret. Ut medicus enim non ut Iudex venit. Quemadmodum igitur hi fornicarias duxere mulieres; ita et Deus naturam fornicatam copulavit sibi. "

Hac mente atque hoc consilio ea usi sunt 2 ut mulieres, et praesertim Dei ancillas a nimio ornatu cohiberent. Sic Tertullianus sequenti eas urgebat exemplo: " [59] Thamar illa quia se expinxerat et ornaverat, idcirco Iudae suspicione visa est quaestui sedere; adeo, quia sub velamento latebat, habitus qualitate quaestuariam mentiente, et fecit, ut quaestuariam, et voluit et compellavit, et pactus est. Unde addiscimus adversus congressus etiam et suspiciones impudicas providendum omni modo esse. "

Hac mente atque hoc consilio ea usi sunt 3 ut evincerent Christianam Religionem etiam ante legislationis Hebraicae promulgationem typice praeostensam fuisse. Qua de re ita se habet Irenaeus: " [60] Haec et per alia quidem

(57) Hieron. lib. i Comment. in Math.

(58) Chrys. hom. iii in Math.

(59) Tertul. de cultu foemin. lib. ii c. 12.

(60) Iren. Adv. haer. lib. iv cap. 42.

multa, jam vero et per Thamar Iudae nurum typice ostenditur. Cum enim concepisset geminos, alter eorum prior protulit manum suam: et cum obstetrix putaret eum primogenitum esse, coccinum alligavit signum in manu ejus. Cum hoc autem factum esset, et abstraxisset manum suam, prior exivit frater ejus Phares, sic deinde secundus ille, in quo erat coccinum Zara: clare manifestante Scriptura eum quidem populum, qui habebat coccinum signum, id est, eam fidem, quae est in praeputio, praeostensam quidem primum in Patriarchis, post deinde subtractam, uti nasceretur frater ejus: deinde sic eum, qui prior esset, secundo loco natum, qui est cognitus per signum coccinum, quod erat in eo, quod est passio justi ab initio praefigurata in Abel, et descripta a Prophetis, perfecta vero in novissimis temporibus in Filio Dei. Huic etiam consonant [61] Chrysostomus, [62] Auctor operis imperfecti, [63] Theodoretus, aliique.

Hac mente atque hoc consilio 4 eam doctis commentariis et illustrationibus cumularunt. Sic Chrysostomus illustrata Iosephi venditione, sequentibus Iudae historiam aggreditur: " [64] Verum in medio alia quaedam narratio interjacet, quam non aequum est nos praeterire: sed opus est, ut quantum possibile est perscrutemur, et sic iterum ad argumentum Iosephi redeamus. Quaenam igitur illa, quae interseritur narratio? Illa de

(61) Chrys. hom. lxii in Genes. et hom. iii in Math.
(62) Auct. oper. imp. hom. i in Math.
(63) Theodor. in Genes.
(64) Chrys. in cap. xxxviii Genes.

Iuda." Pari modo sese gesserunt [65] Hieronymus, [66] Augustinus, [67] Theodoretus, aliique permulti.

Hac mente tandem, atque hoc consilio, ne plura persequar, 5 illam pro virili ab Adversariorum ictibus texerunt, omnesque difficultates, quibus communiter impeti solet, non ex visceribus caussae, ut ita dicam, sed vel ex Interpretum inconsideratione vel ex ignorantia repetendas docuerunt. Sic Augustinus in locis supra laudatis.

20. Quae quum ita se habeant, nullo modo nos injustitiae insimulabit Adversarius, dum finem huic sat prolixae disputationi imponentes eum cum Divo Augustino iis adnumeramus "[68] qui non intelligentes citius volunt exagitare quod non intelligunt, quam quaerere ut intelligant: et non fiunt humiles inquisitores, sed superbi calumniatores."

CAPUT III.

Aaron ejusque filii, qui advocata concione ad ostium Tabernaculi initiantur sacris:—rationes, quibus veracitas hujus narrationis ab Adversario in discrimen vocatur, expenduntur:—hisce omnibus occurritur, duplicique ex capite veracitati Mosaicae narrationis consulitur.

21. Quum facilius sit, teste [1] Plutarcho, gentes litteris, legibus, domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiorum et theatrorum nescias, quam eas sine Diis, sa-

(65) Hieron. in quaest. in Genes.

(66) August. lib. xxii in Faust. c. 48 aliisque locis.

(67) Theodor. iu Genes.

(68) August. serm. ii de tentat. Abrah.

(1) Plutar. adv. Coloten.

cerdotibus, sacrificiis invenire: quumque Deus populum Hebraeum non modo variis, ac multiplicibus prae ceteris terrae populis amoris significationibus complecteretur, novisque in dies singulos benefactis ornaret, verum etiam eum in populum late regem, belloque superbum erigeret; ideo eum loco publico cultui destinato, sacerdotibus, ac sacrificiis diutius carere haud est passus. Hinc primo mense alterius anni ab eorum liberatione a servitute Aegyptiaca excitatum ac solemni sacroque ritu dedicatum fuit tabernaculum testimonii, divinaque historia ipsum Deum, ut Aaron cum filiis suis sacerdotio initiaret, Moysi praecipientem effert sequentibus verbis: "[2] Tolle Aaron cum filiis suis, vestes eorum, et unctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, canistrum cum azymis." Nec satis: ut majori enim cum pompa, majorique splendore haec omnia peragerentur, rursus Deus Moysi praecepit: "[3] Et congregabis omnem coetum ad ostium tabernaculi: " quae postrema verba sic jacent in textu originali: " זאת כל־העדה הקהל אל־פתח אהל מועד ; scilicet: " Et omnem illum coetum congrega ad ostium tabernaculi conventus." Quibus Dei praeceptis Moyses obtemperans: "[4] Fecit, ut Dominus imperaverat." ותקהל העדה אל־פתח אהל מועד " Et congregatus est ille coetus ad ostium tabernaculi conventus."

22. Verum quod Moysi re actuque facile fuit, Colenso physice impossibile videtur: contendit enim hoc et nonnullis aliis Pentateuchi locis nomine coetus, seu congre-

---

[2] Lev. cap. viii v. 2.

[3] Lev. loc. cit. v. 3.

[4] Lev. loc. cit. v. 4.

gationis non venire seniores populi,[5] sed totam Hebraeorum multitudinem, seu ut minimus numerus [6] petatur, illa sexcenta tria millia, quingenti quinquaginta hominum, qui totius Hebraeorum exercitus robur constituebant. Insuper hos omnes, ut vere dicerentur constitisse ad ostium tabernaculi, ipsius atrium divino obtemperantes praecepto autumat fuisse [7] ingressos. Quibus praejactis comparationem numerum hujus multitudinis inter et longitudinem et latitudinem atrii tabernaculi [8] instituit, eoque devenit, ut nullo modo hos omnes totius atrii superficiem capere potuisse contenderet. Haec enim occupabat in longitudine cubitos centum, in latitudine quinquaginta, qua in extensione vix et ne vix quidem, ut patet, quinque millia hominum consistere possent. Hinc inferendo pessimo jure [9] colligit prorsus esse impossibile Deum per Moysen totam Hebraeorum multitudinem ad ostium tabernaculi voluisse congregatam, illamque re actuque hujuscemodi praecepto obtemperasse.

At ne levissimam quidem umbram, qua vel tenuiter insitam huic narrationi veracitatem infusces, humanissime

---

(5) Colenso oper. cit. par. i. cap. iv. § 31-32.

(6) Colenso loc. cit. §. 33: " But let us confine our atteution for the present to the 603, 550 warriors Num. ii v. 32 who certainly must have formed a part of the whole Congregation. "

(7) Colenso loc. cit. §. 35: " As the text says distinctly at the door of the Tabernacle, they must have come within the Court. "

(8) Colenso loc. cit. §. 36-37.

(9) Colenso loc. cit. §. 38. " It is inconceivable how, under such circumstances, all the Assembly, the whole Congregation, could have been summoned to attend at the door of the Tabernacle, by the express command of Almighty God. "

lector, colligas, ubi veram atque sinceram horum verborum העדה :“ ille coetus”: et אל־פתח: “ad ostium:” notionem perspectam habueris. Sacer enim Scriptor totus in eo est, ut ostendat 1, seniores ac principes populi ad hanc solemnitatem praesertim fuisse convocatos: 2, hos omnes ita convocatos potius ad ostium tabernaculi conversos, quam intra ejus septa constitisse.

23. Et sane: quod primo loco posuimus evincimus 1°. argumento phylologico. Moyses enim quoties de populo suae fidei commisso verba fecit, illum quatuor nominibus [10]עם nempe, [11]בני־ישראל, [12]קהל, et[13]עדה praecipue designare consuevit. Et licet quandoque indiscriminatim in eadem narratione hisce usus; tamen praeter ideam his omnibus communem, eamque generaliorem, scilicet multitudinis, aliam secundariam, eamque singulis propriam, praeteriri haud est passus. Multitudinem enim Hebraeorum nomine עם cohonestavit, ut illam speciali cura, divinoque praesidio munitam a ceteris gentibus ethnica superstitione imbutis, Deoque exosis [14] secerneret: itemque בני־ישראל vocavit, ut ejus nobilem originem, prouti verba ipsa innuunt, celebraret, utpote quae a Jacob tot tantisque Dei promissis, divinisque visionibus donato prognata. Hanc ipsam vocibus קהל et עדה designavit, ut eam non dispersam, sed in unum congregatam innueret. Hinc factum est ut quoties congregatio indicanda, Moyses modo קהל modo עדה

---

(10) Exod. c. xv v. 13, Deut. c. vii v. 6, c. xxxii v. 36.
(11) Exod cap. i v. 1, 7, 9, 13, cap. ii v 23-25 et sequ.
(12) Exod. cap. xvi v. 3, Lev. c. iv v. 13, Deut. c. xxiii v. 2.
(13) Exod. c xvi v. 22, Lev. iv v. 15 et viii v. 3-4.
(14) Ex contex. Exod. c. vi v. 7, c. xv v. 13, aliisque.

usurparet. Qua ratione vero? Certe non semper indiscriminatim, sed prouti vel generalem, vel partialem et nonnullorum tantum coetum innuere vellet: quod ex ipsa vocum radice demonstrare enitemur. Vox enim [15] קהל a verbo קהל in forma Kal inusitata originem ducit, quod congregare significat; ac proinde vox קהל congregationem, quaecumque illa sit, importat, sive ob bonum, sive ob pravum finem coadunata, tum e gentibus, tum ex hebraeis conflata, tum in qua res maximi, tum parvi momenti pertractantur: seu pressius congregationem quidem denotat, sed prorsus indeterminatam. Vox [16] עדה e contra, a verbo יעד quod idem est, ac constituere, definere, destinare, et determinare, oritur; ac proinde, prouti cetera hujus verbi derivata, cujusmodi sunt [17] אהל מועד "tentorium nempe ad Deum adorandum destinatum, seu tabernaculum, et [18] מועד "dies scilicet designati seu festivi:" licet varie inflexa non amittunt significationem vocis radicalis: sic vox עדה congregationem sed destinatam, statutam, ac determinatam significet, necesse est. Quum igitur Moyses heic et in [19] nonnullis aliis locis a Colenso allegatis non voce קהל, prouti in [20] aliis ab eodem Adversario pro sua sententia tuenda in medium, inque lucem editis, usus, sed sola voce עדה, merito dicimus, eum heic et in aliis parallelis locis non quam-

(15) Conf. Winer. Lex. heb. et chald.

(16) Apud Winer Lex. cit.

(17) Lex. cit.

(18) Lex. cit.

(19) Ex. c. xvi v. 2, Num. c. i v. 18 e. xv v. 36.

(20) Ex. cap. xii v. 6, c. xvi v. 3, Num. xiv v. 5, c. xvi v. 47 et Josue c. viii v. 35.

cumque congregationem et indeterminatam, sed quae jam alias nota, determinata, ac vocari solita, innuere voluisse:

24. Cui interpretationi haud leve robur accedit ex praefixo ה voci עדה adjecto: plane enim apud omnes compertum, hujuscemodi praefixo Hebraeos loco articuli definiti uti ad ea quae sunt determinata ab indeterminatis discriminanda: hinc vox העדה quae in hac narratione semel atque iterum repetitur, non simplicem congregationem, sed illam jamdiu destinatam, omnibusque perspectam (italice la congregazione) praemonstret, necesse est. At ecquis erat ille coetus jamdiu notus, et prae aliis determinatus? Sublato coetu seniorum populi, nescio profecto quinam alius fingi atque excogitari possit.

Id ipsum evincimus 2, argumento ex consequentibus deprompto. Moyses enim, praestituto hoc divino praecepto, ulterius progreditur, et graphice nobis describit Aaronis, et filiorum ejus consecrationem, tum subdit: "[21] Facto autem octavo die, vocavit Moyses Aaron, et filios ejus, ac majores natu Israel." Paucis dein interjectis prosequitur: "[22] Cum omnis multitudo astaret כל העדה ait Moyses: iste est sermo, quem praecepit Dominus: facite, et apparebit vobis gloria ejus." Heic Moyses, ut clarissime patet, de institutione Aaronici sacerdotii, de qua in capite praecedenti, narrationem prosequitur, ac ulterius edocet quomodo כל העדה omnis multitudo prompto ac alacri animo, quae ad sacrificia necessaria, protulit. At hujusmodi multitudo majoribus natu Israel constabat: "[23] vocavit enim majores natu Israel:" nec insuper

---

(21) Lev. cap. ix v. 1.
(22) Lev. loc. cit. v. 5-6.
(23) Lev. loc. cit. v. 1.

ullo modo credibile majorem populi coetum voluisse Moysen, jubente Deo, congregatum ad fratris sui consecrationem, quam ad gloriam Dei contuendam. Seniorum populi coetum igitur et non universam Hebraeorum multitudinem in hac facti specie innuere Moysen voluisse dicamus, oportet.

Insuper evincimus 3 ex parallelismo inter vocem, qua Moyses in advocanda hujusmodi concione usus, et illam, quam in illo coetu designando, cujus homicidium voluntarium ab involontario discernere erat, usurpavit. Legitur enim: "[24] Ait Dominus ad Moysen: loquere filiis Israel, et dices ad eos: quando transgressi fueritis Jordanem in terram Chanaan, decernite, quae urbes esse debeant in praesidia fugitivorum, qui nolentes sanguinem fuderint; in quibus cum fuerit profugus, cognatus occisi non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis עדה et causa illius judicetur." Jam vero coetus ille עדה qui de homicidio sententiam dicere heic jubetur, toto coelo ab universa Hebraeorum multitudine diversus, distinctusque sit, oportet: prorsus enim et quidem physice impossibilem heic rem Moyses praeciperet, si omnes et singulos Hebraeos per totam terram Chanaan dispersos in unum locum congregatos voluisse fingi velimus: et hoc praesertim, quum non omnes et singuli in varia distracti, variisque Reipublicae commoditatibus intenti apti esse possent ferendae hisce de criminibus sententiae. Hujuscemodi coetus igitur עדה ab illis personis coalescere tantum poterat, qui sedula praeceptorum judicialium meditatione ad tam grave munus sibi a

(24) Numer. cap. xxxv v. 9-12.

Moyse demandatum recte justeque obeundum idonei evadebant. Prouti heic igitur nomine עדה "coetus" illi necessario veniunt, quibus Hebraeorum Respublica gerenda administrandaque erat: sic quando idem עדה "coetus" in Aaronis cum suis initiatione convocatus occurrit, de iisdem ipsis heic agi non immerito contendimus.

Imo si omnia alia argumenta deficerent, id ipsum tandem 4 evinceret loquendi usus communiter ab hominibus usurpatus. Nam Sacra Scriptura in hominum institutionem conscripta non modo ab hoc loquendi usu haud refugit, verum etiam tum divina praecepta, tum ea quae ejus perfectissimam naturam attingunt, hac ratione efferre consuescit. At neminem umquam latuit, imo ne latere hisce nostris temporibus quidem potest, eos, qui civium partes in Reipublicae negotiis sustinent, non nomine proprio, sed totius civitatis, quam repraesentant, quaecumque egerint, sive bona, sive prava illa sint, solitos esse cohonestare, eorumque sanctiones, qua voce, qua scripto, ac si omnium et singulorum civium una voluntas esset, efferri consuevisse. Quum igitur nimis a vero aberrasse dicendus quicumque communis loquendi usus haud satis gnarus, ea omnia quae a paucis, iisque in summo reipublicae gradu constitutis, peracta fuerint, tamquam omnium et singulorum civium voluntate obfirmata aestimaret: non immerito Colenso, qui Dei praeceptum Pentateucho consignatum כל־העדה הקהל et in Vulgata sequentibus redditum, "congregabis omnem coetum" omnes et singulos Hebraeos vel saltem sexcenta tria millia quingentos quinquaginta, et non potius juxta communem loquendi usum principes tantum populi

complecti ratus, tamquam homo novus, recensque in mundo hospes a nobis traducitur.

25. Sive igitur verba Moysis "כל־העדה omnem coetum" ex philologia, sive ex locis consequentibus, sive ex locis parallelis, sive tandem ex communi loquendi usu ab hominibus usurpato perpendamus, certum est, Moysen non omnes et singulos Hebraeos ad hanc caeremoniam convocasse; ac proinde Colenso in latissima significatione, quam illis adtribuit, et in deductione inde deprompta turpiter errasse, prouti primo loco demonstrandum assumpsimus.

Verum falsitas Colensianae exceptionis in Pentateuchum impactae ulterius evincitur ex iis, quae secundo loco nobis observanda veniunt. Contendit enim ille omnem multitudinem filiorum Israel intra Atrium Tabernaculi constitisse, qua in interpretatione, tota, ut vera fatear, quam reprehendit Colenso, impossibilitas consistit. At quam praepostera sit horum verborum "אל־פתח ad ostium," Colensiana interpretatio sequentibus ostendemus: potius enim modum, quo consistere ille coetus jussus, quam locum, in quo congregandus erat, praefatis verbis contendimus denotari.

26. Et sane: quod Moyses potius modum standi, quam locum apposito illo אל־פתח innuere vellet eruitur 1 argumento philologico. Nam particula אל cui respondet latina ad, toto coelo ab his, quae statum in loco indicant, ב nempe, et על discriminatur: licet enim illa in [25] varios, inque diversos sensus minus sibi communes ac proprios quandoque distrahatur, tamen et unum universaliorem

(25) Conf. Winer. Lex. hebr. et Chald.

atque communiorem praeseferre constanter deprehenditur, quo tendentia unius ad alterum, quod particulae "ad" apud Latinos aeque proprium est, significatur. Quum igitur agiographus Scriptor prae particulis ב et על locum denotantibus semel atque iterum sola אל usus, nihil prohibet, quominus verba textus originalis superius transcripta verius reddantur: "Congregabis העדה coetum illum intendentem, seu conversum ad ostium tabernaculi conventus . . . et congregatus est ille coetus intendens, seu conversus ad ostium tabernaculi." Potius heic igitur modum quem stando observare jussi, quam locus, in quo erant congregandi significatum habemus.

Id ipsum eruitur 2, ex primario hujus concionis fine atque consilio. Clare enim ac diserte ipsa Scriptura tam solemnis concionis finem nobis aperit, dum dicit: "[26] Cum omnis multitudo astaret, ait Moyses: iste est sermo, quem praecepit Dominus: facite et apparebit vobis gloria ejus." Et paucis dein interjectis subdit: "[27] Ingressi autem Moyses et Aaron in tabernaculum testimonii, et deinceps egressi benedixerunt populo. Apparuitque gloria Domini omni multitudini: et ecce egressus ignis a Domino (idest e [28] coelo) devoravit holocaustum, et adipes, qui erant super altare. Quod cum vidissent turbae, laudaverunt Dominum, ruentes in facies suas." Ob hunc finem igitur coetus ille convocatus, ut spectator esse posset gloriae Domini, atque melius intelligeret, qua veneratione digni, et quo honore, atque obsequio prosequendi Summi Regis sacri Ministri, quo-

(26) Lev. cap. ix v. 5-6.

(27) Lev. loc. cit. v. 23-24.

(28) 2 Mach. c. xi v. 10.

rum initiationem miris atque stupendis suae Omnipotentiae signis haud dedignatus est Deus ipse celebrare, ac veluti quodam sigillo confirmare. Sed tum qui longe, tum qui prope dummodo ad tabernaculum conversi aderant, gloriam Domini, ignemque e coelo advenientem contueri poterant, quin ipsius atrii septa ingredi compulsi essent: perperam igitur Colenso universam multitudinem ex hoc Divino praecepto intra atrium tabernaculi consistere jussam ostendere enititur.

Id ipsum 3 eruitur ex parallelismo inter appositum heic a Moyse usurpatum, et illud quo similis coetus stationes in aliis Scripturae locis designari consuescunt. Deus enim explicans Moysi duarum tubarum usum, modumque aperiens, quo populi conciones indiceret, haec ad rem nostram habuit: "[29] Cumque increpueris tubis, congregabitur אליך ad te omnis turba אל פתח אהל מועד ad ostium tabernaculi conventus:" ubi omnis turba diserte coram Moysen, in ostio tabernaculi constituto coire jubetur; ac proinde, quum hujuscemodi tabernaculi aditus jam a Moyse occupatus, Hebraeorum multitudo non intra, verum ante illum huc illuc dispersa, inque eum intendens consistere poterat. Pariterque ubi omnes majores natu, aliique plurimi arcam foederis Domini de civitate David in Templum a Salomone excitatum delatum iverunt, prius regem ipsum adierunt testante Scriptura: "[30] Congregati sunt omnes majores natu Israel cum principibus tribuum, et duces familiarum filiorum Israel ad regem Salomonem in Jerusalem אל המלך שלמה ירושלם ut deferrent arcam

(29) Numer. c. x v. 3.
(30) 3 Reg. cap. viii v. 1.

foederis Domini de civitate David.' Jam vero particula אל nihil aliud heic innuere potest, quam quod hi omnes coram rege sese collocarunt. Ubi igitur nobis descripsit Moyses populi congregationem אל־פתח ad ostium tabernaculi tum ad Aaronis consecrationem contuendam, tum etiam ad Dei gloriam concelebrandam, haud necessum est ut hos omnes physice vel ipsum tabernaculi ostium, vel ejusdem atrium tantum implevisse fingamus, quum vere dici possent אל־פתח consedisse, si extra ostium, imo extra ejusdem atrii septa, dummodo ad haec loca conversi permanserunt.

Id ipsum eruitur 4 ex communi hominum sensu. Plane enim compertum, perspectumque est, homines in hanc unam coire sententiam, ut in publicis conventibus, quando unio physica aliquo intercedente impedimento, haud haberi potest, unionem moralem satis esse credant: sic eos fidem habere cernimus etiam iis, qui se ecclesiam adiisse, conciones auscultasse, deque aliis ecclesiasticis bonis partecipasse testantur, quamvis extra templi septa ob ingentem multitudinem positi, dummodo cum ea, mente et animo seu moraliter conjuncti. Quae quum ita se habeant, ecquis Moysi dicenti omnem coetum ad ostium tabernaculi constitisse vel ideo fidem habere detrectat, quia non omnes physice ostium, et atrium tabernaculi occupasse, sed partim physice, partim moraliter hisce in locis adfuisse videntur?

Id tandem 5, eruitur ex loquendi usu communiter ab hominibus usurpato. Neminem enim latet, quotidiana diaria, quin vel minima ignorantiae, aut falsitatis nota inurantur, plus vice simplici referre innumeram hominum multitudinem sive ad sacri Templi, sive ad regalis palatii,

sive demum ad alicujus publici aedificii fores consedisse, licet non omnes physice in illo perquam angusto spatio sese conglomerasse credendum. At Pentateuchum speciem diarii rerum ab Hebraeis gestarum in deserto praeseferre nemo est qui ignorat: nonnisi igitur temere, vel ideo quis huic narrationi fidem habere detrectat, quia omnis Hebraeorum multitudo perhibetur ad ostium tabernaculi, jubente Deo, constitisse.

Jam vero ex his omnibus, quae hucusque animadvertimus, ultro fluit, nullo modo potuisse Colenso, ut difficultatem crearet, authentiamque Pentateuchi in falsi suspicionem vocaret, contendere per haec verba ואת כל־העדה הקהל אל־פתח אהל מועד "congregabis omnem coetum ad ostium tabernaculi," significari, quod universa Hebraeorum saltem virorum multitudo fuerit convocata, sicque coadunata intra atrii tabernaculi septa constiterit. Nae igitur caussa nostra in tuto est posita, ac rata fixaque manet hac de re veracitas historica Pentateuchi.

27. Hinc factum est, ut Scriptores tum Judaei tum Christiani nullo modo dubitarent hanc Pentateuchi historiam suis in scriptis transcribere, argumentaque ad rem suam constabiliendam inde depromere.

Hac mente atque hoc consilio, ut commentaria Rabbinorum, versiones, paraphrases Chaldaicas tacitus praeteream, Josephus Flavius in suis Antiquitatum libris postquam tabernaculum in eremo excitatum dixerat, ejusque varia utensilia descripserat, etiam Aaronis consecrationem relatu dignam censuit. Ait enim: "[31]Quam primum autem Tabernaculum praedictum consummatum erat, donariis

(31) Joseph. lib. iii cap. 8 Antiquit.

vero nondum rite consecratis, Moysi apparuit Deus, jussitque ut Sacerdotium Aaroni fratri suo conferret, ut qui ceteris ob virtutem suam illo dignior fuerit honore. Tum ille, populo in concionem advocato, virtutem illius et benevolentiam erga ipsos singularem enarravit, et pericula, quae pro illorum salute adire sustineret . . . Hebraeis grata fuit haec oratio, et suo quoque assensu Dei comprobarunt electionem. Aaron enim propter genus et prophetiam, simul ac virtutem fratris, optime omnium hanc dignitatem commeruit."

Hac mente, atque hoc consilio, ne criticos protestantes Munsterum, Fagium, Vatablum, Drusium, aliosque in re tam aperta persequar, Patres, iique sacrae Scripturae studiosissimi hanc historiae partem suis commentariis illustrarunt, eaque plures veritates catholicas comprobarunt. Sic Chrysostomus ea usus 1. ut apud Judaeos verum Sacerdotium jamdiu desiisse ostenderet eorumque patriarchas histrionibus adnumeraret. Ait enim: "[32] Vis tibi recitem leges de Sacerdotio, quomodo soliti sint olim consecrari? ut intelligas, quod qui nunc apud vos (Judaeos) dicuntur Patriarchae non sint Sacerdotes, sed per simulationem sacerdotum agant personam, nec aliter ludant quam histriones in scena: imo ut verius dicam, nec sustinere possint sacerdotis personam: tam procul non solum a veritate, verum etiam ab ipsa simulatione sacerdoti absunt. Recordare igitur quomodo tum Aaron factus sit Sacerdos, quot hostias pro illo immolarit Moyses, quot victimas prostraverit, quomodo illum laverit, quomodo unxerit ipsius extremum auriculae, ma-

(32) Chrys. adv. Judaeos.

num dextram, pedem dextrum, deinde in sancta sanctorum introduxerit: post haec jusserit praescripto dierum numero manere intus. Quin potius operae precium est ipsa verba audire: haec, inquit, unctio Aaron, et unctio filiorum ejus. Et loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: assume Aaron et filios ejus, et stolas eorum, et unctionis oleum, et vitulum pro peccato et arietem et convoca Synagogam ad ostium tabernaculi testimonii. Et dixit Moses universae multitudini congregatae: hic est sermo, quem mandavit Dominus." Hinc compendio recitata historia consecrationis concludit: "Cum . . . nihil horum nunc fiat, neque victima, neque holocaustum, neque sanguinis aspersio, neque olei inunctio, nec adsit tabernaculum testimonii, neque ad praefinitum dierum numerum sedeatur intus, profecto palam est Sacerdotem, qui nunc apud istos est, impurum ac nefarium esse, illegitimum ac prophanum, denique ad iram Deum provocare."

Ea usi sunt 2 ut necessitatem inde urgerent, eos inter presbyteros Novi Testamenti cooptandi, qui bonum nomen, bonamque famam penes adstantes obtinent. Sic Sanctus Cyprianus hanc necessitatem sequentibus effert: "[33] Coram omni synagoga jubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit et ostendit ordinationes sacerdotales nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe praesente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur, et sit ordinatio justa et legitima; quae omnium suffragio et judicio fuerit examinata."

---

(33) Cypr. ep. lxvii.

Ea usi sunt 3 ut possent ulterius in illis requirere omnium perfectionum cumulum. Sic Origenes, recitato hoc Levitici capite, subdit: "[34] Ego tamen et amplius aliquid video in eo quod dicit, quia convocavit Moyses omnem synagogam, et puto quod convocare synagogam, hoc sit colligere omnes animi, et in unum congregare virtutes, ut cum sermo de sacerdotalibus sacramentis habetur, vigilent omnes animi virtutes, et intentae sint, nihil in eis sapientiae, nihil scientiae, nihil desit industriae, sed adsit omnis multitudo sensuum, adsit omnis congregatio sanctarum cogitationum, ut quid sit pontifex, quid unctio, quae indumenta ejus, conferens intra sacrarium cordis sui possit advertere."

Tandem 4, ne plura consecter, ea usi sunt ut argumentum inde haurirent, quo omnes fideles, qui sese Christo vere ac sincere induere cuperent, hortarentur, ut prius a peccatorum sordibus suam conscientiam emundarent. Sic Origenes fideles hortabatur: "[35] Intentis auribus et vigilanti corde consecrationem Pontificis vel Sacerdotis audite, quia et vos secundum promissa Dei, Sacerdotes Dei estis, genus enim sancta, et Sacerdotium sanctum estis. Accepit inquit, Moyses secundum praeceptum Domini Aaron et filios ejus, et primo quidem lavat, postea vero induit eos. Considerate diligentius ordinem dictorum, primo lavat, postea induit. Non enim potes indui, nisi ante lotus fueris. Lavamini ergo, et mundi estote, et auferte nequitias ab animis vestris. Nisi enim hoc modo lotus fueris, non poteris induere Dominum Iesum Christum."

(34) Orig. hom. vi in Lev.
(35) Orig loc cit,

28. Rata igitur fixaque semper erat penes venerabilem antiquitatem genuinitas atque veracitas hujus historiae Pentateuchi; ac proinde non immerito Colenso, qui horum omnium sensui contraire, atque hisce omnibus se doctiorem esse contendere mavult, illis adnumeramus, quorum Augustinus sequentibus fregit audaciam, inquiens: " [36] Cum volunt scripturas divinas prius vituperare quam nosse, etiam res apertissimas non intelligunt. "

CAPUT IV.

Promulgatio totius legis prius a Moyse, postea a Josue coram universo populo facta:—Difficultas contra veracitatem hujus actus publici a Colenso prolata expenditur:—discrimen, quod promulgationem cujusvis legis inter et ejus divulgationem intercedit, rite declaratur: —hinc vanitas Colensianae exceptionis, adjectis et aliis rationum momentis, retegitur.

29. Neminem latet profecto Judaeorum legislationem ita tum quoad ejus partem theoreticam, tum quoad practicam ceteris omnibus a philosophis omni revelatione destitutis in lucem inque medium editis praestare, illasque adeo excellere, ut, attenta tunc temporis morum pravitate longe lateque grassante, nonnisi Deum praeseferre auctorem posset, divinamque originem sibi vindicare. At quod veluti conjiciendo, suspicandoque de Hebraeorum legislationis origine praedicamus alte defixum omni tempore invenimus totius Israeliticae gentis in

(36) August. de Genes. contra Manich. c. iii.

mente: hi enim non modo tamquam Supremum rerum omnium conditorem, universique orbis Dominum Aeternum Numen honore, veneratione, cultuque prosequebantur; verum etiam eum summo verebantur obsequio tamquam Regem temporalem, cui soli competebat potestas ferendi leges, cuique reservatum erat loqui ad ea declaranda, quae pro bono eorum Reipublicae necessaria. Et sane: passim Deus in scripturis exhibetur Moysi praecipiens quid in diversis rerum adjunctis observandum prohibendumque erat: quae omnia divina praecepta in unum codicem Moyses redegit, et ne eorum memoriam ulla abraderet oblivio, licet aliunde Hebraeis perspecta, primo ipse coram universo populo promulgavit, dein, ut a Josue antequam totius terrae Chánaan dominium potiretur, et postea singulis septenniis a personis ad id designatis promulgarentur, legem tulit. Hinc legimus: "[1] Haec sunt verba, quae locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem in solitudine campestri, contra mare rubrum, inter Pharan, et Thophel, et Laban, et Haseroth . . . Coepitque Moyses explanare legem et dicere:" et alibi: "[2] Legit (Josue) omnia verba benedictionis et maledictionis, et cuncta, quae scripta erant in legis volumine. Nihil ex his, quae Moyses jusserat reliquit intactum; sed universa replicavit coram omni multitudine Israel, mulieribus ac parvulis, et advenis, qui inter eos morabantur. " Tum Moyses igitur, tum Iosue suae missionis memores, ne quis ignorantiam legis divinae pro suis malefactis allegaret, eam coram universo populo

(1) Deut. cap. i v. 1-5.
(2, Josue c. viii v. 34-35.

promulgarunt, ejusque observantiam propositis tum praemiis, tum poenis districte inculcarunt: qua in facti specie nihil impeditum, nihil salebrosum, nihil quod difficultatem crearet, et hujus narrationis veracitatem vel leviter offuscaret aliquem reperire posse facile mihi persuadeo.

30. Verum Colenso summa perspicacia, summoque ingenii acumine pollens et hanc Pentateuchi historiam in discrimen, inque falsi suspicionem vocat vel ideo, quod [3] nulla vox humana, nisi superna virtute roborata, cujus vero ne levissimum quidem indicium in Scripturis occurrit, adeo potuit ad omnes et singulos ad hanc caeremoniam convocatos sese porrigere, ut clare et distincte omnia verba legis intelligerent.

31. At falso heic Colenso laborat supposito, totaque ejus argumentatio praeposteris scatet deductionibus: etenim ne ullum quidem verbum hisce in Scriptnris occurrit, quo vel tenuiter omnes et singuli hebraei ad hanc caeremoniam convocati omnia verba legis intellexisse inducuntur: imo nos vehementissime contendimus, nullo modo id fuisse necessarium. Quod ut perspicue et citra erroris periculum in tuto collocemus, recolamus oportet discrimen illud notissimum, quod promulgationem legis inter ejusque divulgationem intercedit.

32. Nomine enim promulgationis venit illa publica legis denuntiatio auctoritate superioris facta in loco pu-

---

(3) Colenso: oper. cit. cap. v § 41: "For, surely, no human voice, unless strengthened by a miracle of which the Scripture tells us nothing, could have reached the ears of a crowded mass of people as large as the whole population of London. The very crying of the little ones, who are expressly stated to have been present, must have sufficed to drown the sounds at a few yards' distance."

blico quavis publica solemnitate: divulgatio legis e contra vocatur illa legis veluti applicatio ad aures facta per privatos fide dignos iis, qui promulgationem ignorant. Promulgatio legis igitur est prorsus caeremonia publica, divulgatio vero est res privata, ac inter privatos locum habere solet: principale vero discrimen, quod has inter intercedit, situm in eo est, quod altera omnino requiratur, ut lex vim subditos obligandi potiatur, altera vero e contra. Quam veritatem summa perspicuitate, ut ceteros tum in jure canonico tum in jure civili praestantissimos missos faciam, propugnavit S. Thomas. Ipse enim primo sequentes sibi proposuit difficultates. " [4] Videtur quod promulgatio non sit de ratione legis. Lex enim naturalis maxime habet rationem legis. Sed lex naturalis non indiget promulgatione. Praeterea: ad legem pertinet proprie obligare ad aliquid faciendum, vel non faciendum. Sed non solum obligantur ad implendam legem illi coram quibus promulgatur lex, sed etiam alii. Praeterea: obligatio legis extenditur etiam in futurum: quia leges futuris negotiis necessitatem imponunt. Sed promulgatio fit ad praesentes. Ergo promulgatio non est de necessitate legis. "

53. Hisce vero difficultatibus sic occurrit. " [5] Sed contra est quod dicitur in decretis IV distinctione (in append: Grat: ad cap: in istis) quod leges instituuntur, cum promulgantur. " Idque sequenti ratione confirmat: " Dicendum, quod, sicut dictum est (par: 1 hujus quaestionis:) lex imponitur aliis per modum regulae, et men-

(4) S. Thom. 1-2 quaest. xc art. 4.
(5) S. Thom. loc. cit.

surae. Regula autem, et mensura imponitur per hoc quod applicatur his quae regulantur, et mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem.'

Illas tandem sequentibus diluit. "[6] Ad primum ergo dicendum, quod promulgatio legis naturae est ex hoc ipso quod Deus eam mentibus hominum inserit naturaliter cognoscendam.—Ad secundum dicendum, quod illi coram quibus lex non promulgatur, obligantur ad legem observandam, in quantum in eorum notitiam devenit per alios, vel devenire potest promulgatione facta.—Ad tertium dicendum, quod promulgatio praesens in futurum extenditur per firmitatem scripturae, quae quodammodo semper eam promulgat. Unde Isidorus dicit in v Etymologiarum (cap: III: et lib: II cap: x) quod: lex a legendo vocata est, quia scripta est." Ideo igitur Divus Thomas necessitatem promulgationis ad legis valorem inculcat, ac pro virili tuetur, quia quum leges toti imponantur Reipublicae, eidem propositae ac manifestatae sint, necesse est. Imo Doctores hanc promulgationis necessitatem adeo efferunt, ut illum, cui aliter quam promulgatione legis existentia est perspecta, ab omni ejus vinculo eximere non vereantur Aliter vero res se habet quoad ejusdem legis divulgationem: ideo enim haec non est ad legis valorem necessaria, quia illi coram quibus lex

(6) S. Thom. loc. cit.

non promulgatur, obligantur, juxta Divum Thomam, ad legem observandam vel ideo quod, promulgatione facta, haec in eorum notitiam per alios jam devenit, vel devenire potest: et juxta alios, quia aliter vix et ne vix quidem ulla haberetur lex positiva vi obligandi praedita, quum ferme adsint semper nonnulli legis promulgatae ignari.

34. Quibus delibatis absque classicae ignorantiae nota abire haud sinere possumus Adversarium, qui veracitatem hujus Mosaicae narrationis vel ideo se inficiari posse ratus, quod non omnes et singuli, qui, ut a Deo jussi, sese ad hanc legis caeremoniam contulerant, ejus verba audire poterant. Ultro enim ex jam dictis profluit, id nullo modo esse necessarium, ubi de sola legis promulgatione agitur. At in utroque scripturae loco de legis Mosaicae promulgatione disseritur. Et sane: omnia verba legis satis aliunde [7] perspecta, compertaque universo Israel erant, quamvis toto peregrinationis tempore tam parum de eorum observantia solliciti, ut unusquisque proprio genio [8] indulgeret: ipsamque circumcisionem [9] negligerent: hinc Moyses tamquam primus hujus legis praeco, ac Iosue, a quo populus sibi commissus erat in terram Patribus promissam perducendus, ut occurrerent errori Hebraeorum, si qui forte irrepserat, se posse etiam in terra Chanaan impune Dei voluntati obsistere, ejusque divina praecepta parvi habere, haec omnia in unum codicem redacta coram universo populo promulgarunt, eorumque observantiam

(7) Deut. c. i v. 6-9-14-20-29 et sequ.
(8) Deut. c. xii v. 8-12.
(9) Josue c. v v. 2-6.

pro viribus inculcarunt. Non ea mente igitur, eoque consilio totam legem tum Moyses, tum Iosue coram universa multitudine perlegerunt, ut rem jam aliunde notam illi retegerent, verum ut ejus observantiam magis magisque constabilirent, omnesque sub ejus jugo revocarent: seu pressius ut legem promulgarent. Quum igitur legis promulgatio haud exquirat, ut omnes et singuli cives ejus verba intelligant, imo etiam cum totali nonnullorum ignorantia consistere possit; dato etiam, quod hi tantum, qui prope aderant, verba legis, prouti innuit [10] Colenso, perceperint, veracitas Mosaicae narrationis in discrimen, inque falsi suspicionem nullo modo vocari potest.

35. Et hoc satis esse posset ad plenam huic narrationi fidem conciliandam, et ad omnem Colensianae exceptioni vim adimendam, illamque funditus evertendam. Tamen ut Adversarii impudentiam prorsus retundamus, et alia adjicienda ducimus. Quamvis enim haec legis lectio, quam ad ipsius promulgationem institutam fuisse contendimus, quamdam etiam divulgationis speciem praeseltulisse dicatur; nil tamen difficultatis inde sequi potest. Quod quidem variis rationum momentis evincimus.

Idque 1° evincimus ex acceptatione, quam populus ex Moysis praecepto post legis, et praesertim benedictionum, et maledictionum lectionem edere jussus. Statuto enim tempore et loco, quo legis promulgatio ferenda, Moyses subdit: "[11] Et pronuntiabunt Levitae, dicentque ad omnes

(10) Colenso oper. cit. i par. c. v § 42.

(11) Deut. c. xxvii v. 14-26.

viros Israel excelsa voce." Dein recitatis variis maledictionum generibus in legis temeratores latis subdit "et respondebit omnis populus, et dicet: Amen." Qui igitur prope aderant, ac verba legentis audiverant alios, qui procul stabant, quique forte haud probe verba legis auscultabant suis clamoribus suisque tumultibus, ad voces, clamoresque adjungendos excitabant, deque maledictionum promulgatione admonebant.

Idque evincimus 2, ex inspectione loci, quo legis promulgatio a Iosue, ut a Moyse jussus, peracta fuit. Toto enim tempore, quo haec contigerat: "[12] Omnis populus, et majores natu, ducesque, ac judices stabant ex utraque parte arcae in conspectu sacerdotum, qui portabant arcam foederis Domini: ut advena, ita et indigena. Media pars eorum juxta montem Garizim, et media juxta montem Hebal, sicut praeceperat Moyses famulus Domini." Quibus verbis Scriptura lineari quadam pictura ordinem, situmque graphice designat, quo tota audientium multitudo constiterat, ita ut in valle, quae inter duos montes Garizim et Hebal jacet, quaeque eos a se invicem parva distantia separat, Sacerdotes arcam portantes, hosque circum reliquos Sacerdotes, ac Levitas, et majores natu, duces et judices populi imo et illos, queis erat promulgatio legis commissa consedisse rationabiliter credatur: tribus vero omnes, partim stetisse ascendendo versus montem Garizim, partim versus montem Hebal. At hoc in casu, ubi vox humana per se haud omnium percelleret aures, ipsa loci natura hujusecemodi defectui occurrebat: vox enim per illa loca pervolans, seseque inter

(12) Josue c. viii v. 33.

duos montes repercutiens verba legis resonabat. Ne vero conjecturis indulgere videamur, et aliam Scripturam in medium, inque lucem proferimus, qua edocemur [13] Ioatham a vertice montis Garizim viros Sichem ad radices utriusque montis Hebal nempe, et Garizim commorantes allocutum esse, eorumque perversitatem exprobrasse. Non modo igitur qui prope, verum etiam qui longe a promulgationis loco, constiterant, inspecta ipsius loci conformatione, potuerunt verba legentis arripere. At hoc in casu non modo Mosaicae legis promulgatio, verum etiam ejus fere divulgatio contigisse vere diceretur.

Idque evincimus 3 ex numero personarum, quibus erat lex promulganda. Licet enim ita rem efferat Scriptura, ac si tum Moyses, tum Iosue per se, ac sine aliorum opera et auxilio legem promulgandam susciperent: tamen longe lateque receptum est illud adagium: qui per alios facit per seipsum facere videtur: ac proinde nil prohibet, quominus et alios sibi hac in re adjunxisse credamus. Verum, quod capitalius, et ipsa Scriptura testatur sibi adscivisse Moysen sacerdotes Levitici generis, qui legem populo explanarent, illamque promulgarent: ait enim: " [14] Dixerunt Moyses, et Sacerdotes Levitici generis ad omnem Israelem: attende, et audi Israel, hodie factus es populus Domini Dei tui: audies vocem ejus, et facies mandata, atque justitias, quas ego praecipio tibi. " Itemque ipsius legis promulgatio, imperante Iosue, facta non ab aliis, sed a Sacerdotibus erat facienda:

(13) Judic. cap. ix v. 7.

(14) Deut. c. xxvii v. 9-10.

nam Moyses ipse destinaverat locum hujus concionis, dicens: " [15] Hi stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim, Iordane transmisso: Simeon, Levi, Iudas, Issachar, Ioseph, et Benjamin. Et e regione isti stabunt ad maledicendum in monte Hebal: Ruben, Gad, et Aser, et Zabulon, Dan, et Nephtali." Insuper praeceperat: " [16] Et pronuntiabant Levitae, dicentque ad omnes viros Israel excelsa voce: maledictus homo ecc." At prouti vidimus, ne latum quidem unguem Iosue a Moseos [17] praecepto quoad loci circumstantiam, discessit; hinc et illud summa religione, quoad personarum jure suo legem promulgantium circumstantiam, observasse, illique mordicus adhaesisse credamus, oportet. At verborum sonus tot Levitarum vocum concursu roboratus, plusquam fingit Colenso, sese porrexerat: non modo igitur promulgatam verum etiam fere divulgatam fuisse Moseos legem adhuc contendere possumus.

Idque evincimus 4 ex circumstantia temporis, quo id peractum fuisse perhibetur. Moyses enim clare [18] innuit se plus vice simplici populum ad audiendam legem convocasse: itemque Iosue tempus, quo haec peracta fuerunt, indeterminate extulit, ita ut si adhuc contendere velimus non modo legem promulgatam, verum etiam divulgatam fuisse, nil prohibere posset, quominus hanc caeremoniam non una, sed pluribus vicibus absolutam confectamque fuisse putemus. Idque ea certitudine

(15) Deut. loc. cit. v. 12.
(16) Deut. loc. cit: v. 14-15,
(17) Josue c. viii v. 33.
(18) Deut. c. v v. 1, et c. xxix v. 2,

urgemus, qua contendimus neminem fore, qui nos mendacii nota inurere posset, si, nullo praefinito tempore, dicimus Colenso quatuor libris genuinitatem authentiamque Pentateuchi adortum esse, nobis obtrudens eum non potuisse uno die has quatuor elucubrationes in lucem, inque medium edere, typisque committere. Ubi igitur tum Moyses, tum Iosue praeter legis promulgationem et ejus divulgationem intendissent, uterque potuit pluribus vicibus, voti compos esse,tempus vero, quo id absolutum, suis in scriptis indeterminate efferre.

Idipsum tandem 5 evincimus ex absurdis, quae ex jacto a Colenso critices principio profluere videntur. Nam historia profana plura nobis refert exempla, in quibus vel reges ad suos subditos, vel imperatores ad omnes suos milites verba facientes, illisque nova praecepta injungentes inducuntur, et clamores inde orti narrantur. At semel jacto Colensi principio, quod omnes et singuli, qui hisce in circumstantiis versantur, verba loquentium audire teneutur, haec omnia inter fabulas amandanda essent; quod scepticismum quidem, imo nihilismum in rem historicam induceret. Prouti igitur, nonnisi temere, imo stulte illas historias in discrimen vocabimus, quae innumeras conciones nec non et loquentium et audientium verba referunt: sic ni insuper etiam impie aliquis sese gerere velit, et hanc Scripturae narrationem amplectatur, illique summam habeat fidem, oportet.

56. Hinc factum est ut nedum Hebraei, verum etiam scriptores gentiles, et Ecclesiae Patres specioso legislatoris nomine Moyseu cohonestarent, ejusque legis promulgationem summis eveherent laudibus.

Hac mente atque hoc consilio Manetho Aegyptius scriptor apud Josephum Flavium testatus est, " [19]Quod reipublicae (Hebraeorum) conditor erat, legumque lator, Sacerdos, genere Heliopolitanus, nomine Osarsiph, ex Osiri de Deo, quem colit urbs Heliopolis, denominatus, cum ad hoc hominum genus transisset, nomen mutavit, et vocatus erat Moyses. "

Nec minori gaudent perspicuitate quae hac de re tradiderunt [20] Apion, Chaeremon, Lysimachus, [21] aliique.

Hac mente atque hoc consilio locuti sunt Sancti Patres. Iustinus enim Martyr ad lectionem Prophetarum Graecos adhortatus, subdit: " [22] Ducam initium a primo apud nos propheta et Legislatore Mose: ac prius quidem quibus temporibus fuerit, ex gravissimis apud vos testimoniis exponam. " Quam rem adhuc clarius explicat Theophilus Antiochenus, inquiens: " [23] Nos autem et Deum confitemur, sed unum, conditorem et creatorem, et opificem hujus universi: et providentia gubernari omnia scimus, sed ab eo solo: et legem sanctam didicimus, sed legislatorem habemus verum Deum, a quo et justitiam colere et pietatem et bona opera facere edocemur . . . Hujus divinae legis minister fuit Moses famulus Dei, toti quidem mundo, praecipue vero Hebraeis, qui et Iudaei dicti sunt: quos antiquitus Rex Aegypti in servitutem redegit, cum essent semen justum hominum piorum et

(19) Apud Joseph. Flav. lib. i contra Ap. § 26.

(20) Apud eumd. loc. cit. § 32-34 et lib. ii § 2.

(21) Conf. Strab. lib. xvi rer. geogr. Tacit. Annal, lib. v: Juven. Sat. xiv.

(22) Just. Mart. cohort. n. ix,

(23) Theophil. lib. iii ad Autol. n. 9.

sanctorum, Abraham, Isaac, et Iacob. Horum recordatus Deus, factisque miraculis et stupendis per Moysen prodigiis liberavit eos, et ex Aegypto eduxit, ac per eam regionem, quae deserta dicitur, deductos restituit in terram Chananeam, quae postea Iudaea vocata est: legemque posuit, et haec eos edocuit."

Hac mente atque hoc consilio tandem opportunitatem legis Mosaicae promulgationis sequenti extulit Ambrosius disputatione, inquiens: "[24] Quid opus fuit ut lex promulgaretur si profutura non erat? Habebamus jam legem naturae; erat enim unusquisque sibi lex, qui opus legis scriptum habebat in corde suo. Illam non tenuimus: cur addebatur et altera, in cujus operibus caro non posset justificari . . . Profuit tamen mihi, coepi confiteri quod negabam: coepi delictum meum cognoscere, et injustitiam meam non operire."

37. Adeo igitur factum promulgationis legis Mosaicae ratum exploratumque erat, ut non modo Iudaei et Patres, verum etiam et ipsi gentiles Moysi infensissimi illud tamquam falsum traducere erubescerent.

---

(24) Ambros. de Jacob: et vit. beat. lib. I cap. 6.

CAPUT V.

Praeceptum, quo Summus Sacerdos jussus efferre comburendas extra castra reliquias vituli pro suo, ac totius populi peccato oblati, expenditur:—Quid absurdi hoc in praecepto reprehendit Colenso innuitur:—Haec exceptio variis rationum momentis profligatur:...profligantur etiam alia minoris momenti, quae huc ab eodem Adversario fuerunt congesta.

38. Ideo vel maxime sapientia Hebraeorum legislatoris elucet, quia non modo ut reliqui, iique praestantiores, in praeceptis a se latis bonum civile, verum etiam bonum religiosum, et quidem primario, sibi promovendum omnibus, quae illi inerant viribus, duxit. Feliciter bonum religiosum promovit, ut cetera silentio praeteream, illis omnibus praeceptis ad ingens in peccata odium Hebraeorum excitandum, illorumque mentibus instillandum summopere accommodatis. Sic ut eos edoceret, qua poena digni evaderent tum Summus Sacerdos, tum reliqui omnes, si forte aliquo sese macularent peccato, non modo vitulum offerri, verum etiam illum extra castra elatum cremari jussit, inquiens: "[1] Si sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino: et adducet illum ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino; ponetque manum super caput ejus, et immolabit eum Domino. Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonii . . Pellem vero, et omnes carnes cum capite et pedibus, et intestinis et fimo, et reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent: incen-

[1] Levit. cap. iv v. 3-12.

dentque ea super lignorum struem, quae in loco effusorum cinerum cremabuntur." et alibi de holocausto statuit: [2] Cremabitur in altari tota nocte usque mane: ignis ex eodem altari erit: vestietur tunica sacerdos, et foeminalibus lineis, tolletque cineres, quos vorans ignis exussit, et ponens juxta altare spoliabitur prioribus vestimentis, indutusqqe aliis efferet eos extra castra, et in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet."

Feliciter etiam promovit bonum civile illis omnibus praeceptis, quibus non modo provisum consultumque fuit publicae felicitati, verum etiam incolumitati servandae: cujusmodi illa erant, quae cibum immundum, ac insalubre prohibebant, quaeque multiplices ac varias lustrationes ob varia immunditiae genera statuebant, quaeque tandem totali castrorum munditiei consulebant: cujusmodi est illud, a quo [3] Adversarius difficultatem petit, sequentibus contentum: " [4] Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturae, gerens paxillum in balteo: cumque sederis, fodies per circuitum, et egesta humo operies, quo relevatus es."

39. Quae quum ita se habeant, optimo jure Marchinius duxit exhortandos omnes, qui in legendis scripturis aliquam collocant operam, ut haud segniter, sed summo studio, summaque adhibita diligentia Pentateuchum rimentur: " [5] Scripta enim Mosis, ait ille, legem, ritus Religionis, caeremonias, et publicae administrationis for-

---

(2) Lev. cap. vi. v. 9.-11.

(3) Colen: oper: cit. par. i c. vi § 44.

(4) Deut: c. xxiii v. 12-14.

(5) March. de Div. Sacrar. Bibli: pag. 33.

mam complectuntur, unde antiquissimae Reipublicae initium, atque originem ducimus: at vero libri id genus non eduntur fortuito, neque leguntur otii consumendi gratia, perinde ac si parum referret, probentur ne, an rejiciantur; sed summo studio, ac diligentia perpenduntur. Postu'ant namque adhiberi in eorum lectione praeparationem diligentem, quies, tranquillitas populi, decus, et bonum publicum, quod inde proficiscitur: igitur diligenti omnium, ad quos pertinebat, (pertinebat autem ad universos) consideratione perlegi debuerunt."

Iam vero summam legislationis Mosaicae sapientiam, divinamque ejus originem, quam omnes uno ore summis efferunt laudibus, Colenso de Rationalistarum more se inficiari posse blanditur. Nam praemissis nonnullis observationibus quoad Hebraeorum castrorum expansionem in deserto, quam deinde [6] cum Scott ad duodecim milliaria reducit, praveque intellectis Levitici verbis supra citatis, ut legentium mentem miseratione per-

(6) Colens. oper. cit. par. i cap. vi § 45. "But how huge does this difficulty become, if, instead of taking the excessively cramped area of 1652 acres, less than three square miles, for such a Camp as this, we take the more reasonable allowance of Scott, who says "this encampment is computed to have formed a moveable city of twelve miles square," that is, about the size of London itself . . . In that case, the offal of these sacrifices would have had to be carried by Aaron himself, or one of his sons, a distance of six miles . . . In fact, we have to imagine the Priest having himself to carry, on his back on foot, from St. Paul's to the outskirts of the Metropolis, the skin, and flesh, and head, and legs, and inwards, and dung, even the whole bullock . . . The supposition involves, of course, an absurdity."

moveat, veluti lineari pictura, nobis exhibet Summum Sacerdotem peditem incedentem, ac super humeros grave vituli onus aegre per sex milliaria ferentem extra castra. Hinc temere rejecto illo principio: qui facit per alium, facit per se: jure suo infert hujusmodi praeceptum nimis Summo Sacerdoti ingratum tamquam absurdum esse rejiciendum, imo hanc absurditatem vel adeo tuetur, ut etiam illo principio admisso, deficientibus exportationis mediis, semper nobis deglutiendam audeat contendere. At quae est humanae mentis caecitas, atque perversitas! Omnis enim difficultas, omnisque absurditas, quam heic nobis obtrudit Colenso, potius in suis cerebrosis commentis, quam in Moseos praecepto suam habet sedem. Summus enim Sacerdos non per se sed aliorum, opera et auxilio, atque adhibitis, quae praesto esse poterant mediis, haec omnia extra castra efferre poterat, imo ut verius dicam, jussus erat.

40. Et sane: id suadet, luculenterque demonstrat 1 philologia. Plane enim compertum est apud omnes quadruplicem verborum conjugationem penes Hebraeos occurrere: quarum prima paal vocatur, ejusque passiva niphal: secunda piel audit, ejusque passiva pual: tertia illa est, quae nomine hiphil donatur, ejusque passiva hophal: quarta demum, quae reciproca est, vocatur hithpael. Itemque compertum est verbum, quod per has quatuor conjugationes inflectitur, diversas sibi in hisce inflexionibus adquirere significationes: exempli gratia verbum מסר in prima conjugatione activa solam puramque actionem innuit, idest "tradidit," in passiva niphal meram passionem נמסר "traditus est." In secunda vero conjugatione piel מסר praeter actionem quamdam prae-

sefert emphasim; ita ut haud recte redderetur "tradidit," sed "diligenter tradidit" esset vera ejus enuntiatio: et in significatione passiva מכר "diligenter traditus est." Praeterea in tertia conjugatione hiphil actionem quidem vel passionem significat, sed mediante alia actione, vel passione: sic המכיר "fecit tradere:" et המסר "factus est tradere" significant. In quarta demum conjugatione actio reflexa declaratur: sic התמסר "tradidit seipsum." Iam vero, quum ita res se habeat, summam linguae hebraicae ignorantiam Colenso prodit adhuc dubitans, utrum Summus Sacerdos per se, vel aliorum ministerio efferre jussus extra castra reliquias vituli pro suo et totius populi peccato oblati: nam verbum Vulgatae "efferet," cui respondet in textu hebraico יהוציא non in prima, aut secunda conjugatione inflexum jacet, verum in tertia, uti clare innuunt ה radici verbi יצא praefixum, et י inter secundam et tertiam radicalem suffectum. Hinc sequens censeri debet obvius praecepti Moysis sensus: "[7] Si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit . . . offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino . . . pellem vero, et omnes carnes cum capite et pedibus, et intestinis et fimo et reliquo corpore יהוציא efferri faciet extra castra in locum mundum." Non modo igitur aliorum opera heic non excluditur, verum positive Sacerdos eam suum in commodum quovis modo derivare jubetur.

Id suadet luculenterque demonstrat 2 totius orationis contextus. Nexus enim vocum et sententiarum cum antecedentibus et consequentibus, earumque mutuus re-

(7) Lev. cap. iv v. 3-12.

spectus non modo haud excludit ab hac caeremonia aliorum operam, et auxilium, verum diserte eam subaudit: ita enim sese tota sententia habet: "[8] Pellem vero, et omnes carnes cum capite et pedibus, et intestinis et fimo, et reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent: incendentque ea super lignorum struem, quae in loco effusorum cinerum cremabuntur:" ubi verbum "incendent" in plurali non unam, sed plures designat personas, quibus vituli concrematio commissa. At subjectum verbi "incendent" ab illo alterius verbi "efferet" haud diversum distinctumque esse potest: duo enim verba particula copulativa *et* devinciuntur: ni igitur singularem grammatices inscitiam, imo communis sensus inopiam prodere velimus, non Summum Sacerdotem per se, sed aliorum ministerio reliquias vituli extra castra efferre, ibique concremare jussum fuisse dicamus, necesse est.

Idque suadet luculenterque demonstrat 3 parallelismus hoc sacrificium expiatorium inter et illud, quod universa Hebraeorum multitudo pro peccatis per totum annum admissis quotannis oblatura erat. Moyses enim rite declaratis omnibus caeremoniis, quae hoc sacrificium praecedere, atque concomitari debebant, ubi ad ea, quae illud subsequutura erant, haec statuit: "[9] Vitulum autem, et hircum, qui pro peccato fuerant immolati, et quorum sanguis illatus est in Sanctuarium, ut expiatio compleretur, asportabunt (in textu originali יוציא) foras castra, et comburent ישרפו igni, tam pelles, quam carnes

(8) Lev. loc. cit. v. 12.
(9) Lev. cap. xvi v. 27.

eorum, ac fimum: et quicumque combusserit ea, lavabit vestimenta sua, et carnem aqua, et ingredietur in castra." Licet igitur soli Sacerdoti tum expiatio, tum vituli oblatio commissa, dicente Moyse: "[10] Expiabit autem Sacerdos, qui unctus fuerit, et cujus manus initiatae sunt, ut sacerdotio fungatur pro patre suo:" tamen haud illi prohibitum erat, quominus et alios ad efferendum vitulum extra castra, ibique concremandum sibi adjungeret: "[11] asportabunt enim, ait Scriptura, et comburent: et quicumque combusserit ea lavabit vestimenta sua ecc." Verum hoc praecepto illud sacrificium, illaque expiatio indicitur, quae non modo Sacerdotum, verum etiam totius populi peccata suscipiebat diluenda, seu tale sacrificium indicitur, quod illa etiam sacrificia complecteretur, quae in praecepto, de quo agitur, designata sunt; imo eadem verba, eademque phraseologia in utroque praecepto occurrit. Ni igitur omnes sanae critices regulas pervertere velimus; etiam nostro in casu Sacerdotem alios sibi adsciscere potuisse, qui vitulum extra castra efferrent, ibique flammis addicerent, dicamus oportet.

Idque suadet, luculenterque demonstrat 4 communis hominum sensus. Omnes enim homines, quibus omnino Sacerdotum dignitas atque excellentia explorata, compertaque est, summo honore, summaque veneratione Aeterni Numinis ministros prosequendos esse uno ore profitentur. Imo penes Iudaeos ut summa illi in veneratione essent, Deus ipse eorum consecrationem miris modis ratam, sibique acceptam esse [12] ostendit. At si

(10) Lev. loc. cit. v. 32.
(11) Lev. loc. cit. v. 27-28.
(12) Lev. cap. ix v. 23-24.

Summus Hebraeorum Sacerdos hisce in sacrificiis, prouti nobis illum describit Colenso sese gerere jussus: deberet scilicet Aaron magno vituli pondere humeros gravatus per sex milliariorum spatium pedes incedere, Deus qui totus in eo fuit, ut summam illi conciliaret penes Hebraeos venerationem, potius eorum dicteriis, ne dicam irrisionibus exponeret. Ni igitur sensus communis dictamini contraire velimus, nullo modo hac in re Colenso assentiri possumus.

Idque suadet, luculenterque demonstrat 5 communis loquendi usus ab hominibus usurpatus. Tam enim alte hominum in mente defixum est illud adagium: qui per alium facit, per se ipsum facit: ut non modo eo reguntur in privatis colloquiis, verum etiam in rebus publicis, iisque magni momenti, in quibus sat illis erit caussam alicujus rei efficientem qua voce, qua scripto innuisse. Nec me vel tenuiter fide indignum evasurum duco, si dicerem Colenso suas lucubrationes typis excudisse, quia non per se, sed aliorum ministerio eas typis mandavit. Attento igitur communi loquendi usu jure suo potuit Moyses causam efficientem innuere per illud verbum "efferet," non seclusa tamen caussa instrumentali, seu aliorum opera et auxilio.

Tandem idipsum suadent luculenterque demonstrant 6, [13] codex Hebraeo-Samaritanus, et versiones antiquissimae, praesertim septuaginta interpretum, et Syriaca: in his enim verbum Vulgatae, "efferet," in numero plurali usurpatum occurrit. Sic speciminis gratia rem effert

(13) Conf: Poliglot: Walton: in hunc loc.

versio Alexandrina: "[15] και το δέρμα του μοσχου, και πασαν αυτου σαρκα συν τη κεφαλη, και τοις ακρωτηρίοις, και τη κοιλια, και τη κοπρω· και έξοισουσιν όλον τον μοσχον έξω της παρεμβολης εις τοπον καθαρον: scilicet: "Et pellem vituli, et omnem ejus carnem cum capite, et extremitatibus et ventre et fimo: et efferent totum vitulum extra castra in locum mundum." Prorsus igitur erant persuasi Septuaginta Interpretes tum nativam linguam, idest hebraicam, tum graecam callentes, Summum Sacerdotem aliorum ministerio extra castra efferre reliquias vituli potuisse.

Hoc vero semel jacto, ne ullum quidem nobis facessit negotium illa, quam urget Adversarius, exportationis mediorum deficientia, prouti enim principes populi et capita familiarum [15] sex plaustris usi ad ea, quae in usum tabernaculi destinarant, transportanda; sic jure suo ea adhibere poterat, cui a Sacerdote vituli exportatio commissa.

41. Hinc factum est, ut Patres non modo nihil absurdi, aut quod divinam dedecet sapientiam, in hoc, aliisque similibus Moseos praeceptis deprehenderent, verum ad nonnullas veritates Christianismi explicandas, comprobandasque prorsus accommodata existimarent.

Hac mente, atque hoc consilio Divi Pauli vestigiis insistentes heic praesignificatum volunt locum, in quo Christus fuit Cruci affixus. Sic Leo, ut unum ex multis urgeam, ad rem nostram habet: "[16] Nec intra

(14) Loc. cit.

(15) Numer: cap: v: 3.

(16) Leo Serm. ix de Pass.

septa civitatis ob meritum sui sceleris diruendae, sed foris et extra castra Crucifixus est Christus, ut veterum victimarum cessante mysterio, nova hostia novo imponeretur altari, et Crux Christi non templi esset ara, sed mundi.

Hac mente, atque hoc consilio 2 inde argumentum hauserunt, quo significarent etiam pro nobis, qui extra castra Iudaeorum sumus, Christum mori voluisse. Sic habet Divus Thomas: "[17] Quod autem corpora illorum cremabantur extra castra, quantum ad caput nostrum, significat quod Christus passurus erat extra portam; quantum vero ad nos, qui sumus membra, significat quod pro illis qui sunt extra castra legalium, vel exteriorum sensuum immolatur Christus. Qui enim erant in castris, de carnibus illis non comedebant."

Hac mente atque hoc consilio 3 fideles inde hortabantur, ut quomodo Christus, prouti in Veteris Testamenti sacrificiis praenotatum, extra portam civitatis crucifigi voluit, pari modo et ipsi extra castra pompae, voluptatum, aliorumque id generis exeant. Ita enim Divus Thomas fideles urget, hortaturque: "[18] Et nos exeamus ad eum extra castra, idest extra communem societatem carnalium, vel extra observantiam legalium, vel extra sensus corporis."

Hac mente tandem, atque hoc consilio 4 gravitatem inde peccati Sacerdotum retegebant, illosque ab omni sceleri pro virili cohibebant. "Ante Prophetarum tempora,

(17) Divus Thom: com: in ep. ad Hebr. c. xiii.

(18) Divus Thom. loc. cit.

ait [19] Divus Chrysostomus, cum de sacrificiis ageretur, ostendere volens, peccata longe majori supplicio expiari cum a Sacerdotibus, quam cum a privatis perpetrantur, praecepit tantum pro Sacerdotibus offerri sacrificium, quantum pro universo populo. Quod nihil significat aliud, quam Sacerdotis vulnera majore auxilio indigere, atque tanto, quanto conjuncta simul universi populi vulnera indigent: porro majori nequaquam indigerent, nisi graviora essent ec. "

42. Sive igitur philologiam, sive orationis contextum, sive loca parellela inspiciamus, aliasque ad rectam Sacrae Scripturae interpretationem comparandam regulas aptissimas adhibeamus, evidens est, Summum Sacerdotem jure suo potuisse alios sibi adjungere, qui adhibitis omnibus mediis, quae illis praesto fuisse testatur Scriptura, reliquias vituli a se prius oblati extra castra efferrent, elatasque concremarent; ac proinde perperam Colenso enisum genuinitatem, authentiamque Pentateuchi ex hoc Moseos praecepto labefactare, ac penitus, si posset, prosternere.

Antequam vero manus e tabula, adhuc nobis dirimenda supersunt nonnulla alia minoris momenti, quae heic nobis obtrudit Colenso. Nam optimo animo pollens prouti Summi Sacerdotis misertus, quem ubi per sex milliaria onere haud parvo gravatum a Moyse incedere jussum vidit, ipsum Moysen tamquam absurda praecipientem traduxit: sic ne caussa, quae conclamata est, penitus cadat, illam legislationis Hebraeorum partem modo adoritur, qua satis eorum castrorum munditiei

(19) Chrys lib. vi de Sacerd.

provisum, consultumque [20] erat, quaque jussi erant extra castra exire ad requisita naturae: duram enim illam necessitatem deflet, qua opprimebantur quotidie extra castra exeundi, et sex milliariorum iter remeandi ne quid indecens, foedumque Deus eorum in castris deprehenderet. Hoc tantum vero hisce in animi aegrutidinibus solatur, quod non omnes, sed perquam pauci possent huic praecepto obtemperare, imo ideo vel maxime gaudio perfunditur, quod id ipsum magno est illi argumento ad veracitatem historicam Pentateuchi inficiandam.

43. At desine tandem aliquando, mi Colenso, desine querelarum; in scripturae enim investigationibus non praejudiciis, non animi motibus, sed sedula omnium circumstantiarum, quae factum comitantur, inspectione regamur oportet. Etenim hae sunt, quae luce ad verum sensum capessendum necessaria mentes nostras perfundunt. Iam vero ex his rite inspectis profluit, hujusmodi praeceptum 1° non affecisse Hebraeos per desertum adhuc peregrinantes, sed illos terram Chanaan quiete obtinentes: ita enim sapientissimus legislator horum praeceptorum seriem exorsus: "[21] Quando inventum fuerit in

---

(20) Colenso oper: cit: par: i cap: vi § 44: "They could not surely all have gone outside the Camp for the necessities of nature, as commanded in D. xxiii. 12-14. There were the aged and infirm, women in childbirth, sick persons, and young children, who could not have done this . . . But the very fact, that this direction for ensuring cleanliness . . . would have been so limited in its application, is itself a very convincing proof of the unhistorical character of the whole narrative."

(21) Deut. c. xxi v. 1.

terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi hominis cadaver occisi, et ignorabitur coedis reus, ecc." At hoc posito Adversarii exceptio, quae tota in latissima Hebraeorum castrorum expansione sita est, necessario evanescit, prorsusque dilabitur. Praeterea 2 hujusmodi praeceptum non absolute, sed conditionate elatum fuisse; ac proinde non semper, sed nonnullis temporis adjunctis obligasse: tunc enim illi obtemperandum, quum aliquod ingrueret bellum: "[22] Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala." At dum hisce in circumstantiis versamur plura, quae alias molesta viderentur, nullo divino praecepto obtemperantes, sed sola necessitate compulsi etiam nos subire cogimur. Tandem 3, quod minime advertit Colenso, non omnes et singulos Israelitas, imo nec omnes viros hoc praecepto adstrictos, sed tantum militiae addictos, et praesertim illos, quibus occurrendum erat hostium incursionibus, bellumque cum hostibus gerendum: ait enim Moyses: "[23] Quando egressus fueris adversus hostes tuos in pugnam:" et alibi: "[24] Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, et tradat tibi inimicos tuos, et sint castra tua sancta, et nihil in eis appareat foeditatis, ne derelinquat te." Quae quum ita se habeant, tota Adversarii spes Pentateuchum vel ideo labefactandi, quod magna Hebraeorum pars haud posset huic praecepto obtemperare, in irritum collabatur, oportet: non enim omnis He-

(22) Deut. c. xxiii v. 9-14.
(23) Loc. cit.
(24) Deut. loc. cit. v. 14.

braeorum multitudo hoc praecepto semper et ubique adstringebatur; sed tantum hi, qui, in terra Chanaan constituti ingruente bello, hostibus occurrere, eorumque vim vi repellere tenebantur.

44. Hisce vero non obstantibus adhuc instat Adversarius, difficultatemque in eo reprehendit, quod [25] attenta castrorum extensione populus hebraeus longum iter aggredi quotidie coactus ad plura eorum castris inferenda, et praesertim aquam et ligna ad comburendum, atque ad alios usus domisticos summopere necessaria.

At haec difficultas talis non est, ut in ea diluenda diutius immoremur: hebraei enim pastoralis vitae laboribus assueti [26] erant, ac proinde parum praejudiciis indulgentes; hinc deficientibus lignis, praesto et alia materia illis erat [27] fovendo igni aptissima: insuper multa, ut ipse [28] Colenso parum sibi constans, sibique cohaerens testatur, illis erant pecora, quibus profecto uti poterant ad omnia eorum castris importanda, quae victui comparando, aliisque rei familiaris commoditatibus promovendis erant necessaria.

Quae quum ita se habeant jure nostro concludimus veracitatem Mosaicae narrationis lucis instar se habere:

---

(25) Colenso oper: cit. par. i cap. vi p. 45: " In fact, we have to imagine... the people having to carry out their rubbish in like manner and bring in their daily supplies of water and fuel, after first cutting down the latter where they could find it! . . . The supposition involves of course, an absurdity. "

(26) Gen. xlvi v. 32-34.

(27) Ezech: cap. iv v. 15.

(28) Colens: oper. cit. cap. xii § 80.

eo enim modo quo haec omnia pervadens nullis tamen turpatur faecibus, sic et illa undique Adversariorum ictibus petita purior tamen, nullisque offuscata maculis semper evadit.

CAPUT VI.

Praeceptum proponitur recensendi populum, exigendique dimidiam partem sicli a recensitis:—Quid a veritate alienum tum in ejus promulgatione, tum in ejus executione reprehendit Colenso expenditur:—Omnia variis rationum momentis refelluntur.

45. Prouti quilibet homo, ipsa natura duce, filiali pietate gratoque animo in Deum ferri, illumque cultu non modo interno, verum etiam externo prosequi tenetur eo ipso quod ab eo solo tamquam a Pientissimo Patre, Providentissimoque Rege et existentia et novis in dies singulos benefactis donatus, cumulatusque: sic ipsa hominum societas pari animo erga Deum comparata sit oportet. Ipsa enim non minus quam unusquisque homo ad Deum refertur, ut ad suum principium, suumque finem: cum non sit dubitandum, quin Supremus rerum omnium Artifex etiam illam ad se ipsum retulerit, et et ad suam divinam sapientiam, ac bonitatem patefaciendam destinarit. Hinc perspicuum est Deum ab hominibus non tantum privato, sed communi quoque cultu esse honorandum. Jam vero haud satis est, ut cultus, quem Deo tribuere debet hominum societas, sit mere internus: non enim agitur de mentium, sed de hominum communitate. Quamobrem uti aequum est, a singulis

quibusque hominibus internis externisque actionibus Deum coli, sic pariter aequum est ab humana societate in honorando Divino Numine utrumque cultum adhiberi. Imo fac longe diverso cultu illum prosequi, illi adorationis actus non essent vere communes, quum non continerentur iis mediis, quibus homines invicem consociantur, actionibus scilicet externis.

Jam vero hoc veluti firmissimo fundamento jacto neminem latere potest, singulos homines, ex quibus omnis societas exsurgit, et constat, sese eximere haud posse ab iis pro sui conditione praestandis, quae publico cultui fovendo videntur necessaria. Hinc factum est, ut Deus prima condens Hebraeorum reipublicae fundamenta districte praeciperet: "[1]Quando tuleris summam filiorum Israel, juxta numerum dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, et non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli juxta בשקל הקדש mensuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars sicli offeretur Domino."

46. Id testatur Scriptura Deum praecepisse primo Hebraeorum peregrinationis anno ab eorum discessu ex Aegypto; hinc [2]Colenso obiter, ut ita dicam, quae cum veritate nullo modo cohaerere ac conspirare possunt,

(1) Ex. cap. xxx v. 2-13.

(2) Colens: oper: cit: part: i, cap. vii § 46: "We may first notice in passing, that the expression "shekel of the Sanctuary," in the above passage, could hardly have been used in this way until there was a Sanctuary in existence, or, rather, until the Sanctuary had been some time in existence, and such a phrase had become familiar in the mouth of the people.

heic se invenisse gloriatur: contendit enim appositum illud, "juxta mensuram templi," vix et ne vix quidem usurpari hoc in praecepto potuisse: nullum enim adhuc Tabernaculum excitatum erat; ac proinde quid sibi vellet Deus per illa verba "juxta mensuram Templi" prorsus Hebraeos latere debuisset. Hisce vero non obstantibus, prosequitur ille, Pentateuchi scriptor ea a Deo usurpata fuisse sex aut septem menses ante Tabernaculum excitatum non dubitavit asserere.

47. Verum illa ignorantiae, ac communis sensus inopiae nota qua Scriptorem Pentateuchi inurere Colenso enititur, non Moysi sed potius ipsi subeunda. Ideo enim phrasim, "juxta mensuram Templi," ab hoc praecepto eliminandam contendit, quia nullo tunc temporis Tabernaculo extante, temere illam heic usurpatam fuisse ratus: at falso laborat supposito: nam perpatrato ab Hebraeis ad radices Sinai idolatriae [3] facinore sex aut septem menses ante conditum illud de quo Adversarius agit, Tabernaculum, Deus non modo populum hunc rebellem plaga [4] percussit, verum etiam e mediis castris eorum flagitiis foedatis sese declinare voluit. Hinc "[5] Moyses, testante Scriptura, tollens tabernaculum tetendit extra castra procul, vocavitque nomen ejus tabernaculum foederis. Et omnis populus, qui habebat aliquam quaestionem, egrediebatur ad tabernaculum foe-

---

Whereas here it is put into the mouth of Jehovah, speaking to Moses on Mount Sinai, six or seven months before the Tabernacle was made."

(3) Exod. c. xxxii v. 1-26.

(4) Exod. c. xxxii v. 27-35.

(5) Exod. c. xxxiii v. 7-9.

deris extra castra. Cumque egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat universa plebs, et stabat unusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebantque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium. Ingresso autem illo tabernaculum foederis, descendebat columna nubis, et stabat ad ostium, loquebaturque cum Moysi." Quo ex testimonio aperte colligitur jam tum, etiam nondum excitato Tabernaculo secundo, et aliud tentorium extitisse mystica illa nube sanctificatum, et ab Hebraeis tamquam Supremi Numinis domicilium habitum, veneratumque. Quae quum ita se habeant, ecquis illa verba "juxta mensuram templi" temere hoc in praecepto usurpata fuisse contendat?

Falso praeterea laborat supposito 2, quia praeter illud, quod supra innuimus, temporarium tabernaculum jam ante praeceptum recensendi populum, exigendique dimidiam partem sicli a recensitis Deus per Moysen universo Israeli ea omnia, quae in secundi tabernaculi aedificationem ornamentumque cedere debebant, describi fecit. Hinc Moysen totum in eo fuisse perspicimus, ut in [6] antecedentibus linearem quamdam hujus futuri tabernaculi picturam populo sibi commisso exponeret. At quum haec fuerint in caussa, prolato praecepto solvendi dimidiam partem sicli juxta mensuram templi, nullo modo potestas vocis "templi" hebraeos latere potuit, quum jamdiu perfamiliarem illis fuisse dicamus oportet. Imo neque illa difficultate quae sola heic locum habere potuit, quaeque circa hujus sicli valorem prae caeteris siclis profanis tota versatur, eos ullo

(6) Ex. xxv. usque ad xxx. v. 10.

modo gravatos fuisse ambigere possumus. Quia Moyses in hoc ipso praecepto valorem hujus sicli determinavit, inquiens [7] "Siclus viginti obolos habet. Media pars sicli offeretur Domino." Praepostere igitur Colenso hujus praecepti phrasim "juxta mensuram Templi" tamquam praematuram, ac proinde intellectu difficilem reprobat.

Imo 3 si haec argumenta, quae potius nostram Vulgatam ab Adversarii ictibus tegunt, deficerent, ipsius primigenii textus verba בשקל הקדש per se satis essent, ut totam a Colenso excogitatam difficultatem prorsus enodarent. Nam verbum הקדש licet in Pentateucho ad tabernaculum designandum quandoque [8] usurpetur, proprie tamen, ac generatim [9] sanctitatem importat. Hinc illa praecepti verba בשקל הקדש non ut reddita sunt in Vulgata "juxta mensuram templi" voce קדש abstracta pro concreta מקדש usurpata, sed verius "juxta siclum sanctitatis" vel rectius "juxta siclum sanctum essent vertenda." Quam interpretationem prae ceteris tum R. Salomon, tum Septuaginta Intepretes amplexi sunt: ille enim, testante [10] Cartwrighto, ita hunc Exodi locum exposuit: "hoc autem dabit.... dimidium sicli juxta pondus sicli, quem constitui tibi, ut eo siclos sacros ponderes:" hi vero et ipso [11] Colenso assentiente, sequentibus graece illum reddiderunt: "και τουτο εστιν ο δωσουσι ... το ημισυ του διδραχμου ο εστι κατα το διδραχμον το αγιον: scilicet: Et hoc est quod

(7) Ex cap. xxx. v. 13.
(8) Ex. c xxviii. v. 35. Lev. xvi. v. v- 2. et 23,
(9 Conf. Winer lex. manual.
(10) In coll. Critic. Sacr. Scrip. alib. cit.
(11) Col. loc. cit. § 46.

dabunt . . . dimidium didrachmatis, quod est juxta didrachma sanctum." Jam vero si qua, licet levissima, probabilitatis specie Adversarius, nondum excitato secundo tabernaculo, potuit contendere omni prorsus sensu penes Hebraeos phrasim "juxta mensuram templi" caruisse; in hac tamen interpretatione ne ullum quidem simili difficultati praesidium perfugiumque patet: absonum enim est dicere etiam notionem sanctitatis Hebraeos tunc temporis latuisse.

48. Verum haec quaestio cum aliis, quae in hunc locum Adversarius congessit, comparata minoris momenti nobis videtur; ac proinde hac relicta, ad graviora animum convertimus. Colenso enim, obiter annotato illo, quem superius refutavimus, soloecismo, ad ea, quae ejus executionem respiciunt, magno accedit animo, ibique pro virili enititur ostendere plura quae cum Pentateuchi genuinitate, atque authentia nullo modo cohaerere, apteque conspirare possunt, occurrere. Et sane, sic ille argumentatur. [12] Hujus praecepti verba innuunt singulos Haebraeos, quoties censiti, toties demidiam sicli partem

(12) Colen. loc. cit. § 17. These words direct that, whenever a numbering of the poeple shall take place, each one that is numbered shall pay a ransom for his soul, of half a shekel. Now in E. xxxviii. 26. we read of such a tribute being paid, a bekah for every man, that is, half a shekel after the shekel of the Sanctuary, for every one that went to be numbered, from twenty years old and upward, that, is the atonement money is collected, but nothing is there said of any census being taken. On the other hand, in N. I. I.—46. more than six months after the date of the former occasion, we have an account of a very formal numbering of the poeple......here the census is made, but there is no indication of any atonement-money being paid.

solvere debuisse. At Ex: xxxviii. 26., prosequitur ille, populi tributum tantum, non vero ejus census consignatus occurrit; Numerorum vero 1. 1.—46. sermo quidem de populi censu instituitur, altum vero de solutione tributi silentium observatur. Hinc liberalitate quadam illi in hisce scripturae investigationibus insueta ultro [13] fatetur omissionem in utroque casu esse fortuitam, ac proinde in altera facti specie vere populi censum habitum, in altera vere tributum exactum ponit.

Imo horum omnium, quae praestitit, oblitus [14] populi censum in utroque scripturae loco reperit, numerique (603,550) identitatem in discrimen, inque falsi suspicionem vocat.

Verum tota Adversarii ratiocinatio falso innititur supposito, praeposterisque laborat deductionibus. Contendimus enim primo, ac vehementissime affirmamus, hoc capitationis praeceptum non in perpetuum, sed una tantum vice, hoc scilicet in censu, Hebraeos ad tributum tabernaculo solvendum obligasse. Id enim suadent luculenterque demonstrant varia rationum momenta.

49. Et sane: illud suadet, luculenterque demonstrat 1. philologia. Nulla enim vox, nullaque particula tum in nostra Vulgata, tum in ipso textu originali occurrit, quae vel minimum hujus, quam fingit Colenso, perpe-

(13) Colen. loc. cit. The omission in each case might be considered, of course, as accidental, it being supposed that, in the first instance, the numbering really took place, and in the second the tribute was paid, though neither circumstance is mentioned.

(14) Colen. loc. cit. But then it is surprising that the number of adult males should have been identically the same (603,550) on the first occasion as it was half a year afterwards.

tuae obligationis indicium praeseferre deprehendatur: legitur enim: [15] Quando tuleris כי תשא summam filiorum Israel, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino. "Jam vero licet particula כי cui respondet latina "Quando" [16] in varios, inque multiplices sensus plerumque distrahatur, numquam tamen pro "quoties" quae sola in Adversarii hypothesi locum haberet, usurpatur. Perperam igitur docet Colenso omnes et singulos Hebraeos, quotiescumque, censu indicto, ad nomen transissent, dimidiam sicli partem ex hoc praecepto solvere debuisse.

Illud suadet, luculenterque demonstrat 2, loquendi usus a Moyse in praeceptis perpetuis edendis communiter usurpatus. Haec enim erat phrasis Moysi in hisce proferendis communiter perfamiliaris: "[17] Eritque vobis hoc legitimum sempiternum:" vel alia huic similis: [18] "Legitimum, ac sempiternum erit in generationibus vestris." Jam vero quum haec sint in caussa, non injuria contendimus Moysen, si hoc in casu praeceptum perpetuum condere voluisset, ex hisce formulis unam vel aliam hisce similem usurpare debuisse.

Illud suadet, luculenterque demonstrat 3 ipsius legislatoris propositum atque consilium. Ideo enim Deus hanc collectam, et hoc tributum a filiis Israel solutum voluit, ut tabernaculum Divinae Majestati congruum non modo excitari, verum etiam numeris omnibus absolvi posset:

---

(15) Ex. cap. xxx. v. 12.
(16) Conf. Winer lex. man.
(17) Lev. cap. xvi. v. 29. 34. c. xxiii. v. 21-31-41.
(18) Lev. cap. vi. v. 18,

Moysi enim praecepit: "[19] Susceptamqe pecuniam, quae collata est a filiis Israel, trades in usus tabernaculi testimonii." Imo diserte scriptura enumerat varia tabernaculi utensilia quae a recensitorum pecunia fuerunt conflata: "[20] Oblatum est autem ab his, qui transierunt ad numerum a viginti annis, et supra de sexcentis tribus millibus et quingentis quinquaginta armatorum, fuerunt praeterea centum talenta argenti, e quibus conflatae sunt bases Sanctuarii, et introitus, ubi velum pendet etc." At tabernaculum, in cujus ministerium haec omnia cedebant semel excitatum jugiter manebat: hoc igitur capitationis praeceptum, exigendique dimidium siclum in hunc finem editum semel Hebraeos obligasse dicamus oportet.

Illud tandem suadet, luculenterque demonstrat 4 agendi modus tum a Moyse tum a reliquis principibus in populi recensionibus a se factis usurpatus. Moyses enim antequam e Sina castra moverentur, ut ordinatius eadem instruerentur, totius populi censum [21] iterari praecepit, quin tamen ullum siclorum tributum a recensitis exigeret; ac proinde tamquam gratuitam repudiamus illam, quam hac in historia fingit Adversarius fortuitam hujusmodi tributi omissionem. Rursus Moyses anno peregrinationis quadragesimo, in campestribus Moab [22] populi quidem censum, non vero siclorum tributum indixit. Hoc modo, ne plura persequar, sese gessit [23] David, quando ostenta-

(19) Ex. cap. xxx. v. 16.
(20) Ex. cap. xxxviii. v. 25-26.
(21) Numer. c. i. v. 1-46
(22) Numer. c. xxvi. v. 2-51.
(23) 2 Reg. c. xxvi. v. 2-9.

tione quadam, quam tamen gravissimo luit flagello, populi suo dominatui subjecti censum indixit. At neque Moyses, neque reliqui principes hisce in rerum adjunctis hocce tributum omisissent, si praeceptum, de quo agitur, non semel, sed in perpetuum obligasset.

50. At instat Colenso, [24] contenditque, hoc praeceptum numquam ad amussim custoditum, vel saltem Pentateuchi scriptorem haud diligenter, quae tunc temporis contigerant enarrasse: ubi enim, ait ille, de tributo disseritur, ne ullum quidem de censu jam tum habito verbum occurrit. At turpiter hallucinatur: nam 1. diserte scriptura numerum recensitorum, qui medium siclum pensitarunt, descriptum profert: legitur enim: [25] Oblatum est autem ab his, qui transierunt ad numerum a viginti annis, et supra de sexcentis tribus millibus et quigentis quinquaginta armatorum ecc." Quid igitur clarius, quid disertius, quam recensitorum numerus, quem tamen adhuc exquirit Colenso, inveniri unquam possit? Quapropter luce meridiana in hisce investigationibus eum caecutiisse dicamus, oportet.

Imo 2, quod summopere demirandum, Colenso qui nullum populi censum hoc in casu descriptum inveuit, quando numerorum identitatem, quae in hoc primo censu, et altero paucis post mensibus habito occurrit, tamquam factu impossibilem, nullaque fide dignam traducere voluit, parum sibi constans, sibique cohaerens, quem antea omissum populi censum blateravit, de priori sententia discedens eum in medium, inque lucem

(24) Colen. oper. cit. cap. cit: § 47:
(25) Ex: cap: xxxviii: v: 25:

[26] protulit, numerumque inde totalem expunxit. Nonnisi summa temeritate igitur praeceptum, de quo nobis est sermo, vel non ad unguem custoditum, vel saltem aliquam fortuitam omissionem in hac Pentateuchi narratione occurrere Colenso venditare enititur.

31. Verum, ne causa, quae conclamata est penitus cadat, illam tandem [27] urget numerorum (603,550) identitatem, quae in duobus populi censibus saltem sex mensium spatio a se invicem disjunctis occurrit: prorsus enim impossibile illi videtur, nullam priori numero altero in censu consignato sive accessionem sive imminutionem per illud temporis spatium contigisse.

At haec difficultas talis non est, quae vel mediocrem Pentateucho labem inurere possit, quaeque ejus genuinitatem, authentiamque in discrimen inque falsi suspicionem vocare videatur. Ut enim [28] Michaelis aliorumque hypotheses ad hanc difficultatem enodandam excogitatas tacitus praeteream, utpote quae minus ad veritatis normam exactae mihi videantur, illud in primis animadverto, Colenso in illo tempore, quod inter utrumque populi censum intercesserat, determinando nimis conjecturis indulsisse, illudque absque ulla probabilitate, imo prorsus gratuite ad sex mensium spatium protraxisse: licet enim haud tempus scriptura determinaritquo Hebraei dimidium siclum in usum tabernaculi persolverunt, tamen diserte [29] testatur jam tum, qui tributum

(26) Colen. oper. cit. loc. cit.
(27) Colen. loc. cit.
(28) Apud Colen. oper. cit. § 48-52.
(29) Ex cap. xxxviii. v. 25.

persolverunt, descriptos quando jam ferme tabernaculum numeris omnibus absolutum erat, et nonnullae [30] tantum sacerdotales vestes adhuc desiderabantur. At tabernaculum [31] primo die alterius anni ab eorum discessu ex Aegypto erectum consecratumque fuit; secunda vero populi enumeratio [32] mense secundo ejusdem anni contigit: ita ut inter unum alterumque populi censum vix aut ne vix quidem trium mensium spatium, ut maximus numerus petatur, intercessisse rationabiliter credatur. Jam vero, quum non omnes et singuli Hebraei, sed tantum ii, qui [33] vigesimum aetatis annum adepti in utroque censu erant adnotandi, non modo impossibile, verum potius omnino factu facile erat, ne ullum quidem perquam illo brevi temporis spatio inveniri potuisse, qui adepto vigesimo aetatis anno priori recensitorum numero adjungeretur. Itemque, quum scriptura Deum inducat in siclorum solutionis praemium promittentem: "[34] Et non erit plaga in eis cum fuerint recensiti:" nihil prohibet, quominus ne ullum quidem eorum, qui transeuntes ad nomen tributum sibi a Deo impositum persolverunt, per trium mensium spatium periisse dicamus. Quae quum essent in caussa, nonnisi iidem in utroque censu adnumerandi; ac proinde illa recensitorum (603,540) identitas quam reprehendit Colenso, in utroque censu locum haberet,

(30) Ex. cap. xxxix. v. 1-43.

(31) Ex. xl. v. 2.

(32) Numer. c. i. v. 1.

(33) Ex. cap. xxx. v. 14. cap: xxxviii: v: 25: Numer. c. i. v. 3.

(34) Ex. cap. xxx. v. 12.

21

necesse erat. Semper igitur rata fixaque manet contra Adversarii commenta saltem quoad hanc historiae partem veracitas Pentateuchi.

52. Hinc factum est, ut Patres non modo in hujus praecepti promulgatione, ejusque executione nihil, quod falsitatis coargui posset, deprehenderent, verum plura ex hoc facto in suos usus de re christiana agentes derivarent.

Hac mente atque hoc consilio 1. hoc praeceptum suis in scriptis allegarunt, ut fideles edocerent neminem sui capitis, suaeque vitae esse dominum, sed omnes unum habere dominum, nempe Deum. Sic Cyrillus Alexandrinus ad rem nostram habet: "[35] Igitur lex ab utroque Judaeo dimidium didrachmi supremo Deo persolvi jubebat, non quod exigendae aut corrogandae pecuniae rationem quamdam invenisset, sed quod manifestissimis figuris nos edoceret primum quidem neminem sui capitis esse dominum, sed nobis omnibus unum esse, cui tributorum collatione in servitutem adscripti sumus."

Hac mente atque hoc consilio 2. illud usurparunt ut necessitatem tributi novae legis, quod est adorare Deum in spiritu et veritate constabilirent. Sic praefatus Cyrillus fideles urgebat: "[36] Non externis muneribus amplius colendum esse putamus universi Deum, didrachmum e corruptibili materia pendere coacti: sed cum simus veri adoratores, adoramus in spiritu et veritate Deum ac Patrem. Hanc in littera legali sententiam latere censendum est."

(35) Cyril. lib. 2. in Joh. cap. v.
(36) Cyril. loc. cit.

Hac mente tandem, atque hoc consilio 3 illud protulerunt, ut non modo fidei internae, sed etiam confessionis externae necessitatem inculcarent. Sic Origenes contrapositione instituta Judaicam legem inter et Christianam haec habet: " [37] Spiritalis autem lex aurum requirit ad tabernaculum, quod intra nos est, argentum quod intra nos est, et omnes reliquas materias illas deposcit, quas et intra nos habere possumus, et proferre de nobis. Dicit enim scriptura, quia prope est verbum in ore tuo, quia si confessus fueris in ore tuo Dominum Jesum et credideris in corde tuo, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Si ergo credideris in corde tuo cor tuum et sensus tuus aurum est. Obtulisti igitur aurum ad tabernaculum, id est fidem cordis tui. Si vero confessus fueris, sermonem obtulisti, sermonem confessionis argentum" etc.

53. Quae omnia talia sunt, ut nefas omnino sit de Pentateuchi genuinitate, atque authentia vel tenuiter dubitare, vel Apostolo docenti " [38] totam scripturam divinitus inspiratam utilemque esse ad docendum" ausu temerario contraire.

(37) Orig. hom. xiii. in cap. 25. Ex.
(38) Ad Timot. 2. cap. iii. v. 16.

CAPUT VII.

Commoratio Hebraeorum peregrinationis tempore in tabernaculis:—Scripturarum antilogia, aliaeque exceptiones in Pentateuchum a Colenso nobis objectae expenduntur: nil tamen, quod falsitatis, aut quod capitalius, absurditatis coargui possit, hisce in scripturae locis occurrere ostenditur, idque variis argumentis comprobatur.

54. Neminem latet profecto Aeternum numen summa Hebraeos benevolentia prosecutum novisque in dies singulos benefactis toto etiam illorum peregrinationis tempore ornasse: hujus enim benevolentiae signum prae se tulit, quando e mediis idolatriae tenebris in admirabile lumen suum evocavit, et brachio veluti extento per quadraginta annos sospitans, non modo splendidis de eorum hostibus victoriis, verum etiam latissimo totius regionis Patribus promissae dominio cumulavit. Quapropter ne ulla umquam tot tantorumque beneficiorum memoriam oblivio labentibus annis abraderet, imo contra ut alta eorum mente reposita haec omnia manerent, illis praecepit ut terram Chanaan adepti septem dies quotannis festos agerent, deque tot tantisque acceptis a divina largitate benefactis gratias illi anniversarias rependerent. Jussit enim: "[1] Mense septimo festa celebrabitis. Et habitabitis in umbraculis septem diebus: omnis, qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis, ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Aegypti. Ego Dominus Deus vester." Et revera

(1) Lev. cap. xviii, v. 41-43.

Moyses nos edocet Hebraeos statim ac ex Aegypto commigrarunt ac aspera deserti petierunt, tabernaculis pro domibus usos fuisse: ita enim est eos adlocutus: "[2] Colligat unusquisque ex eo (manna) quantum sufficit ad vescendum: gomor per singula capita juxta numerum animarum vestrarum quae habitant in tabernaculo, sic tolletis."

55. Verum [3] Colenso quae sibi mutuo cohaerere nullo modo possunt heic se reperisse gloriatur: haud enim parvam antilogiam commorationem Hebraeorum inter in Exodo a Moyse narratam, et praeceptum Levitici umbracula quotannis struendi deprehendit: heic enim Hebraei habitasse dicuntur toto peregrinationis tempore בסכות in umbraculis: illic vero באהלו in tentorio: quae sibi mutuo excludere, ac veram, formalemque scripturarum pugnam prodere contendit.

Haec ille: nos vero ne ullam quidem antilogiae speciem hisce in Pentateuchi locis occurrere affirmamus, imo vehementissime contendimus, illam, quam heic fingit Colenso scripturarum pugnam, totam in ejus praepostera vocum סכה et אהל interpretatione ac in cerebrosis

---

(2) Ex. cap. xvi. v. 16.

(3) Oper: cit. pa. 1, cap. viii. § 53. It is true, this statement (Ex. nempe xvi. 16.) conflicts strangely with that in L. xxiii. 42-43. where it is assigned as a reason for their "dwelling in booths" for seven days at the Feast of Tabernacles, " that your generations may know that I made the children of Israel to dwell in booths, when I brought them out of the land of Egypt." It cannot be said that the word "booths" here means tents because the Hebrew word for a booth, made of boughs and bushes סכה which is the word here used, is quite different from that for a tent, אהל, used in E. xvi. 16.

ejus commentis sitam esse: variis enim rationum momentis ostendemus primo falso eum se habere dum voce סכה sola umbracula, et voce אהל sola tentoria denotari contendit.

56. Idque 1. suademus, luculenterque demonstramus ex ipsa vocis סכה radice atque origine. Et sane vox סכה quum a verbo [4] סכך "texit," "operuit" suam repetat originem, quodlibet operimentum quavis ratione conflatum in sua primitiva, eaque latissima significatione complectatur oportet. Hinc optimo jure tum tabernacula pastorum, tum militum tentoria, tum ferarum latibula, imo et ipsam nubem sub cujus umbra Hebraei tuti in eorum peregrinatione proficiscebantur hac voce סכה designares; seu pressius non immerito vocem סכה tamquam genus, cujus variae habitationum formae sunt species, susciperes. Jam vero, quum haec sint in caussa, nullo jure ex una parte contendere possumus, obstante insuper diserta Hebraeorum interpretatione, Moysen quando legem tulit, ut Hebraei quotannis בסכות septem dierum spatio commorarentur in memoriam diuturnae Patrum in deserto habitationis בסכות, voluisse ut illi hoc dierum spatio solis umbraculis, minime vero tentoriis, aliisque id generis pro domibus uterentur, et ex altera illum nos edocere voluisse Hebraeos per quadraginta annos in solis umbraculis peregrinam egisse vitam. Nulla igitur scripturarum pugna vere serioque obtrudi, urgerique posset, si non modo tentoria, verum etiam alias operimentorum species in deserto Hebraeos usurpasse Moyses in Pentateucho dixisset.

---

(4) Winer lex man.

Idque suademus 2. luculenterque demonstramus ex hujus vocis סכה usu communiter a scriptoribus sacris usurpato. Plura enim in Scripturis occurrunt hac voce designata, quae juxta Adversarium sola voce אהל indicanda essent. Sic militum tentoria, quae certe Davidis tempore non solis arborum ramulis constabant, voce סכה denotantur: ita enim Urias perhibetur David regem allocutus: "[5] Arca Dei, et Israel, et Juda habitant בסכות in papilionibus:" hac ipsa voce designantur splendida regioque apparatu conflata Benadab tentoria: legitur enim: "[6] Benadab ipse bibebat, et reges בסכות in umbraculis:" hac voce usus etiam Amos in designanda Davidis aula regia: ait enim: "[7] In die illa suscitabo את־סכת tabernaculum David, quod cecidit: et reaedificabo aperturas murorum ejus:" hanc tandem, ne plusquam par est hac in enumeratione excurram, usurpavit Regius Psaltes, ubi de ipso Dei tabernaculo verba seruit, inquiens: "[8] Deus abscondit me in tabernaculo בסכה suo: in die malorum protexit me in abscondito אהלו tentorii sui." Quae quum ita se habeant, ecquis vel adeo Colenso genio indulgeat, ut voce סכה nonnisi tabernacula venire contendat, et non potius varias sibique diversas habitationum species, vel saltem illius cum voce אהל contra disertam postremi loci testificationem συνωνυμίαν, suscipere renuat?

Idque suademus, luculenterque demonstramus 3. ex

(5) 2. Reg. cap. xi. v. 11.
(6) 3. Reg. cap. xx. v. 12.
(7) Amos cap. ix. v. 11.
(8) Psalm. xxvi. v. 61.

vocis אהל usu, qui penes scriptores sacros obtinuisse deprehenditur. Prouti enim vidimus Colenso perperam significatum vocis סכה ad sola umbracula designanda coarctasse: sic praepostere se habere contendimus, dum voci אהל unam tantum significationem, tentorii nempe, subesse temere decernit. Et sane: pro comperto quidem habemus vocem אהל plerumque ad tentoria significanda in scripturis usurpari; at aeque certi sumus Hebraeos, utpote qui tum ante eorum [9] ingressum in Aegyptum, tum per totum illud tempus, [10] quo ibi manserunt, curae pecorum intenti, vitaeque pastorali addicti sub tentoriis communius vitam agerent, hac voce אהל quamlibet eorum sedem, quavis ratione conflatam cohonestare consuevisse. Hac mente enim, hocque consilio usurpatur, dum legitur: " [11] Japhet habitet באהלי־שם in tabernaculis Sem:" vel dum [12] Josue, et [13] Gedeon in terra Chanaan constituti, hac phrasi in dimittenda turba usi, dicentes: " [14] revertimini לאהליכם in tabernacula vestra:" Ubi perspicuum est vocem אהל loco domus positam esse. Prouti igitur Judaeorum in more positum erat, ut non modo tentoria, verum etiam quamlibet eorum sedem, seu domum voce אהל designarent, haud temere contendimus simili ratione quodlibet operimentum, quod Hebraeis toto peregrinationis tempore praesto erat, ac proinde non sola tentoria, prouti urget

---

(9) Gen. cap. xlvi. v. 32-34.
(10) Gen. cap. l. v. 8.
(11) Gen. cap. ix. v. 27.
(12) Jos. cap. xxii. v. 4.
(13) Jud. cap. vii. v. 8.
(14) Loc. cit.

Colenso, hac voce Moysen significasse. Quae quum ita se habeant., tota, quam vocem סכה inter et אהל urget Colenso, antilogia omnino corruat, prorsusque dilabatur oportet.

Idque suademus 4 luculenterque demonstramus ex agendi modo a sacrae Scripturae interpretibus in utriusque vocis, סכה nempe et אהל potestate in aliam linguam vertenda usurpato. Non modo enim parum illos sollicitos, ut sartam tectam illam, quae inter has voces Colenso intercedere videtur, distinctionem habeant, sed contra eos perspicimus utramque vocem quam saepissime una eademque significatione complecti. Sic speciminis gratia Vulgatus Interpres communissime has voces "tabernaculum" latine vertit: idemque de Xanti Pagnini versione affirmandum. Rursus interpres Syrus vocem אהל latissime accepit, illamque "domum" vertit. Imo ne plura persequar, ipse Anglus Interpres eamdem "tabernaculi" significationem hisce vocibus סכה et אהל subesse plus vice simplici videtur innuere. Nullam igitur isti interpretes in suis versionibus conficiendis antilogiam sibi pertimescendam duxerunt. Ac proinde non injuria nos interpretationem quam commentus est Colenso, ac scripturarum pugnam, quam inde se depromere posse sibi gloriatur, tamquam erroneam repudiamus.

57. Imo tandem 5 si omnia, quae ad hanc rem enodandam protulimus, argumenta, quaeque improprio harum vocum usu inniti, parumque auctoritatis praeseferre [15] Colenso videntur, deficerent, nullam tamen anti-

(15) Colen. loc. cit. § 63. in fine.

logiam in Pentateuchum adhuc urgeri posse contendimus: idque suademus, luculenterque demonstramus ex adjunctis. Ecquis enim in animum inducat suum, omnes et singulos in illa ingenti Hebraeorum multitudine recens Aegypto egressa tentoriis sibi comparandis pares fuisse? Aderant quidem, nec eo inficias, divites, quibus id dubio procul factu facile erat, sed etiam pauperes, eosque in magno numero, quemadmodum in quavis hominum societate locum habet, pluresque alios, qui utpote laboribus [16] assueti parum hisce aliisque id generis commoditatibus indulgerent, extitisse dicamus oportet. At hoc necessario supposito, facile mihi persuadeo neminem fore, qui huic, quam subdimus, disserendi concludendique formae non omnino suffragetur. Tunc vera ac formalis scripturarum pugna merito adesse diceretur, optimoque jure obtrudi urgerique posset, quando de uno eodemque facto, subque iisdem respectibus considerato ea referuntur, quae nullo modo sibi mutuo cohaerere, apteque conspirare possunt. At juxta ea, quae supra innuimus commoratio Hebraeorum in deserto nonnisi sub duplici respectu, saltem primis eorum peregrinationis annis, consideranda venit, in quantum scilicet divites sub tentoriis, pauperes vero aliosque perplurimos in umbraculis commoratos esse credendum. Nullam igitur praeseferre antilogiam dicenda sunt illa Pentateuchi [17] loca, quibus Hebraei modo in umbraculis, modo in tentoriis degisse perhibentur.

58. Quid ad haec Adversarius, tenetur undique.

---

(16) Ex. cap. i. v. 14. cap. iii. v. 7. cap. v. v: 11-12.
(17) Lev. cap. xviii. v. 41-43. et Ex. cap. xvi. v. 16.

Verum ipse, relicta scripturarum antilogia, modo majorem exceptionem obtrudit, ipsamque narrationis substantiam aggreditur: tum enim Hebraeos in umbraculis, tum in tentoriis eorum peregrinationis tempore vitam egisse negat. [18]Alterum quia magna festinatione ac confusione eos Aegyptum deseruisse ratus: hinc parum de arborum frondibus caedendis, umbraculisque struendis sollicitos eos fuisse autumat. [19]Alterum, quia quum vix et ne vix quidem 200,000 tentoria pro universa Hebraeorum multitudine sat esse possent, quumque Hebraei in Aegypto non in tentoriis, sed in aedibus commorarentur, contendit haud praesto illis esse potuisse tam ingentem

---

(18) Colen. oper. cit. cap. viii. § 54. There is not, however the slightest indication in the story that they ever did live in booths, nor is it conceivable when they could have done so ...... It cannot surely be supposed that, in the hurry and confusion of this flight,they had time to cut down boughs and bushes to make booths of, if even there were trees from which to cut them."

(19) Colen. loc, cit. et seq. " But, however this may be, we are required to believe that they had tents, at all events, as these are repeatedly mentioned......Now, allowing ten persons for each tent......two millions of people would require 200,000 tents. How then did they acquire these? Had they provided this enormous number in expectation of marching, when all their request was to be allowed to go for three days into the wilderness Ex. v. 3.? For they were not living in tents in the land of Egypt, as we gather from the fact, that they were to take of the blood of the paschal lamb, and strike it on the two side-posts, and on the lintel or upper door-post, of their houses, Ex. xii. v. 7. But further, if they had these tents, how could they have carried them? They could not have borne them on their shoulders, since these were already occupied with other burdens. And these burdens themselves were by no means insignificant" etc.

papilionum numerum: imo etiamsi aliter res se habuisse dicatur, vel ideo Hebraeos in tentoriis habitare haud potuisse affirmat, quia, quum jam plus aequo spoliis Aegyptiorum onerati essent, nullo modo haec etiam secum transportasse credibile illi videtur.

At in his omnibus congerendis actum egit, tempusque trivit Adversarius noster: tota enim ejus argumentatio praeconceptis opinionibus innititur, falsoque laborat supposito. Nulla enim festinatione, nullaque confusione acti Hebraei Aegyptum deseruerunt: quod sequentibus evincitur.

59. Evincitur 1 ex diuturna hujus discessus expectatione. Ubi enim Moyses populum adiit, ut eorum animos injusta Aegyptiaca servitute dejectos arrigeret, quae in eorum liberationem Deus agere promiserat, retegit: populus autem: "[20] Credidit, audieruntque, quod visitasset Dominus filios Israel: et quod respexisset afflictionem illorum, et proni adoraverunt." Ab hoc igitur primo Moseos cum populo colloquio credendum est Hebraeos avide illum diem, qui finem eorum malis imponeret, expectasse, omnesque animi cogitationes, et curas adjecisse eo, ut, illo superveniente, sese ad iter capessendum paratos haberent. Cui expectationi nova in dies singulos stimula, sese coacervantibus plagis, accedebant, usque dum Moyses indicta agni paschalis immolatione, explicatisque, quae observandae tunc temporis erant, caeremoniis, diem in omnium votis habitum aperuit, illumque determinavit inquiens " [21] In eadem

(20) Ex. cap. iv. v. 31.
(21) Ex: cap: xii: v: 17:

ipsa die educam exercitum vestrum de terra Aegypti." Quae quum ita se habeant, ecquis Hebraeorum discessum ex Aegypto populi incompositae atque praeproperae fugae ita coaequet, ut vix et ne vix quidem umbracula sibi construendi illis tempus fuisse contendat?

Evincitur 2 ex divina cura, atque sollicitudine, quae etiam in hac facti specie enituit. Deus enim, licet Moysen totius Hebraeorum multitudinis praefectum jussit, cujus opera, atque consilio, utpote [22] viri in omni scientia Aegyptiorum eruditi, nihil inordinati expectandum erat; tamen et ipse eorum discessus curam rationemque in se suscepit, testante Scriptura " [23] Profecti... filii Israel in manu excelsa, videntibus cunctis Aegyptiis." Sub qua divina tutela nihil confusi, aut inordinati contigisse credendum est.

Evincitur tandem 3 ne quae alibi mihi disertius dicenda sunt inaniter repetam, ex diserta Scripturae testificatione. Scriptura enim, quin Hebraeos Aegypto egredientes circumfuse ruentes exhibeat, potius illos gaudio perfusos, summa tamen gravitate summoque ordine incedentes quam brevissime exhibet, inquiens: " [24] Eduxit Dominus filios Israel de terra Aegypti per turmas suas." At nefas est in exercitu ordinatim incedente vel aliquam confusionem suspicari. Praepostere igitur haec omnia, imo impie, in Hebraeos Aegypto egredientes commentus est Colenso; ac proinde jure

(22) Act. cap. vii. v. 22.
(23) Numer. cap. xxxiii. v. 3.
(24) Ex. cap. xii. v. 51.

nostro contendimus factu facillimam Hebraeis umbraculorum constructionem fuisse.

Imo, quod capitalius, 4 non solum id factu facile illis fuisse, sed etiam re actuque sibi umbracula plerosque excitasse contendimus. Moyses enim, narrato Hebraeorum discessu, historiam peregrinationis aggreditur, nobisque varias mansiones, seu loca, in quibus Israelitae castrametati sunt, graphice describit. Jam vero prima, quae nobis occurrit,mansio fuit in Socoth: "[25] Profecti sunt filii Israel de Ramesse סכתה in Socoth" ubi prima vice [26] castra posuerunt. At hujus loci nomen nil aliud, quam "umbracula" importat: hinc, quum Jacob e Mosopotamia rediens locum, quo hujusmodi סכת seu umbracula fixit, hac voce סכת vocare consuevit, testante Scriptura "[27] Jacob venit in Socoth: ubi aedificata domo, et fixis tentoriis, appellavit nomen loci illius Socoth, id est, tabernacula:" optimo jure, contendimus, aliquid huic simile in hac prima Hebraeorum mansione accidisse, ideo scilicet locum, quo primitus Hebraei ex Aegypto egressi castrametati sunt, nomine סכת donatum fuisse existimamus, quia eorum plerique in hac prima statione solis סכת umbraculis pro domibus usi sunt.

60. Nec minori falsitate laborant, quae contra Hebraeorum in tentoriis mansionem Adversarius nobis obtrudere enititur. Nullo enim pacto illi possumus assentire dum illud in dubium vocat an Hebraeis possibile

(25) Ex. cap. xii. v. 37.
(26) Numer. cap. xxxiii. v. 6.
(27) Gen. cap. xxxiii. v. 17,

fuerit tentoria sibi comparare: et comparata an potuerint ea secum transportare. Nam hoc ipso quod rejicimus illum exaggeratum 200,000 tentoriorum, quem Colenso prorsus gratuite fingit, numerum, perinde ac si omnibus Hebraeis solis tentoriis, et non potius, prouti jam supra vidimus, partim tentoriis, partim umbraculis, aliisque id generis operimentis uti permissum, hoc ipso, inquam, ne ullum quidem dubium quoad hanc historiae partem suboriri potest. Nam et ipse Colenso [28] profitetur magnam saltem Hebraeorum partem in pecoribus pascendis per universam terram Gessen dispersam, atque intentam fuisse; hinc eos tentoriis omnino caruisse nullo modo credendum. Imo si hisce caruissent quum pro comperto habeamns, eos [29] despoliasse Aegyptios, atque plura, quae minus ad vitam domesticam necessaria erant, cujusmodi fuerunt ea omnia, quae Tabernaculo excitando, vestibusque Sacerdotum conficiendis accomodata fuerunt, secum ex Aegypto [30] transportasse, ni sensus communis inopiam prodere velimus, haud opertis oculis credere possumus Hebraeos longum iter arripientes inque tam secundis rerum adjunctis constitutos parum de tentoriis in diuturnis itineribus summopere necessariis sollicitos. Nec tandem illis deesse poterant media hisce omnibus transportandis summopere accommodata: nam diserte Scriptura testatur secum Hebraeos innumera duxisse [31] pecora, et quod

(28) Colen. oper. cit. cap. x. § 70-72.
(29) Ex. cap. xii. v. 36.
(30) Ex. cap. xxv. v. 5-29.
(31) Ex. cap. xii. v. 38.

capitalius, ulterius edocet illis praesto fuisse haud parvum[32] plaustrorum numerum. Quae quum ita se habeant, nemo, ni hujus narrationis evidentiae, imo sensus communis et rationis dictamini stulte valedicere velit, Moysi haec omnia narranti fidem habere detrectet.

Hinc factum est, ut Christus, et omnes scriptores sive Judaei, sive Christiani toti in eo essent, ut non modo hujus Pentateuchi historiae, verum etiam hujus Mosaici praecepti sanctitati consulerent.

61. Hac mente atque hoc consilio 1 Christus, licet, imminente suae passionis tempore, noluit Hierosolymam festum Tabernaculorum celebratum publice repetere, tamen quin hujus solemnitatis utilitatem vel tenuiter reprobaret, potius suis discipulis, ut ascenderent praecipere maluit, ipseque nullo comitante et privatim celebratum ivit. Ita enim rem effert Scriptura "[33] Vos ascendite ad diem festum hunc (Scenopegia) ego autem non ascendo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est. Haec cum dixisset, ipse mansit in Galilaea. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto." At cum hujusmodi festum institutum, summaque religione ab Hebraeis custoditum esset in memoriam diuturnae Patrum Aegypto egressorum habitationis in tabernaculis, ubi hoc, prouti fingit Colenso, falsum esset, potius Christus suis discipulis ne ascenderent praecepisset, seque prorsus ab hac festivitate cohibuisset.

(32) Numer. cap. vii. v. 3.
(33) Joh. cap. vii. v. 8.-10

Hac mente atque hoc consilio 2, ut paraphrases chaldaicas, aliaque numero plurima Rabbinorum in hanc Pentateuchi historiam commentaria tacitus praeteream, universa Hebraeorum gens a primis eorum Reipublicae temporibus usque in praesens summa, quae fingi potest, non modo sedulitate, verum etiam superstitione duci consuevit in hujusmodi umbraculis parandis, excitandisque. Imo Josephus Flavius descriptis, quae hisce in rerum adjunctis obtinere solent, caeremoniis concludit "[34] Atque haec quidem Hebraei tabernacula figentes more institutoque patrio celebrant." Quae quidem omnia nullo modo, ni universam Hebraeorum multitudinem miserrime deceptam semper fuisse, semperque fabellis indulsisse dicere velimus, cum iis, quae in hanc Pentateuchi narrationem congessit Colenso, conciliare possumus.

Hac mente, atque hoc consilio 3, ne varias, easque doctissimas tum Catholicorum tum etiam Acatholicorum in haec Pentateuchi loca adnotationes inutiliter persequar, Patres potestatem vocis "Scenopegiae" explicantes ad veritatem Mosaicae narrationis recursum habuerunt. Sic rem effert Augustinus: "[35] Quid sit Scenopegia, Scripturas qui legerunt, noverunt. Faciebant die festo tabernacula ad similitudinem tabernaculorum, in quibus habitaverant cum ex Aegypto educti peregrinarentur in eremo. Iste erat dies festus, magna solemnitas." Hisce similia protulit Beda, inquiens: "[36] Scenopegia est dies festus quo Judaei mense septimo in tabernaculis sub

(34) Joseph. Flav. lib. iii. Antiq. cap. x.
(35) August. tract. xxviii. in Joh. n. 3.
(36) Beda in cap, vii. Joh.

ramis arborum habitare diebus septem jubebantur ad memoriam habitationis illorum in eremo. Iste erat dies festus, quem Judaei magna solemnitate celebrabant, velut reminiscentes beneficiorum Domini, qui eos eduxit de terra Aegypti."

Hac mente atque hoc consilio 4 ex Mosaica narratione, et ex solemnitate inde subsecuta argumentum hauserunt, ut resurrectionem mortuorum credendam proponerent, utque fideles ad totam eorum spem in illa collocandam hortarentur. Sic Theophylactus enumeratis, quae ex Moysi praecepto Hebraeis celebranda erant, festivitatibus, de Scenopegia habet: " [37] Scenopegia autem (significat) resurrectionem, quando omnes quidem fructus nostrorum operum consummantur: tabernaculaque nostra per mortem destructa, iterum construuntur."

Hac mente tandem 5 atque hoc consilio dum omnes, et praesertim tabernaculorum, quas nunc celebrant Hebraei, solemnitates reprobant, summa reguntur cura, ne eadem inurant nota divina Pentateucho consignata harum omnium praecepta. Sic Chrysostomus suam hac de re aperit mentem. " [38] Supersunt adhuc festorum Judaeorum reliquiae. Sed quemadmodum illorum tubae multo sceleratiores erant iis, quae sonant in theatris, et jejunia quavis ebrietate, et commessatione erant turpiora: ita et tabernacula quae nunc apud illos figuntur, nihilo sunt honestiora diversoriis, in quibus scorta versantur, ac tibicinae. Ne quis autem orationem hanc audaciae damnet, nam ausus est extremus summaque

(37) Theoph. in Joh. cap. vii.
(38) Chrys. orat. vii. adv. Jud. n. 1.

iniquitas secus de istis opinari. Cum enim adversus Deum contendant ac Spiritui Sancto resistant, cur non talem de illis feramus sententiam? Erat olim hoc festum venerabile, cum juxta legem fieret, Deique jussu. Nunc autem non amplius; nam tota illius dignitas sublata est, eo quod contra Dei mentem celebratur."

62 Quae quum ita se habeant, nonnisi summa Christi caelestis Doctoris, universaeque Hebraeorum synagogae, denique tot tantorumque praestantissimorum Sacrae Scripturae Interpretum et Ecclesiae Patrum injuria Colenso commorationem Hebraeorum in tabernaculis post eorum ex Aegypto discessum, et praeceptum inde conflatum quotannis per septem dies commorandi in tabernaculis, aliisque id generis operimentis tamquam falsam, imo factu impossibilem traducere, interque fabulas amandare non est veritus.

CAPUT VIII.

Hebraei Aegyptum deserentes armis instructi: Exceptio, quam in hanc Pentateuchi partem urget Colenso, expenditur:... primo tamen variae quoad vocem חמשים (armati) interpretum sententiae atque opiniones enumerantur:—veracitas inde Mosaicae narrationis declaratur:...Nostrae Vulgatae tandem interpretatio variis argumentis accurata ostenditur.

63. Pulchre Regius Psaltes Dei mirabilia in debellandis Hebraeorum hostibus celebrans haec ore retulit:"[1] Nec in gladio suo (Hebraei) possederunt terram, et bra-

(1) Psalm. xliii. v. 3.

chium eorum non salvavit eos. Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis." Tanto enim favore Deus populum Israel sibi acceptum prosecutus, ut licet iste bellis gerendis insuetus ac diuturna Aegyptiaca servitute animo fractus, paucis tamen, quae secum asportare poterant armis ([2] armati enim חמשים ascenderunt) de hostium copiis multitudine innumeris, armis bene instructis, ira perciti plenam consequerentur victoriam.

At in his omnibus nonnulla parum ad veritatis normam exacta Colenso occurrere videntur. Prorsus enim videtur illi incredibile [3] Pharaones, qui omnes animi cogitationes et curas eo adjecerant, ut populum Hebraeorum quovis modo dure crudeliterque divexarent, illos arma domi habere passos esse, quibus possent facile suam recipere libertatem: imo etiam dato, [4] prosequitur ille, sibi haec omnia, imminente eorum discessu comparasse, eccur instante sibi hoste a tergo, potius

---

(2) Ex. cap. xiii. v. 18.

(3) Colen. oper. cit. cap. ix. § 59. "It is inconceivable that these downtrodden, oppressed people should have been allowed by Pharaoh to possess arms, so as to turn out at a moment's notice 600,000 armed men. If such a mighty host... had had arms in their hands, would they not have risen long ago for their liberty, or at all events, would there have been no danger of their rising?"

(4) Colen. loc. cit. "Are we to suppose, then, that the Israelites acquired their arms by "borrowing" on the night of the Exodus?...But, if even in this or any other, way they had come to be possessed of arms, is it conceivable that 600,000 armed men, in the prime of life, would have cried out in panic terror "sore afraid" E. xiv. 10. when they saw that they were being pursued?"

Deum clamoribus, et Moysen querimoniis impetere, quam, arreptis armis, vim vi repellere maluerint?

Hisce, aliisque similibus rationibus contendit Adversarius Pentateuchum e suo antiquitatis jure deturbare, ejusque genuinitatem, atque authentiam funditus denegare; nos vero antequam quoad hujusmodi difficultates nostram mentem aperiamus, e re esse ducimus multiplices, sibique contrarias de vocis חמשים, quae in vulgata aliisque nonnullis versionibus "armati" reddita est, potestate Interpretum sententias rimare, accurateque declarare.

64. Et sane: Septuaginta Interpretes, qui tempore Ptolemaei Alexandriam petierunt a Summo Sacerdote Eleazaro missi, ut scripturam lingua Hebraica primitus conscriptam in graecam verterent, vocem חמשים [5] reddiderunt πεμπτη δε γενεα: seu quinta generatione seu progenie. Onkelos vero et Aben-Ezra illam vertendam [6] duxerunt: "succincti lumbos:" ita ut sequens esset totius sententiae sensus:" Et lumbos succincti ascenderunt filii Israel de terra Aegypti." Aquilae vero Symmacho et Syro interpreti interpretatio nostrae Vulgatae, nempe "armati" arrisit: [7] alter enim ωπλισμένοι: alter vero [8] καθωπλισμενοι illam vertit. Interpreti [9] Arabo idem fuit חמשים ac "instructi." Item ex recentioribus Clericus Septuaginta secutus est, illosque secutus est Fuller, qui originem vocis חמשים a radice חמש

(5) Conf. Walt. poliglot.
(6) Conf. a Lapide.
(7) Conf. Colen. oper. cit. cap. ix.
(8) Colen. loc. cit.
(9) Conf. Walt. Poliglot.

repetens illam vertit: "quini," seu" in quinque cohortibus." Calvinus, Diodati aliique vestigiis Arabicae versionis, alii vero iique in magno numero Vulgatae insistere maluerunt. Gesenius tandem et aliam novam hujus vocis interpretationem urget, illam scilicet, qua vox חמשים tamquam a vocibus חמץ et חמס originata "strenui" vertitur. Quae quidem atque plura alia quae videri adhuc possunt in Synopsi criticorum [10] M. Poli per se satis sunt, ut ostendant vocem חמשים perquam obscurae esse potestatis, ac salebrosae interpretationis, talemque esse, quae interpretibus antiquis et recentioribus, orthodoxis atque heterodoxis, imo et ipsis hebraeis numquam crucem non fixerit.

65. Jam vero, quum haec sint in caussa, sequenti argumento 1. Pentatechi jura, dignitatemque asserere decrevi. Interpretatio vocis חמשים licet summo adhibito studio, in tanta Interpretationum varietate nonnisi conjiciendo suspicandoque assignari potest. Jam vero ea quae urget Adversarius vel talia sunt, ut cum Vulgatae expositione componi sub aliquo respectu possint, vel non. Si primum dicatur, perperam igitur Adversarius veracitatem Mosaicae narrationis in discrimen inque falsi suspicionem ex hoc loco vocare contendit; si alterum, quod tamen prorsus falsum esse brevi ostendemus, hoc unum sequeretur, in re, quae nec ad fidem nec ad mores spectat, ab hac interpretatione, alioquin omni veneratione digna, salva debita reverentia, recedendum, et interpretationi illi inhaerendum, quae minus Adversarii exceptionibus obnoxia deprehenditur; sarta proinde

(10) Poli Syn. in hunc loc.

tectaque semper Pentateuchi genuinitas atque authentia perstabit.

Idque 2. evincimus ex agendi modo ab ipso Adversario usurpato. Nam in tota orationis serie nonnisi summam animi perplexitatem prodit; anceps enim haeret in determinanda vocis חמשים potestate: [11] mihi enim videtur, ait ille, haec vox in omnibus, in quibus occurrit, Scripturae locis, armatos importare. Sese etiam oscitanter gessit in numero armatorum definiendo: fingere enim debemus, [12] sunt ejus verba, totam armatorum (600,000) manum ad radices Sinai fuisse armis instructam. Tandem omni hac de re dubio excusso, nulloque tamen plausibili argumento in medium prolato [13] hos omnes arma gestasse contendit. Jam vero quum haec sint in caussa, tota Adversarii deductio hisce praemissis innixa non modo nullam certitudinem contra Pentateuchi genuinitatem, atque authentiam parere potest, verum et ipsius Logicae classicam ignorantiam prodit: compertum est enim apud omnes conclusionem semper pejorem sequi partem. Actum igitur Adversarius noster egit, dum veracitatem historicam Pentateuchi hujusmodi armis certe se adoriri posse sibi blandiebatur.

Jam vero quum ea, quae protulimus, argumenta, omne adimant dubium circa genuinitatem atque authentiam Pentateuchi, tempus est ut et ipsius Vulgatae vocis חמשים interpretationem rectam pro virili asseramus, illamque ab Adversarii ictibus tegamus. Variis enim

(11) Colen. oper. cit cap. ix. § 58.
(12) Colen. loc cit. § 62,
(13) Colen. loc. cit.

rationum momentis evincere possumus Hebraeos in suo discessu haud prorsus armis caruisse.

66. Idque 1. evincimus ex necessitate, qua cogebantur quandoque barbarorum excursionibus occurrere, atque se suaque omnia armis defendere. Nimis enim a vero aberraret, si quis Aegyptios semper ab omni hostilis aggressionis metu immunes laetosque semper pacem agitasse autumaret: ex Josepho enim Flavio comperimus regnante [14] Timao ex partibus orientalibus homines ignobili genere sed audaciae plenos repentinum in Aegyptum fecisse impetum, illumque facile admodum ac sine pugna subegisse, atque, principibus ejus in suam potestatem redactis, civitates crudeliter flammis addixisse, Deorum templa evertisse, omnia vastasse, regemque, cui nomen Salatis, sibi jussisse. Insuper laudatus Josephus prosequitur ac ulterius edocet, regnante Alisfragmuthosi, reges, qui debellati fuerunt, usurpatores bello vicisse, ac reliqua Aegypto pulsos, unum in locum, cujus ambitus decem jugerum millia contineret, inclusisse quidem, at nullo modo illos cohibere potuisse, ne inde egredientes praedas ex Aegypti agro agerent, neve aperta manu regnum amissum recuperare satagerent. Jam vero, quum Hebraei hisce in rerum adjunctis suos greges pastum agere deberent, imo se suaque omnia tam adversis in rebus tutari compellerentur, ecquis crederet eos penitus armis ad vim repellendam summopere accommodatis caruisse?

Idipsum 2. evincitur ex agendi modo ab ipso Pharaone usurpato. Volens enim Rex Aegypti suum populum in

(14) Joseph. Flav. lib. i. contr. Ap. § 14,

Hebraeos incitare, hosque ad servorum conditionem redigere primo haec verba habuit "[15] Ecce populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est. Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur; et si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis, egrediatur de terra." Ubi singula, ut ita dicam, hujus orationis verba Pharaonis formidinem non modo ex Hebraeorum numero, verum etiam ex eorum potentia conceptam portendunt. Licet enim haud eo inficias regem quadam heic usum hyperbole in Hebraeorum potentia plus aequo extollenda "fortior nobis est;" tamen ne fingere quidem possum eum hujusmodi tropum usurpasse, ubi omnes pro comperto haberent, Hebraeos esse prorsus inermes. Praeterea haud tanta circumspectione opus esset, ut non aperta vi sed "sapienter" eos in servitutem redigeret, ubi, prouti fingit Colenso, Hebraei prorsus libertati comparandae impares fuissent. Postea vero Pharao, ut rebus suis consuleret, utque omnibus ex parte Hebraeorum seditionis conatibus, ingruente bello externo, per tempus occurreret, potius eorum numerum minuendum, quam eorum potentiam per armorum depositionem frangendam censuit. Quae quidem omnia cum iis, quae de Hebraeorum conditione eorumque vitae tenore commentus est Colenso, nullo modo profecto cohaerere possunt.

Idque evincitur 3 ex antecedentibus et consequentibus. Moyses enim diserte in antecedentibus nos [16] edocet, Hebraeos summam gratiam penes Aegyptios, permittente Deo, nactos fuisse, ac tot tantaque vasa aurea, atque

(15) Ex. cap, i. v. 7-10.
(16 Ex, cap. xii. v. 35-36.

argentea, aliaque id generis bona atque opes pro damnis injuste sibi irrogatis ab illis accepisse, ut illos prorsus despoliasse non dubitarit asserere. At ecquis credat Hebraeos, dum in hisce rerum adjunctis versabantur, adeo auri, argentique amore captos fuisse, ut qui armis carerent, hisce amplius indigere vellent? Praeterea idem Moyses, narrata misera ac totali Aegyptiorum aquis erythraei obrutorum internecione, graphice bellum cum Amalec in Raphidim gestum describit, Hebraeorumque victoriam inde partam sequentibus celebrat: "[17] Fugavit Josue Amalec, et populum ejus in ore gladii." Ubi clare ac diserte Hebraei recens Aegypto egressi armis instructi exhibentur. Haud temere igitur vocem חמשים in vulgata "armati" redditam dicamus oportet.

Idque evincitur tandem 4 ex ipsa vocis "armati" latissima comprehensione. Vox enim "arma" seu "armati" ad omnes armorum species, ut cuique patet, protenditur, omniaque bellica instrumenta, cujusmodi sunt lanceae, enses, gladii, aliaque id genus in sua latissima significatione complectitur. Hinc si Hebraei armis proprie dictis post Aegyptiorum exitium tantum sese instruere potuerint, uti innuere videtur Josephus, qui delibata Pharaonis, suorumque acerba morte, subdit: "[18] Postera vero die cum aestus ventis adjuvantibus arma Aegyptiorum in littus ejecisset, ubi tum Hebraei castra posuerant, Moyses, hoc ipsum conjiciens Dei providentia factum esse, ni post haec arma desiderarent, ea colligens, iisdemque tegens muniensque Hebraeos, duxit eos ad montem Si-

(17 Ex. cap. xviii. v. 13.
(18 Joseph, lib. ii. Antiq. cap. xvi. § 6.

naeum Deo illic sacrificaturus et munera pro salute populi oblaturus, prouti ipsi antea imperaverat Deus." et antea solis cultris ad vitam domesticam summopere necessariis accincti fuerint, optimo jure arma gestasse dicerentur, ac proinde non temere hac voce "armati" in Vulgata interpretatione cohonestatos occurrere dicamus oportet. Jam vero, quum haec fuerint in caussa, injuria Colenso mirum videtur quod Hebraei, imminente sibi a tergo Pharaone eum intento atque infesto exercitu, sibique etiam natura loci adversa, potius clamores edere, quam cum hoste manus consercre maluerint.

67. Hinc factum est ut Patres non modo Hebraeorum certamina in deserto inita propter armorum defectum pro dubiis non habuerint, sed potius uno ore veritatem bellorum ab Hebraeis gestorum et praesertim illius contra Amalec suscepti celebrarint. Hac mente enim hocque consilio illud allegarunt [19] Auctor epistolae, quae Divi Barnabae nomen praefert, [20] Justinus Martyr, [21] Irenaeus, [22] Tertullianus, aliique, Sic speciminis gratia Tertullianus de vi et efficacia crucis disserens habet, [23] "Moyses, quid utique tunc tantum cum Jesus adversus Amalech praeliabatur, expansis manibus orabat residens, quando in rebus tam attonitis, magis utique genibus depositis, et manibus caedentibus pectus et facie humi volutante orationem commendare debuisset; nisi quia illic. . . crucis quoque erat habitus necessarius.

(19) Barnab. cap. xii.
(20) Just. Mart. in dial. n. 90.
(21) Iren. lib. iv. adv. haer. cap. 41.
(22) Tertul. lib. iii. adv. Mar. cap. xviii. et adv. Jud. cap. vii.
(23) Tertul. lib. iii. adv. Marci cap. cit.

Imo quod capitalius, quodque proprius quaestionem nostram attingit Hieronymus de Aquilae interpretatione, quae circa hanc vocem חמשים omnino Vulgatae similis, agens haec habet: "[24] Aquilam vero ut in caeteris, et in hoc maxime loco proprie transtulisse omnis Judaea conclamat, et Synagogarum consonant universa subsellia."

68. Quae quum ita se habeant, ecquis sanae mentis homo contendat Vulgatum interpretem nulla veritatis specie vocem חמשים "armatos" reddere potuisse, tantique Adversarii exceptionibus deferat, ut nullo modo Hebraeos Aegypto recens egressos armis instructos fuisse credat? Quidquid vero sit de hac quaestione, mihi sat est innuisse, pessimo jure Colenso ipsum Moysen falsitatis atque absurditatis nota inurere enisum: caeterum ad vocis חמשים potestatem quod attinet, quum alias mihi sat superque perspecta divina Pentateuchi inspiratio, rogandum Deum assidue cum Divo Augustino, ut hujus vocis, quam perquam difficilis intelligentiae, ac salebrosae interpretationis esse vidimus, intelligentiam elargiri dignetur. Augustinus enim, ubi in obscuriora Pentateuchi loca incidebat, non ausu temerario illa in discrimen inque falsi suspicionem vocabat, sed potius, prouti omnes Christianos decet, sequentibus Deum precari consuevit: "[25] Cum illum, (Mosen) interrogare non possum, te, quo plenus vera dixit, Veritas, rogo te Deus meus, rogo parce peccatis meis: et qui illi servo tuo dedisti haec dicere, da et mihi et intelligere."

---

(24) Hier. ad Dam. quest. ii.
(25) August. lib. ii. Confes. cap. v.

CAPUT IX.

Prima paschatis institutio ac celebratio expenditur :—Quae ab Adversario in hanc facti speciem congesta sunt, ad trutinam revocantur:—nil tamen eorum quae ipse reprehendit graviter solideque urgeri posse ostenditur, idque variis rationum momentis comprobatur.

69. Cum nihil a sapientissimo naturae auctore in ordine civili homini tribui possit praestabilius, nihil praeclarius, florentius nihil, quam regia potestas, summumque reipublicae imperium, in quantum ille, qui haec potitus omnium civium salutem, vitam, libertatem, bona, fortunas, domicilia omniaque alia suae sapientiae, fidei, potestatique commissa, concreditaque habeat; haud diu impune abire potest, qui divino hoc munere ac dono in Deum ipsum abuti non erubescit: hoc ipso enim et suam et populi sibi commissi perniciem perquam stulte molitur. Et re quidem vera, nolens Aegypti tyrannus primis Moseos exhortationibus, imo divinis praeceptis obtemperare, veniamque abeundi universae Hebraeorum multitudini concedere, Aeterni Numinis lacessivit iram, qui primo cum levibus, dein gravioribus, tandem terribilissima plaga a suo pravo proposito revocavit, et ad populum Israel dimittendum coegit. Adhuc enim post novem plagarum genera in suis pravis consiliis obfirmato Pharaone, Deus ut omnes perspectum haberent nihil esse quod suae voluntati resistere possit, utque Pharaonem ad dimittendos Hebraeos compelleret, omnium primogenitorum Aegypti caedem decrevit, ne vero Hebraeos eadem poena conflictatos cerneret, illis per Moysen ut sese expeditos ad iter haberent, utque Phase celebrarent

praecepit inquiens: "[1] Ite, tollentes animal per familias vestras, et immolate Phase. Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, et aspergite ex eo superliminare et utrumque postem: nullus vestrum egrediatur ostium domus suae usque mane. Transibit enim Dominus percutiens Aegyptios: cumque viderit sanguinem in superliminari, et in utroque poste, transcendet ostium domus, et non sinet percussorem ingredi domos vestras, et laedere. Custodi verbum istud legitimum tibi et filiis tuis usque in aeternum....Et egressi filii Israel fecerunt sicut praeceperat Dominus Moysi et Aaron." Qua in Pentateuchi historia prouti divina cura atque sollicitudo in tutandis Hebraeis sibi acceptis et injusta servitute oppressis elucet ex una parte, pari modo ex altera divina justitia refulget in impiorum consiliis frustrandis, illosque digna poena plectendis.

70. Verum quae toto caelo diversa sunt, heic Colenso occurrunt: nam tota haec paschatis historia falsa, creditu difficillima, et impossibilis illi videtur. Ille enim mordicus potestati pronominis הַזֶּה [2] adhaerens contendit

(1) Ex. cap. xii. v. 37.

(2) Colen. oper. cit. cap x. § 65. "That is to say, in one single day, the whole immense population of Israel...... was instructed to keep the Passover, and actually did keep it. I have said "in one single day;" for the first notice of any such Feast to be kept is given in this very chapter v. 3. and we find it written in v. 12 I will pass through the land of Egypt this night, and will smite all the first-born in the land of Egypt, both man and beast." It cannot be said that they had notice several days beforehand......for the expression in v. 12. is distinctly הזה "this" not ההוא, "that," as in xiii. 8; and so v. 14. this day shall be unto you for a

uno tantum die horum omnium, quae a Deo prima vice jubentur, omnes et singulos Hebraeos notitiam accipere acceptamque executioni mandare debuisse. Atque hoc vel ideo illi impossibile videtur, quia 1. [3] inspecta natura tot tantorumque caeremoniarum ac rituum quae in hac prima paschatis celebratione usurpanda erant, et obligatione sub qua ab omnibus et singulis Hebraeorum familiis ad unguem observanda, non aliquo generali signo

---

memorial. "and besides, in the chapter preceding, xi. 4, we read "and Moses said (to Pharaoh) thus saith Iehovah, about midnight will I go out into the midst of Egypt...where there be no doubt that the "mid-night" then next at hand is intended."

(3) Colen. oper. cit. cap. x. § 66. "How could the order, to keep the Passover, have been conveyed, with its minutest particulars, to each individual household in this vast community, in one day,—rather, in twelve hours, since Moses received the command on the very same day, on which they were] to kill the Passover at even, E. xii. 6.? It must be observed that it was absolutely necessary that the notice should be distinctly given to each separate family. For it was a matter of life and death. Upon the due performance of the Divine command it depended whether Iehovah should stride across (פסח) the threshold...and protect the house from the angel of death, or not. And yet the whole matter was perfectly new to them. The specific directions, about choosing the lamb, killing it at even, sprinkling its blood, and eating it, with unleavened bread... were now for the first time communicated to Moses, by him to the elders, and by them to the people. These directions, therefor, could not have been conveyed by any mere sign, intimating that that they were now to carry into execution something about which they had been informed before. They must be plainly and fully delivered to each individual head of a family."

sed singula singulis Israelitarum patribusfamilias clare, distincte, et in individuo, ut ajunt, haec omnia patefacienda fuisse contendit. Quum vero hisce in rerum adjunctis [4] Hebraeos non in una eademque civitate degentes sed adhuc in pascendis gregibus occupatos atque

(4) Colen. loc. cit. § 67-73. "This would, of course, be done most easily, if we could suppose that the whole Hebrew community lived as closely together as possible, in one great city......The story, however, will not allow us to suppose that they were living in any such city at all. Having so large flocks and herds, even very much cattle, E. xii. 38. many of them must have lived scattered over the large extent of grazing ground, required under their circumstances; and, accordingly, they are represented as still living in the land of Goshen, E. ix. 26. But how large must have been the extent of this land? We can form some judgment on this point by considering the number of lambs. which (according to the story) must have been killed for the Passover......Taking ten as the average number, two millions of poeple would require about 200,000 lambs......Then we may suppose 200,000 male lambs of the first year, and 200,000 female lambs, making 400,000 lambs of the first year altogether. Now a sheepmaster, experienced in Australia and Natal, informs me that the total number of sheep, in an average flock of all ages, will be about five times that of the increase in one season of lambing. So that 400,000 lambs of the first year implies a flock of 2.000,000 sheep and lambs of all ages...... Let us allow five sheep to an acre. Then the sheep alone of the Israelites would have required 400,000 acres of grazing land......We must, then, abandon altogether the idea of the people living together in one city, and must suppose a great body of them to have been scattered......in a district of 400,000 acres......But then the difficulty of informing such a population would be enormously increased.

hic illic dispersos fuisse ex nonnullis scripturae locis parum scite in medium prolatis se conjicere posse ratus, quumque ex numero agnorum in hac facti specie immolatorum plusquam vicies centies mille pecora per 400,000 terrae jugera dispersa illis fuisse arbitratus: hinc inferendo colligit prorsus esse impossibile solo duodecim horarum spatio horum omnium, quae tunc prima vice praecipiebantur, omnes et singulos Hebraeos claram et distinctam potuisse sibi notitiam comparare, comparatamque executioni mandare. Praeterea ideo 2 hoc illi impossibile videtur, quia praeter ea, quae agni paschatis immolationem respiciebant, injunctum quoque Hebraeis erat, [5] ut haud parvum auri et argenti, atque aliorum id generis pondus ab Aegyptiis acciperent. At quum unius diei spatium celebrandae paschati impar viderit, potiori jure illud et huic diuturno negotio nullo modo accommodatum fuisse contendit.

At bona ejus pace contendimus totam illam, quam in hac Pentateuchi historia se reperisse contendit, difficultatem ita se habere, ut ne leviter quidem Moysen, ve-

(5) Colen. oper. cit. cap. cit. § 68-73. " Further, we are told that every woman was to borrow of her neighbour, and of her that sojourned in her house, jewels of silver, and jewels of gold, and raiment," E. iii. 22...And this appears to be confirmed by the statement, E. xi°. 35. 36. that, when suddenly summoned to depart, they hastened, at a moment's notice, to borrow in all directions from the Egyptians, and collected such a vast amount of treasure, in a very short space of time, that they spoiled the Egyptians.. But then the difficulty of informing such a population would be enormously increased, as well as that of their borrowing, when summoned in the dead of night, E. xii. 29-36, to the extent implied in the story.

rum e contra ipsius cerebrosa commenta afficere deprehendatur. Ut enim nonnulla minoris momenti huc illuc disseminata, ac nonnisi temere ab illo in lucem inque medium edita, cujusmodi est ille perquam exaggeratus 200,000 agnorum numerus, qui juxta [6] Colenso in hac caeremonia immolatus fuit, vel illa 400,000 terrae jugerum extensio, per quam re actuque Hebraeos dispersos fuisse [7] ratus, ut inquam hujusmodi nonnulla, tacitus praeteream, hanc disputationem hisce cancellis cohibere malo, utrum scilicet uno tantum die ante Hebraeorum exitum ex Aegypto, et ante primogenitorum caedem, an potius pluribus diebus antea, illa omnia, quae tum Paschae celebrationem, tum Aegyptiorum despoliationem respiciebant, Hebraeis annuntiata fuerint, annuntiataque opere completa. Qua de re statuo, ac vehementissime contra Colenso affirmo, pluribus diebus ante Hebraeorum liberationem haec omnia fuisse a Moyse universo Israeli annuntiata: id enim suadent, luculenterque demonstrant varia rationum momenta.

71. Idque enim suadet, luculenterque demonstrat 1° totius narrationis contextus. Sic enim Moyses hanc narrationem exorsus: " [8] Dixit quoque Dominus ad Moysen et Aron in terra Aegypti, mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni. " Quibus verbis Dominus praeter annum civilem, cujus initium tempore autumnali menseque Tizri, qui lunationi Septembris respondet, erat, et annum sacrum condit ejusque initium in mense, cui no-

(6) Colen. loc. cit. § 70-71.
(7) Colen. loc. cit § 73.
(8 Ex. cap xii. v, 1-2.

men Nisan, constituit: hinc valde rationabiliter contendimus quae heic narrantur ipsis Nisani kalendis contigisse: quod quidem adhuc ulterius suadetur ex totius narrationis serie. Et sane prosequitur Scriptura, ac divinum Paschatis praeceptum sequentibus effert: "[9] loquimini ad universum coetum filiorum Israel, et dicite eis decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias suas:" ex quibus aperte liquet haec dicta a Deo fuisse ante decimum diem, imo quod capitalius, Moysen ante hunc diem haec ipsa Hebraeis promulgare jussum, quo possent commode agnum ex gregibus seligere, selectum vero servare: [10] "Et servabitis eum (agnum) usque ad quartam decimam diem mensis hujus: immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam." Inter agni igitur e reliquis separationem ejusque vespertinam immolationem quatuor dies dubio procul intercessisse dicamus, oportet. Ac proinde non eo ipso die, prouti fingit Colenso, quo haec a Deo praecepta fuerant, Pascha immolandum, comedendumque erat cum omnibus ritibus inferius indicatis. Deus enim, praejacto Paschae praecepto, sequentes ritus observandos statuit: "[11] Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum:" ex quo praecepto primo sanguine hujus agni aspergere debebant Hebraei suarum domorum ostia: secundo "[12] Et edent carnes בלילה הזה nocte illa assas igni, et azymos panes cum

(9) Ex. loc. cit. v. 3.
(10) Ex. loc. cit. v. 6.
(11) Ex. loc. cit. v. 7.
(12) Ex. loc. cit. v. 8.

lactucis agrestibus: " ita ut carnes hujus agni die decima quarta immolati haud pro suo genio comedere possent, sed בלילה הזה istius diei nocte panem azymum, cum lactucis agrestibus adhibere deberent: tertio "[13] Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni: caput cum pedibus ejus, et intestinis vorabitis. Nec remanebit quidquam ex eo usque mane: si quid residuum fuerit, igne comburetis:" scilicet ne liberi quidem erant carnes hujus agni בלילה הזה diei decimaequartae nocte pro lubito condire, vel residuum usque mane servare, sed hac nocte totum agnum assum igni vorare praecipiebantur: quarto tandem: "[14] Sic autem comedetis illum: renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinantes " nempe sese omnino ad exitum comparatos בלילה הזה nocte ista habere jussi fuerunt, quod clare ipsa rituum natura ostendit. Igitur omnes praefati ritus ac caeremoniae in hac agni Paschatis immolatione tantum, ac proinde sola decimaquarta nocte mensis Nisan observanda ab omnibus Hebraeis erant, si ab Angelo mortis sani ac sospites evadere cuperent: "[15] Transibo enim per terram Aegypti (dixit Deus) בלילה הזה nocte ista, percutiamque omne primogenitum in terra Aegypti ab homine usque ad pecus... erit autem sanguis vobis in signum in aedibus, in quibus eritis: et videbo sanguinem, et transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Aegypti: "

(13) Ex. loc. cit. v. 9-10.
(14) Ex. loc. cit. v. 11.
(15) Ex. loc. cit. v. 12.

ea die igitur primogenita Aegyptiorum interimenda erant, qua Hebraei Pascha celebrare jussi erant. Ac proinde ni impie velimus asserere, Deum parum in hisce statuendis sibi constantem, sibique cohaerentem fuisse, non illa die, qua haec Moysi praecipiebat, quaeque et ipsius agni non modo immolationem verum etiam ejus e gregibus separationem praecessit; sed potius die decimaquarta mensis Nisan, de qua in tota narratione disseritur, Angelo Aegyptiis infenso veniam dedisse, ut eos hac plaga percuteret, dicamus oportet. Quae quum ita se habeant, praepostere Colenso totus in eo est, ut ostendat eo ipso die, quo Deus Paschae celebrationem mandarat, debuisse Moysen de hisce omnibus caeremoniis ac ritibus omnes et singulas Hebraeorum familias certiores facere, ut inde Pentateuchum tamquam factu impossibilia narrantem inter fabulas amandare possit. Nec est cur nobis potestatem pronominis הזה "iste" prae alterius pronominis ההוא nempe "ille" obtrudat contendens quod si Deus non eo die, quo haec Moysi retegebat, sed ad diem decimamquartam mortem primogenitorum distulerat, non pronomen הזה "iste," quod praesens tempus, sed potius alterum "ille" quod futurum designat, usurpare debuisset: nam pronomen הזה "iste" designat quidem simultaneitatem, non modo praesentem, verum etiam tum praeteritam, tum futuram, uti sequentibus scripturae locis ostendemus. Et sane: Moyses Noeticam alluvionem describens, haec habet: [16] "Anno sexcentesimo vitae Noe, mense secundo, septimodecimo die mensis, ביום הזה in

(16) Genes. cap. vii. v. 11.

ista die, rupti sunt omnes fontes abyssi magnae, et cataractae coeli apertae sunt: "ubi illud appositum ביום הזה non designat quidem diem, qua haec Moyses scripto consignabat, sed ex contexta oratione illum diem respicit, quo defrenato cursu aquae super terram ruere coeperunt, ac proinde pronomen הזה "iste" tempus jam diu praeteritum innuit. Itemque de Noe in arcam ingressu agens, subdit: "[17] In articulo היום הזה istius diei ingressus est Noe... in arcam:" at Noe ejusque filii jamdiu vita functi haud potuerunt eo die, quo haec Moyses scribebat arcam, ne aquis diluvii obruerentur, ingredi. Pronomen הזה igitur simultaneitatem quidem designat, sed etiam praeteritam, si hanc prae ceteris orationis contextus subaudit. Eamdem simultaneitatem sed futuram designare perspicitur ex eo quod Moyses praeter [18] hanc Paschatis immolationem festivitates, quae post terrae promissae ingressum ab universo Israeli celebrandae erant, enumerans, singillatimque recensens, sic de solemnitate azymorum mandavit: "[19] Quintadecima die לחדש הזה istius mensis solemnitas azymorum Domini est:" itemque de festo Pentecostes scripsit, "[20] Vocabitis היום הזה diem istum celeberrimum, atque sanctissimum:" at cum haec praecepta tempus futurum respiciant, ni Moysen sensus communis inopiae insimulare velimus, potestatem vocis הזה non ad tempus, quo haec promulgabat, sed ad illud, quo haec absolvenda erant, designandum usurpasse

(17) Genes. cap. cit. v. 13.
(18) Ex. cap. xii. v. 1. et seq.
(19) Lev. cap. xxiii. v 6.
(20) Lev. cap. cit. v. 21.

dicamus oportet. Quum igitur contextus narrationis de Paschatis immolatione, ac celebratione plures dies hujus divini praecepti promulgationem inter et ejus executionem intercessisse clare ac diserte innuat, quumque primogenitorum Aegypti caedes ex eodem contextu illa die, qua Pascha erat immolandum, et non antea facienda esset, plane eruitur pronomen הזה quo ille dies designatur, quo Deus finem hisce omnibus positurus spoponderat, non tempus praesens, quo scilicet haec omnia Deus Moysi retegebat, sed futurum, quo executioni mandanda, designare; ac proinde Colenso turpiter errasse tum in vocis הזה potestate non ex contextu sed arbitrarie determinanda, tum etiam in impossibilitatis atque absurditatis nota in Pentateuchum impingenda.

Id etiam suadet, luculenterque demonstrat 2 difficultas, qua Adversarius laborat, conciliandi potestatem pronominis הזה, quam in hac facti specie sibi effinxit, cum totius orationis serie atque contextu. Quum enim ille hac voce הזה ipsum diem designari ratus, quo Deus suam hac de re mentem primum Moysi aperuit, et non illum diem, quo Hebraeos, perculsis Aegyptiis, liberare decreverat, statuit uno die tantum hujusmodi praeceptum promulgatum atque ab omnibus et singulis Hebraeis diligenter observatum fuisse: quod tamen inspectis omnibus rerum adjunctis illi visum est impossibile: quum vero orationis contextus a die, quo haec omnia a Deo Moysi annuntiata perhibentur, usque ad illum, quo Hebraei agnum in promptu habere jussi, itemque quum ab hac die usque ad ejusdem agni vespertinam immolationem multos dies elapsos fuisse haud obscure innuat, Adversarius, quin suam interpretationem emendandam du-

xerit potius ut sese ab hac molestia expediret, fronte quidem pervicaci, omnem contradictionem in Pentateuchum impingere haud est veritus, inquiens: [21] historia prouti heic jacet cum praescriptione seligendi die decima agnum, selectumque usque ad quartamdecimam servare perplexitatibus et contradictionibus scatet. Quum igitur, testante ipso Adversario, in illa sententia, qua uno die, quae heic narrantur, annuntiata et opere completa perhibentur, nonnisi absurditates, ac contradictiones profluant, quumque vero pluribus adjectis diebus, prouti verius contendimus, omnia clarescant, totaque narrationis series omni difficultate immunis libera ac expedita decurrat, evidens est Adversarium minime Scripturam intellexisse, praveque intellectam impie in discrimen, inque falsi suspicionem vocasse.

Id etiam suadent, luculenterque demonstrant 3 Rabbinorum et Scriptorum Hebraeorum in hanc Pentateuchi historiam commentaria. Isti enim omnes toti in eo sunt ut ostendant plures dies praecepti Paschatis promulgationem inter et ejus celebrationem intercessisse. Sic speciminis gratia haec ad rem nostram habet Josephus Flavius [22]" Deus autem ostendens adhuc una plaga percutiendos esse Aegyptios ut cogerentur Hebraeos dimittere, jussit Moysen edicere populo, ut in promptu habeant, sacrificium, praeparantes illud decima Xanthici mensis in quartamdecimam. . . dein ut et ipse Hebraeos ducat omnia sua secum portantes. Et ille quidem, cum Hebraeos ad egressum expeditos haberet, et per tribus dispositos,

(21) Colen. loc. cit. § 65
(22) Joseph. Flav. Antiq. lib. ii. cap. xiv. § 6.

in uno loco eos continebat. Quartadecima autem illucescente, omnes cum jam in eo essent ut egrederentur, sacrificabant, atque sumptis hyssopi fasciculis domos suas sanguine purificabant." Aliter igitur ac fecit Colenso, verba Moseos scriptores et genere et disciplina Hebraei intellexerunt: nam hi omnes plane persuasi fuerunt non unius diei spatio hoc praeceptum Pascha celebrandi cum omnibus ritibus ac caeremoniis Pentateucho consignatis et promulgatum a Moyse fuisse, et omnibus et singulis Hebraeorum familiis compertum, sed jam diu cognitum ab unaquaque eorum solerter uno die, imo una hora custoditum.

Idipsum suadent, luculenterque demonstrant 4 paraphrases Chaldaicae et versiones antiquissimae. Onkelos enim aliique sacrae scripturae interpretes, ut difficultatem ex pronomine הזה ab Adversario petitam declinarent, utque probe diem, qua Deus hujusmodi praeceptum edidit, ab illa secernerent, qua omne primogenitum Aegypti interimendum decreverat, verba בלילה הזה non "ista nocte", sed rectius, "nocte illa" reddiderunt. Sic Onkelos apud Waltonium habet: "[23] Et apparebo in terra Aegypti in nocte illa, interficiamque omne primogenitum in terra Aegypti." Itemque Vulgatus interpres haec vertit: [24] Et transibo per terram Aegypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Aegypti ab homine usque ad pecus". Ubi clare ac diserte aliqua temporis intercapedo diem quo celebratio Phase indicta inter et primogenitorum caedem, Hebraeorum-

(23) Conf. Wal. Poliglot.

(24) Walton. loc. cit.

que exitum ponitur. Ac proinde non uno eodemque die quae in hac Pentateuchi historia narrantur, contigisse, sed pluribus diebus a se invicem distracta fuisse credamus oportet.

Idipsum tandem suadent, luculenterque demonstrant
5 absurditates, quae in Adversarii hypothesi necessario profluere deprehenduntur. Ubi enim haec prima Paschatis institutio ac celebratio propter illas omnes, quas in medium inque lucem protulit Colenso, exceptiones tamquam absurditatibus referta inter fabulas esset amandanda, necessario sequeretur, Hebraeos, qui a primis eorum Reipublicae temporibus semper hunc ritum sanctum solemnemque habuerunt, semperque omni, quae fingi potest, religione celebrarunt, miserrime fuisse deceptos; imo Christum, [25] qui ab hac Paschatis caeremonia non abhorruit, quique ab hoc ritu ad Eucharistiae institutionem gradum fecit, ut magis magisque in hac falsa opinione illos obfirmaret conspirasse. Quae omnia absurda sunt atque a divina bonitate prorsus aliena.

Hinc factum est ut Patres toti in eo fuerint, quo veritatem hujus Pentateuchi historiae pro virili tuerentur, sive illam universim, sive per partes allegando, tum illam doctis commentariis illustrando, tum varia atque multiplicia de re christiana agentes argumenta inde depromendo.

72. Hac mente enim, hocque consilio 1. [26] Clemens Romanus, [27] Justinus Martyr, [28] Clemens Alexandrinus,

(25) Math. cap. xxvi. v. 17-28.
(26) Clem. Rom. I. epist. ad Cor. n. n. xviii. et li.
(27) Just. Mar. Apol. I. n. lxii.
(28) Clem. Alex. in orat. ad Graec.

[29]Tertullianus,[30] Auctor constitutionum, [31] Hilarius, [32] Augustinus, [33] Ambrosius, aliique innumeri Dei potentiam in Hebraeorum liberatione celebrantes decemplicem plagam, qua perculsi Aegyptii fuerunt, in universum relatu dignam existimarunt. Speciminis gratia unum aut alterum disertiorem urgeo. Et sane Tertullianus haec scripto consignavit inquiens: "[34] Constitue igitur injuste hominem divinae legis voluntarium contemptorem id retulisse, quo noluit caruisse: injuste malitiam aevi illius imbribus, dehinc et ignibus caesam: injuste Aegyptum foedissimam, superstitiosam, amplius hospitis populi conflictatricem, decemplici castigatione percussam." Et Augustinus: "[35] Illa vero quae et quanta sunt, quae jam per Moysen pro populo Dei de jugo servitutis eruendo in Aegypto mirabiliter gesta sunt, ubi magi Pharaonis, hoc est regis Aegypti qui populum illum dominatione deprimebat, ad hoc facere quaedam mira permissi sunt, ut mirabilius vincerentur? Illi enim faciebant veneficiis et incantationibus magicis, quibus sunt mali angeli, hoc est, daemones dediti: Moyses autem tanto potentius quanto justius in nomine Domini, qui fecit caelum et terram, servientibus angelis, eos facile superavit. Denique in tertia plaga deficientibus magis, decem plagae per Moysen magna mysteriorum disposi-

(29) Tertul. lib. 11. adv. Marc. cap. xiv.
(30) Auctor Const. lib. v. cap. iii, et xxxvi.
(31) Hilar. com. in Math. cap. xii. § 22.
(32) August. lib. x. de civit. Dei cap. 8.
(33) Ambros. lib. iii. de off. min. cap, 15.
(34) Tertul. loc. cit.
(35) August. loc. cit.

tione completae sunt: quibus ad Dei populum dimittendum, Pharaonis et Aegyptiorum dura corda cesserunt."

Hac mente, atque hoc consilio 2, hanc historiam per partes illustrandam, vindicandamque a quavis exceptione susceperunt. Et primo adlaborarunt ut veram germanamque vocis "Phase" notionem proderent. Sic [36] Tertullianus, [37] Irenaeus, et [38] Gregorius Nazianzenus eam graecae esse originis a verbo πασχω quod idem est ac "patior' ortam esse contendut: sic enim horum primus suam hac de re aperit mentem: "[39] Hoc enim, et Moyses initio primi mensis novorum facturos vos prophetavit cum omne vulgus filiorum Israel ad vesperam agnum esset immolaturus: et hanc solemnitatem diei hujus, id est Paschae azymorum, cum amaritudine manducaturos praecanebat: et adjecit, Pascha esse Domini, id est passionem Christi." Ab his vero dissentit Augustinus, ac verius docet: "[40] Pascha, non sicut quidam existimant, graecum nomen est, sed Hebraeum; opportunissime tamen occurrit in hoc nomine quaedam congruentia utrarumque linguarum: quia enim pati graece paschin dicitur, ideo pascha passio putata est, ut hoc nomen a passione sit appellatum: in sua vero lingua, hoc est in hebraea, pascha transitus dicitur, propterea quia tunc primum pascha celebravit populus Dei quando ex Aegypto fugientes, rubrum mare transierunt." Itemque secundo illam praecepti partem, qua Hebraei primo a-

(36) Tertul. adv. Jud. cap. x.
(37) Iren. lib. iv. adv. haer. cap. xxiii.
(38) Naz. orat. ii. de Pascha.
(39) Tertul. loc. cit.
(40) August. tract. lv. in Joh.

gnum domi habere, dein post paucos dies immolare jussi, non sine illustratione relinquendam duxerunt: Chrysostomus enim sequentibus illam exponit: "[41] Praeceptum legis erat ut decima luna primi mensis agnus, sive haedus in domo recluderetur usque ad quartam decimam lunam ejusdem mensis, quando ad vesperam immolabatur: unde et verus agnus ex omni grege sine macula electus, pro populi sanctificatione immolandus, ante quinque dies, idest decima luna, Hierosolymam ascendit." Tandem Aegyptiorum despolationem juste ab Hebraeis admissam uno ore conclamarunt [42] Irenaeus, [43] Tertullianus, [44] Clemens Alexandrinus, [45] Augustinus, [46] Hilarius, aliique. Nomine omnium audiatur Tertullianus, qui contra Marcionem disputatione inita haec habet: "[47] Sed et per istas caligines sequemur nequitiam et in lucem extrahemus ingenia tenebrarum, objicientia Creatori vel maxime fraudem illam et rapinam auri et argenti, mandatam ab illo Hebraeis in Aegyptios. Age, infelicissime haeretice, teipsum expostulo arbitrum: cognosce in utramque gentem prius, et ita de auctore praecepti judicabis. Reposcunt Aegyptii de Hebraeis vasa aurea et argentea, contra Hebraei mutuas petitiones instituunt, allegantes sibi quoque eorumdem patrum nomine, ex eodem scripturae instrumento mercedes re-

(41) Chrys. hom. lxiv.
(42) Iren. lib. iv. adv. haer. cap. 49.
(43) Tertul. lib. ii. adv. Mar. cap. 20.
(44) Clem. Alex. lib. 1. Strom.
(45) August. quaest. v. in Ex.
(46) Hilar. in Psal. li. § 6.
(47) Tertul. loc. cit.

stitui oportere illius operariae servitutis, pro laterinis deductis, pro civitatibus et villis aedificatis. Quid judicabis, optimi Dei elector? Hebraeos fraudem agnoscere debere, an Aegyptios compensationem? Nam et ajunt ita actum per legatos utrinque. Aegyptiorum quidem repetentium vasa, Judaeorum vero reposcentium operas suas; et tandem vasis istis renuntiaverunt sibi Aegyptii " etc.

Hac mente atque hoc consilio 3 non modo hanc historiam doctis illustrationibus cumularunt, verum etiam plura argumenta de re christiana agentes suos in usus inde derivarunt. Et sane Epiphanius sequenti Quartadecimanos urget argumento: "[48] An non istorum explodenda merito sententia est? Primum enim si Pascha die decimaquarta celebrant, jam tum a die decima praeparandus illis agnus erit, nec amplius una erit consecrata jejunio dies, sed quinque, nimirum decima, undecima, duodecima, decimatertia et decimaquarta. Quod si ad vesperum Pascha fuerit immolatum, quod decimaquarta die illucescente geritur, sex dies jejunio tribuendi sunt: nec jam unus praefinietur; sicque omnis illa de una die quaestio per se ipsa corruit, quae esse unica desinit."

Hac mente atque hoc consilio 4 Christi passionem ad humani generis redemptionem heic praesignificatam fuisse docuerunt. Sic hac de re habet Irenaeus: [49] Et non est numerum dicere in quibus a Moyse ostenditur Filius Dei cujus et diem passionis non ignoravit: sed figuratim praenuntiavit eum Pascha nominans, et in eadem ipsa,

(48) Epiphan lib. ii. haeres, 50,

(49) Iren, lib, iv, adv, haer, cap, 23,

quae ante tantum temporis a Moyse praedicata est, passus est Dominus adimplens Pascha. Non solum autem diem descripsit, sed et locum, et extremitatem temporum, et signum occasus solis dicens: non poteris immolare pascha in ulla alia civitatum tuarum, quam Dominus Deus dat tibi, nisi in eo loco, quem delegerit Dominus Deus tuus invocari nomen suum ibi. Immolabis pascha vespere ad occasum solis." Hisce similia protulit Justinus Martyr, inquiens: "[50] Ac eos quidem, qui in Aegypto servati sunt, cum perirent primogenita Aegyptiorum, sanguis Paschae liberavit, postibus utrinque et superliminari adspersus. Pascha enim erat Christus, qui postea immolatus est, quemadmodum et Esajas ait: Ipse tamquam ovis ad occisionem ductus est. Cum autem die Paschae a vobis comprehensum, ac similiter in Paschate crucifixum fuisse scriptum est. Quemadmodum autem eos, qui in Aegypto erant, sanguis Paschae servavit; sic et eos, qui crediderint, liberabit a morte sanguis Christi." Et alibi: [51] Mysterium agni, quem Pascha immolare praecipit Deus, figura erat Christi, cujus sanguine, pro fidei in eum suae ratione, domos suas inungunt, qui credunt in eum, idest seipsos."

Hac mente atque hoc consilio 5 argumentum inde hauserunt, quo recens baptizatos ad fortiter in suscepto vitae instituto insistendum hortarentur. Sic Ambrosius de hac re perbelle scriptum reliquit: [52] Siquidem verno tempore filii Israel Aegyptum reliquerunt, et per mare

(50) Just, Mart, in dial. n. cxi,
(51) Just, Mart, loc, cit, n, xl,
(52) Ambros. lib. I Hex. cap. iv. n. 14.

transierunt, baptizati in nube, et in mari, ut Apostolus dixit: et eo tempore domini quotannis Jesu Christi Pascha celebratur, hoc est, animarum transitus a vitiis ad virtutem, a passionibus carnis ad gratiam sobrietatemque mentis, a malitiae nequitiaeque fermento ad veritatem et sinceritatem. Regeneratis itaque dicitur: mensis hic vobis initium mensium ... derelinquit enim et deserit, qui abluitur, intelligibilem illum Pharao principem istius mundi, dicens: abrenuntio tibi, Diabole, et Angelis tuis, et operibus, et imperiis, tuis."

Hac mente tandem, ne plura in re tam aperta persequar, hocque consilio 6 hanc historiam, ut peccatores sese ad meliorem frugem revocarent, urgebant. Sic Venerabilis Beda praeter varias hujus historiae interpretationes moraliter illam explicavit, inquiens: "[53] Unaquaeque anima in hoc mundo, dum in erroribus vivit, posita est in Aegypto... Ubi vero confiteri caeperit quid digitus Dei est, et parvum quid agnitionis acceperit, tunc gestorum suorum tenebras vidit: cumque viderit, tunc merebitur, ut extinguantur in illa primogenita Aegypti, quae sunt delicta juventutis et ignorantiae."

73. At quorsum haec, Adversarium percontantem audire mihi videor, quum haud absonum sit conjicere, omnes scriptores sive Judaeos, sive Christianos, vel ideo agnovisse hujus historiae veritatem quia praeconceptis opinionibus fuerant decepti, non vero sedulo rerum narratarum examini innixi? Ego vero ea mente horum omnium testimonia in medium inque lucem

(53) Beda in hunc loc.

protuli, ut omnibus compertum esset, nullo modo, etiam argumentis tantum extrinsecis, ut vocant, adhibitis, hanc historiae partem absque paradoxo tum theologico, tum etiam philosophico in discrimen, inque falsi suspicionem vocari posse: nam si quis adhuc falsitatem hujus Pentateuchi historiae urgere vellet, quum praeter Patrum testimonia, quorum consensus hac in re est prorsus unanimis, et alia fere omnia ecclesiastica monumenta sive directe sive indirecte hanc Pentateuchi partem tueantur, velit nolit cogeretur admittere Ecclesiam a primis Apostolorum temporibus usque in praesens turpiter in re, quae ad fidem spectat errasse, itemque posse omnes in errorem falsitatemque conspirare: quod et theologice, et philosophice falsum esse deprehenditur. Jure igitur optimo Augustinus, cujus verbis hanc satis prolixam disputationem absolvo, clamabat: "[54] Discedant a me omnes, qui ea, quae falsa sunt, Moysen dixisse arbitrantur, conjungar autem illis, Domine, in te, et delecter cum eis in te, quia veritate tua pascentur in latitudine caritatis, et accedamus ad verba libri tui, et quaeramus in eis voluntatem tuam per voluntatem famuli tui, cujus calamo dispensasti ea."

(54) August. lib. xii. Confes. cap. 32.

CAPUT X.

Discessus Hebraeorum ex Aegypto enarratur:—Difficultates, quas contra hanc Pentateuchi historiam urget Colenso, expenduntur:—harum vanitas retegitur, atque refellitur:—Veracitas tandem Pentateuchi variis rationum momentis constabilitur.

74. Absoluta Paschatis caeremonia Hebraei divinis freti promissis totam noctem ducebant insomnes, et licet magno curarum aestu agitati gratias tamen Deo rependebant pro acceptis ab ejus misericordia benefactis, diemque in eorum fastis celeberrimum expectabant: nox enim erat, perque universam Aegyptum altus sopor omnia habebat; ac proinde ne licitum quidem eis erat foras exire, sed ut sese usque mane domi cohiberent, jubebantur. Verum die decimaquinta Nisani illucescente omnes Aegyptiorum domus gemitibus miseroque tumultu miscentur, penitusque femineis plangoribus ululant; ferit clamor laetantes Hebraeorum aures. Quo audito omnis Hebraeorum vulgus, haud mora, e suis prosiluit finibus. Imo et ipse Pharao metuens, ne mala perpessis graviora, ubi Divinis praeceptis diutius obsisteret, in se, inque suos subditos incumberent, accitis primo mane Moyse et Aaron, ut e regione cum universa Hebraeorum multitudine egrederentur, utque nulla interposita mora id facerent, praecepit. Quo cognito filii Israel, ut sacra scriptura nos edocet, "[1] Profecti sunt de Ramesse in Socoth, sexcenta fere millia peditum virorum, absque parvulis. Sed et vulgus promiscuum innumerabile ascen-

(1) Ex cap. xii v. 37-38.

dit cum eis, oves et armenta, et animantia diversi generis multa nimis." Haec dies, quam fecit Dominus, quamque nulla labentibus saeculis oblivio Hebraeorum e mentibus abradere potuit, quam tandem grati animi in signum summis [2] evehere laudibus numquam destiterunt.

75. Verum Colenso propria [3] edoctus experientia, quanta confusione angitur, qui intempesta nocte, ingruentibus, quae haud praevideri possunt, periculis, cogitur uno temporis puncto domum, suaque omnia deserere, suo jure contendit hanc Pentateuchi historiam posse inter fabulas amandari. Ne vero praeconceptis opinionibus hac in re indulgere videatur, variis etiam rationum momentis suam sententiam confirmandam, comprobandamque e re esse duxit.

Et sane, ipse est, audiatur. Credere [4] jubemur uno

---

(2) Psalm. civ.

(3) Colens. oper. citat. cap. xi, §. 74: "Remembering, as I do, the confusion in my own small household of thirty or forty persons, when once we were obliged to fly at dead of night, having been roused from our beds with a false alarm, that an invading Zulu force had entered the colony, had evaded the English troops sent to meet them, and was making its way direct for our station, killing right and left as it came along,—I do not hesitate to declare this statement (Pentateuchi) to be utterly incredible and impossible."

(4) Colen. loc. cit. § 75: "We are required to believe that, in one single day, the order to start was communicated suddenly, at midnight, to every single family of every town and village, throughout a tract of country as large as Hertfordshire, but ten times as thickly peopled;—that, in obedience to such order...borrowed very largely from their Egyptian neighbours in all directions, (though, if we are to suppose Egyptians occupying the same territory with the He-

tantum die omnes et singulas Hebraeorum familias per ingens terrae spatium dispersas primo signi abeundi media nocte editi claram ac distinctam notitiam sibi comparasse, insuper secundo, ut vasa aurea, atque argentea, aliaque id genus plurima commodato ab Aegyptiis acciperent huc illuc cursitasse, imo tertio, ut omnes suos greges, omniaque armenta, summa solertia in unum locum cogerent adlobarasse, tandem hisce omnibus confectis eo ipso die aspera deserti cum omnibus, quae possidebant, petiisse. Quae omnia quidem haud unius diei spatio absolvi potuisse contendit. Neque hoc satis, sed adhuc majorem contra Pentateuchi genuinitatem, authentianque exceptionem se urgere posse gloriatur. Contendit enim se ex scripturis colligere [5] posse, omnes et singulos Hebraeos ex totius terrae Gessen partibus eodem die tum in unum locum, Ramesse nempe, confluxisse, tum etiam simul inde egressos sese in viam Socoth dedisse. At [6] inspecto totius Hebraicae multitudinis

---

brews, the extent of it must be very much increased.)... further, [that, since receiving the summons, they had sent out to gather in all their flocks and herds, spread over so wide a district...and, lastly, that having done all this, since they were roused at midnight, they were started again from Rameses that very same day, and marched on to Succoth, not leaving a single sick or infirm person, a single woman in childbirth, or even a single hoof, E. x. 26, behind them."

(5) Colen. loc. cit. § 76: "The text before us says plainly," The children of Israel journeyed from Rameses to Succoth. about six hundred thousand on foot.

(6) Colenso loc. cit. § 77: "If we imagine the people to have travelled through the open desert, in a wide body fifty men abreast...then, allowing an interval of a yard be-

numero, nec non innumera pecorum, quae agere debebant, multitudine, hisque omnibus in ordines pro lubito confictos distributis statuit, plusquam viginti duo milliariorum spatium hos omnes tenuisse. Hinc inferendo colligit extremum hujus exercitus, si ita eum vocari libuerit, agmen tamdiu immobile perstitisse, quamdiu primum ejus agmen totum hoc spatium percurreret; ac proinde non omnes uno die Aegypto egressos, sed haud parvum eorum numerum post duos tantum dies libere potuisse abire contendit.

Haec Adversarius; ego tamen, ut vera fatear integram hanc disputationem, et praesertim priorem ejus partem ultro permisissem, vel ideo quod aeque ac praecedens falso innitatur supposito, quod scilicet eodem die, quo Pascha comedere jussi, Hebraei de imminente eorum liberatione ab Aegyptiaca servitute certiores facti perhibentur, nisi adeo Adversarium praeconceptis opinionibus occupatum perspexissem, ut contra historicam Pentateuchi veritatem adhuc impune debacchari posse contendat: ubi enim quis attente legerit totam hac de re Pentateuchi narrationem, ne ullam quidem difficultatem earum, quas urget Colenso, inveniet, sed contra omnia clarescere suaque se luce prodere perspiciet.

76. Et sane: praeter argumenta superiori disputatione

---

tween each rank, the able bodied warriors alone would have filled up the road for about seven miles, and the whole multitude would have formed a dense column more than twenty-two miles long,—so that the last of the body could not have been started till the front had advanced that distance more than two days' journey for such a mixed company as this."

prolata id praestant 1. loca antecedentia. Ibi enim Moyses illa verba transcribit, quae post discussam nonae plagae caliginem coram Pharaone, Deo sibi inspirante, habuit: "[7] Dixit Dominus ad Moysen: adhuc una plaga tangam Pharaonem et Aegyptum, et post haec dimittet vos, et exire compellet. Dices ergo omni plebi, ut postulet vir ab amico suo, et mulier a vicina sua vasa argentea et aurea. . . Et ait: haec dicit Dominus: media nocte egrediar in Aegyptum: et morietur omne primogenitum in terra Aegyptiorum. . . . Et exivit (Moyses) a Pharaone iratus nimis." Adhuc igitur Moyses ne ullum quidem verbum de ritibus ac caeremoniis in agni Paschatis immolatione servandis ad populum habuerat, et tamen plane eum de modo Aegyptios despoliandi, deque imminente eorum liberatione, secuta primogenitorum Aegypti morte, erudierat. Quae quum ita se habeant, ecquis non videat nimis a veritate aberrasse Colenso, dum statuit eo ipse die, quo signum abeundi Hebraeis innotuit, illos Aegyptiorum bona commodato accipere, gregesque suos in unum cogere debuisse, summaque confusione iter arripuisse?

Id praestat 2 ipse narrationis contextus. Hebraeorum enim profectio tam intimis compagibus arctaque necessitudine cum praecepto celebrandi Pascha copulatur, ut ejus ultimum, ut ita dicam veluti complementum non injuria videatur. Jam vero non modo variorum rituum ac caeremoniarum, quae observanda erant, natura, cujusmodi erat ille renes accingendi, calceamenta gestandi etc., verum ipsa Dei testificatione, qua dicebatur: "[8] In

[7] Ex cap. xi v. 1-9,

(8) Ex. cap xii. v, 17.

eadem ipsa die educam exercitum vestrum de terra Aegypti " imminentis suae liberationis Hebraeos admonitos fuisse patet. Quum igitur haec omnia ante decimum diem mensis Nisan, prouti praecedenti disputatione innuimus, illis innotuissent, nemo, nisi summa injuria Hebraeos sensus communis inopiae insimulare vellet, adhuc contendere posset, illis diebus, qui ab hujus praecepti promulgatione usque ad primogenitorum cladem profluxere, eos parum fuisse sollicitos ad omnia comparanda, quae ipsis iter arripientibus erant necessaria.

Et haec satis sunt ad ea omnia convellenda, quae non levem confusionem in Hebraeorum discessu prodere videntur, imo quae absurditatis nota Pentateuchum ex Adversarii sententia inurere deprehenduntur; hinc tempus est ut nos ad aliam exceptionis partem convertamus.

77. Jam vero ideo Colenso Pentateuchum ulterius tamquam falsum traducere enititur, [9] quia prorsus illi visum est impossibile, potuisse uno die omnes et singulos Hebraeos ex omnibus Gessen partibus Ramessis congregatos una cum omnibus suis gregibus indidem egredi eademque insistere via: at falso heic se habet: varia enim rationum momenta longe aliter ac commentus est Colenso rem contigisse suadent, invicteque demonstrant.

Et 1° id suadent, invicteque demonstrant ipsius loci e quo profecti sunt, situs atque natura Licet enim sacra Scriptura in [10] omnibus fere locis, in quibus Hebraeorum exodus narratur, tota regione pro ejusdem

---

(9) Colen. loc. cit § 77.

(10) Ex. cap. xiii v. 3. cap. xiv. v. ii. c. xvi v. 1-6-32 etc.

parte per quamdam synecdochen usurpata, in universum illos ex Aegypto narrat fuisse egressos ita ut uno in capite, duodecimo nempe, libri Exodi quater vel quinquies hoc repetitum occurrat, sive dum ita Dominus exhibetur Moysi praecipiens: "[11] Et observabitis azyma: in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Aegypti:" sive dum Moyses ita inducitur hanc rem enarrans: "[12] Eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Aegypti:" vel hunc diem sequentibus celebrans: "[13] Nox ista est observabilis Domini quando eduxit eos de terra Aegypti:" tandem hanc historiae partem hisce explicitis verbis absolvens: "[14] Et eadem die eduxit Dominus filios Israel de terra Aegypti per turmas suas;" tamen in aliis [15] duobus locis clare ac distincte Ramesse tamquam locum, ex quo omnes Hebraei uno die migrarunt, commemoravit. Sunt qui contendunt vel ideo Moysen hisce in locis de Ramesse mentionem fecisse vel quia populi Hebraici principes cum omnibus qui illis accedere potuerunt ex hoc loco prae ceteris sese itineri commiserant, vel quia Ramesse, utpote quae praestantior Aegypti pars, commode pro tota regione usurpari posset, qua in sententia, ut vera fatear, omnis Adversarii difficultas prorsus convellitur; tamen in re historica, cujusmodi est praesens, haec metaphorica locutio, quam isti adstrunt vix et ne vix quidem mihi arridere potest: et praesertim quum

(11) Ex. cap. xii. v, 17.
(12) Ex. cap. cit. v. 41.
(13) Ex. cap. cit. v. 42.
(14) Ex. cap. cit. v, 51.
(15) Ex. cap. xii v. 37. et Numer. xxxiii v. 3.

etiam in sensu proprio hac narratione accepta impossibilitas a Colenso impacta adhuc perfacile removeri potest. Nam quum Ramesse illa terrae Gessen [16] pars esset, quae proprior Arabiae Petreae jacet, Hebraei in Arabiam tendentes per illam transire debebant, quumque insuper hoc nomine non exiguus vicus, uti contendere Colenso videtur, sed provincia longe lateque patens, prouti ex ipsa [17] Scriptura facile colligitur, venire videatur, ipsi Hebraei ex variis ejusdem Ramessis partibus, ac proinde in varias turmas distributi egredi uno die poterant. At hoc in casu tota Colensi difficultas contra veracitatem Pentateuchi conficta penitus corruat, prorsusque dilabatur oportet.

Id suadent, 2, luculenterque demonstrant hujus exodi adjuncta. Diserte enim Scriptura testatur Hebraeos in varias cohortes, inque varias turmas distributos Aegypto fuisse egressos: ait enim, " [18] Eadem die eduxit Dominus filios Israel de terra Aegypti per turmas suas." At in hypothesi ab Adversario conficta tota Hebraeorum multitudo unum constitueret exercitum, cujus extremum agmen tamdiu immobile perstitit quamdiu primum agmen valde fuerit iter ingressum: quod quidem nonnisi contra disertam scripturae testificationem obtrudi urgerique posset. Uno die igitur omnes et singulos Hebraeos, non vero ex una eademque Ramessis parte Aegypto egressos fuisse dicamus necesse est.

Idipsum 3 tandem suadent, invicteque demonstrant

(16) Conf. Monteman, dizionar. bibl.
(17) Genes. cap. xlvii v. 11.
(18) Ex. cap. xii. v. 51.

absurda, quae in Adversarii sententia necessario profluerent. Nam diserte Scriptura nos edocet Hebraeos pluries [19] Pharaonem expertos esse infidum, illosque post decimam plagam [20] Aegyptios ut abirent instanter compulisse. Si igitur, prouti fingit Colenso, Hebraei ut sese in unum exercitum struerent, utque ordinatim uno e loco discederent, biduum frustra insumpserint, eos cum manifesto periculo vel Pharaonis perfidiam iterum probandi, vel omnium Aegyptiorum iram in se excitandi moram traxisse dicamus oportet: quod est incredibile. Aperte igitur constat, Colensianam hypothesim de Hebraeis simul eodemque loco exeuntibus falsam esse; ac proinde veracitatem Mosaicae narrationis quoad hanc partem in tuto esse positam.

78. Hinc factum est ut scriptores sive Judaei, sive Christiani semper veracitatem hujus historiae agnoverint, ac tamquam creditu dignam suis in scriptis allegaverint.

Hac mente enim, hocque consilio 1. [21] Josephus Flavius in medium inque lucem editis hac de re scriptorum ethnicorum placitis, illisque, ubi minus ad veritatis normam exacta erant, confutatis, tamquam plena gentis suae historiae cognitione pollens, memoriae tradidit: " [22] Ille, id est Pharao (post primogenitorum caedem) accito Moyse, jussit eos abire: ratus fore ut, si ex regione discederent, calamitatibus liberaretur Aegyptus. Hebraeos etiam muneribus prosequuti sunt: alii quidem

(19) Exod. c. vii v. 13-23. cap. viii v. 15 et sequ.

(20) Exod. c. xii v. 39.

(21) Joseph. lib. i. cont. Apion. § 26.

(22) Joseph. Antiq. lib. ii. c. xiv. § 6.

ut citius exirent, alii vero propter vicinitatis consuetudinem. Et illi quidem egressi sunt flentibus Aegyptiis et poenitentibus, quod tam male eos tractarint."

Hac mente atque hoc consilio 2, Patres hanc historiam perquam accommodatam censuerunt ad Dei mirabilia enarranda. Ita sese gesserunt [23] Clemens Romanus, [24] Justinus Martyr, [25] Tatianus, [26] Teophilus Antiochenus, [27] Irenaeus, [28] Clemens Alexadrinus. [29] Tertullianus, [30] Auctor Constitutionum, [31] Augustinus, aliique innumeri. Et sane, ut unum ex his multis urgeam, Clemens Alexandrinus praejacta sacrae scripturae ασφαλια ad Hebraeorum a servitute Aegyptiorum liberationem enarrandam perrexit, inquiens: " [32] Quoniam Aegyptii potentiae effecta auditione non accipiebant, propter insipientiam stolidi non credentes, tunc, factum stulti cognoverunt, et postea exeuntes Hebraei magna Aegyptiorum praeda exportata recesserunt."

Hac mente, atque hoc consilio 3, omissis, quae ex criticorum Protestantium penu indicari possent, commentariis, Patres hanc historiam doctis quidem illustrationibus cumularunt. Sic Hireonymus de prima Hebraeo-

(23) Clem. Rom. i ep ad Cor. n, xvii.
(24) Just. coh n. ix. Ap. i. n. lx. Dial. n. xi.
(25) Tatian, orat. adv. Graec. n, xxxvii.
(26) Teoph. lib. iii. n. ix.
(27) Iren. lib. iii. adv. haer, c. iii. et alibi.
(28) Clem. Alex. lib. i Strom.
(29) Tertul. Apol. c. xvi. et adv. Jud. c. iii.
(30) Auctor. Const. lib. viii. c. 12.
(31) August. ep. cxxxrii. c. iv. § 15.
(32) Clem. Alex. loc. cit.

rum mansione in Ramesse agens, [33] contendit Ramesse hebraice vel ideo tonitrum gaudii significare, quia miro, novo, et insolito ibi gaudio perfusi sunt Hebraei, quum jam ex dura servitute Aegypti in libertatem se evasisse viderent. Itemque de quadraginta duabus in diserto stationibus disserens habet: " [34] Per has currit verus Hebraeus, qui de terra transire festinat ad coelum: et Aegypto saeculi derelicta terram repromissionis ingreditur. Nec mirum si in illo numeri sacramento perveniamus ad regna coelorum. "

Hac mente tandem, atque hoc consilio 4 omnes uno ore hac in historia typum agnovere eorum, quae ad Christi spectant Ecclesiam. Qua de re dignus est qui audiatur Irenaeus: sequentibus enim hujusmodi typum explicat: " [35] Universa quae ex Aegypto profectio fiebat populi a Deo, typus et imago fuit profectionis Ecclesiae, quae erat futura ex gentibus: propter hoc et in finem educens eam hinc in suam haereditatem; quam non Moyses quidem famulus Dei, sed Jesus Filius Dei in haereditatem dabit. "

79. Non modo igitur argumenta, quae vocant, intrinseca, verum etiam extrinseca eo conspirant, ut hanc Pentateuchi historiam sartam tectam contra omnem Adversarii exceptionem tueantur, ac proinde nemo, ni impius, illam tamquam falsam traducere audeat vel praesumat. Hisce vero non obstantibus adhuc Adversarius instat, nobisque illam difficultatem obtrudit, ex

(33) Hierony. ep. ad Fabiol.
(34) Hieron. loc. cit.
[35] Iren. loc. cit.

carentia, quam fingit, pascuorum ad pecora alenda necessariorum depromptam: quam tamen ad sequentem disputationem propter materiae connexionem evolvendam, ac enodandam remittimus.

CAPUT XI.

Diuturna Hebraeorum commoratio in deserto per annos quadraginta expenditur:—Et in primis quo victu tot annorum spatio tum homines, tum innumera pecora aliti fuerint sedulo inquiritur:—difficultas ex natura loci ab Adversario petita et in Pentateuchum impacta callide distringitur:—tandem plurimis rationum momentis ad fidem faciendam idoneis convellitur penitusque refellitur.

80. Jam Hebraea gens ab Aegyptiorum internecione sospes, eorum copias multitudine innumeras, armis bene instructas, ira percitas, sibi a tergo imminentes, ad caedem evocatas, iterque erythraeum per medium temere aggressas gurgite abripi, volvi, et mergi conspexerat, jamque choris, tympanis, carminibusque hanc victoriam non humanis viribus, sed divino interventu partam celebrarat, quum montem Sinai sacrificium, gratiasque Deo dignas actura petens, deficientibus, quos secum ex Aegypto asportaverat, commeatibus, cibo fraudari, fame peti coeperit. Hinc eorum consternatio, quaerimoniae, imo et seditiones derivarunt. Deus autem pientissimi patris de more cibo divinitus elaborato eorum miseriis occurrit, eorumque necessitatibus consuluit. Scriptura

enim testatur: "[1] Filii Israel comederunt man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti sunt, usquequo tangerent fines terrae Chanaan." Sic in illa inhospita terra per totam Hebraeorum peregrinationem mediis divina Sapientia dignis eorum necessitatibus consultum satis et provisum fuit. Ecquis igitur hac in facti specie non teneri parentis curam agnoscat? ecquis non diligat? ecquis ejus verbis Pentateucho consignatis fidem habere detrectet?

81. At eloquar an sileam? Colenso enim huic divinae narrationi fidem habere recusat, omnibusque, quae illi insunt, viribus Hebraeorum commorationem in deserto, et praesertim eorum diuturnam ad radices montis Sinai stationem in discrimen, inque falsi suspicionem vocare enititur. Et sane: sic ille argumentatur. [2] Certum est ex sacra Scriptura Hebraeos toto quadraginta annorum spatio innumeram pecorum multitudinem possedisse. Huc enim faciunt illa verba Moseos secundo eorum peregrinationis anno prolata: "Numquid ovium

---

(1) Ex. cap. xvi. v. 35.

(2) Colen. prim. par. cap. xii § 80: "It is certain that the story represents them as possessing these flocks and herds during the whole of the forty years which they spent in the wilderness. Thus, in the second year, Moses asks, 'Shall the flocks and the herds be slain for them to suffice them?' N. xi. 22. And in the fortieth year we read, "The children of Reuben and the children of Gad had a very great multitude of cattle," N. xxxii. 1... Accordingly we find that, at the end of the first year, they kept the second Passover under Sinai, N. ix. 5, and, therefore, we may presume, had at that time, as before, 200,000 male lambs...and two millions of sheep and oxen close at hand."

et boum multitudo caedetur, ut possit sufficere ad cibum:" et anno quadragesimo illa, quibus filiorum Ruben et Gad opes celebrantur: "Filii autem Ruben et Gad habebant pecora multa, et erat illis in jumentis infinita substantia." itemque huc faciunt illa loca, quibus universa Hebraeorum multitudo secundum Pascha ad radices Sinai primo peregrinationis anno ad extremum vergente celebrasse perhibetur, quo in negotio 200,000 agnos praesto illis fuisse, ac proinde vicies centena millia pecorum tunc temporis eos habuisse contendit. At ulterius progreditur, inquiens, [3] ubi haec clara sunt, ubi diserte scriptura nos edocet Deum manna in hominum cibum demisisse, altum vero observat silentium, quoad modum, quo eorum pecora alita toto illo tempore fuerunt: nec satis, sed in medium, inque lucem editis, quae suis commentis favere videntur, tum [4] sacrae scripturae, tum [5] profanorum scriptorum testimoniis, contendit desertum, in quo per annos quadraginta Hebraei degisse perhibentur, adeo fuisse frugibus, arborique infecundum, penuria aquarum laborans, adeoque a plurimis malefici generis animalibus infestatum, ut

---

(3) Colen. loc. cit. § 79: "The people, we are told, were supplied with manna. But there was no miraculous provision of food for the herds and flocks. They were left to gather sustenance, as they could, in that inhospitable wilderness:..It cannot be supposed, as some have suggested, that the flocks and herds were scattered far and wide, during the sojourn of the people in the wilderness, and so were able the more easily to find pasture. The story says nothing, and implies nothing, whatever of this."

(4) Colen. loc. cit. § 82.

(5) Colen. loc. cit. § 83-87.

prorsus factu impossibile fuisse autumet potuisse Hebraeos per unum fere annum ad radices Sinai, et per alios fere quadraginta, quibus perduravit eorum peregrinatio, innumeram pecorum, armentorumque multitudinem retinere.

Duplici igitur argumentorum genere contendit Adversarius se posse genuinitatem, authentiamque Pentateuchi quoad hanc partem evertere, altero, ex sacrae Scripturae silentio deprompto, quod negativum audit, altero ex ipsa loci natura hausto, quae utpote deserta ea, quae pecorum victui necessaria, haud praestare poterat. At bona ejus pace dicimus, neutrum horum tale esse, quod vel leviter veracitatem Pentateuchi afficere possit, et valeat.

82. Tale non est primum: quia uti bene advertit S. Augustinus in scripturis sanctis, " [6] Ea conscripta sunt, quae secundum intentionem scribentis, in quo erat Spiritus Sanctus, rebus futuris illa narratione significandis sufficere judicata sunt. " Quamvis igitur haud nobis edocuerit Moysen quo pacto Hebraeorum pecora in deserto vitam egissent, non possumus tamen ausu temerario totam narrationem inter fabulas amandare, sed e contra credere debemus ea, quae utpote a scriptoris consilio aliena reticentur, vere contigisse, et re actuque locum habuisse.

Praeterea 2 quia adversatur agendi modo communiter a Moyse in Pentateucho conscribendo usurpato. Neminem enim latet, nisi qui ne a limine quidem sacras scripturas umquam salutarit, Moysi fuisse perquam fa-

(6) August. enar. in Psalm. civ.

miliare ea, quae vel intellectu facilia, vel quae necessario cum rebus narratis connectuntur, silentiò praeterire. Sic ut unum ex multis hujus rei exemplum urgeam, Moyses nobis [7] retegit prava contra Josephum fratrum consilia, ac graphice nobis describit quomodo alii ejus mortem, alii ejus venditionem proposuere: tamen ipsum Josephum ceu mutum pecus, perinde ac si non de se ipso sed de aliquo parvi momenti negotio ageretur, traducit. Hinc posset aliquis non sine ulla probabilitate contendere Josephum omnia patienter, et absque ullo justo questu tolerasse, tamen nimis a veritate qui ita sentiret aberraret: nam alibi ipse Moyses talia inter se loquentes ipsius Josephi fratres inducit: "[8] Merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animae illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus: idcirco venit super nos ista tribulatio." Nulla igitur veritatis specie possumus existentiam alicujus facti vel ideo inficiari, quia Auctor αγιογραφος illam tamquam a suo proposito alienam silentio praeterire maluit.

Tandem 3 quia semel admisso hujusmodi critices principio a Colenso in universum prolato plura absurda nobis erunt necessario deglutienda. Nam cum ne ulla quidem historia adeo ad minutissima rerum, quas narrare aggreditur, adjuncta sese dimittat, ut vere numeris omnibus cuique absoluta videri possit, hinc ea omnia, quae summis, ut ajunt, labiis in illis delibata occurrunt, in discrimen inque falsi suspicionem cum magno rei

(7) Gen. cap. xxxvii. v. 18-28.

(8) Genes. cap. xlvii. v. 21.

historicae damno nobis vocanda essent. Imo cum Scriptura toto Hebraeorum peregrinationis tempore nullibi filios Israel tum somnum caepisse, tum e somno surrexisse referat, hinc suo jure posset aliquis in Colensiana schola enutritus de hisce, aliisque id genus dubitare. Quae omnia absurda sunt, et a communi hominum sensu prorsus aliena.

Nec minori falsitate et illud argumentum laborat, quo persuadere enititur totam regionem, quam per annos quadraginta multitudo filiorum Israel cum innumera pecorum quantitate tenuerat, horrore fuisse plenam, imaginemque mortis praesetulisse, ac proinde vix et ne vix quidem per aliquot dies pascua pecoribus pascendis summopere necessaria praestare potuisse: varia enim rationum momenta evincunt non totam regionem quae "desertum" in scripturis vocatur, quaeque per tot annos Hebraeis eorumque gregibus hospitium fuit, talem fuisse, qualem Adversarii scripta nobis illam repraesentant.

85. Et sane: id 1° evincitur ex philologia. Tota enim regio, per quam peregrinati sunt Hebraei, vocabulo מִדְבָּר "desertum" designatur in scripturis. Haec vox autem a verbo [9] radicali דָּבַר, quod tum [10] agere, tum [11] nectere, seu serere significat, suam mutuatur originem. Jam vero prouti in sermone latino a duobus verbis agere et serere duo loquendi modi orti sunt, agere nempe pecus, et verba serere, sic in hebraico idiomate ex duplici verbi דָּבַר potestate etiam duo derivata, [12] דָּבָר

(9) Conf. Winer lex. man.

(10) Winer lex: man.

(11) Winer lex. man.

(12. Winer loc. cit.

nempe et [13] דבר quorum alterum pascuum, quo pecudes aguntur, alterum vero latiori sensu verbum, strictiori tamen, [14] praeceptum, decretum, edictum significat, dimanare deprehenduntur, et reapse dimanant. Quo factum est, ut vox מדבר a superioribus originata, in omni fere scripturae loco, in quo usurpata occurrit, nonnisi campum ab hominibus quidem desertum, pascendo vero pecori summopere accommodatum, designet, denotetque. Quum igitur regionem illam, quam eorum peregrinatione durante Hebraei tenuerunt, communiter voce מדבר designatam inveniamus, nihil prohibet, quominus illa pascua, quae Colenso in suis investigationibus latuerunt, generatim eam pecori praestitisse credamus.

Id idipsum evincitur 2, ex illis epithetis a scriptoribus sacris voci מדבר "desertum" adjectis. Sic Jeremias malis suo tempore ingruentibus ingemiscens, ac pectore ab imo suspiria ducens clamabat: " [15] Super montes assumam fletum, et ועל־נאות מדבר super speciosa deserti planctum:" et alibi: " [16] Arefacta sunt נאות מדבר arva deserti:" pariterque Joel supplex Deum precatur: "[17] Ad te, Domine, clamabo; quia ignis comedit נאות מדבר speciosa deserti: et flamma succendit omnia ligna regionis:" et alibi: " [18] Nolite timere, animalia regionis: quia germinaverunt נאות מדבר speciosa deserti:" At si vox מדבר qua locum, in quo castrametabantur Hebraei

(13) Winer loc. cit,
(14) Winer loc. cit.
(15) Jerem. cap. ix. v. 10.
(16) Jerem. cap. xxiii, v. 10.
(17) Joel. cap. i. v. 19.
(18) Joel. cap. ii, v. 22,

eorum peregrinationis tempore, designatur, constanter horribile desertum, prouti fingit Colenso, indicaret, ea omnia, quae de deserto reliqui scriptores praedicant, nullo modo ei adjici possent: igitur non tota illa regio quae in Pentateucho מדבר vocatur, talis fuit Hebraeorum peregrinationis tempore, qualis a Colenso describitur.

Id ipsum 3 evincitur ex hujus deserti adjunctis Pentateucho consignatis. Sacra enim Scriptura clare nos edocet, quomodo Moyses Pharaonem iratum fugiens in Madian apud Jethro sacerdotem sese recepit, et quomodo pecora soceri sui ad interiora deserti pastum agebat: legitur enim: " [19] Moyses autem pascebat oves Jethro soceri sui sacerdotis Madian: cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb." Itemque haud obscure innuit plures nationes in deserti partibus commorasse, dum ita Moysen Hebraeos colloquentem inducit: " [20] Vos enim nostis, quo modo habitaverimus in terra Aegypti, et quomodo transierimus per medium nationum, quas transeuntes vidistis abominationes et sordes, id est, idola eorum, lignum et lapidem, argentum et aurum, quae colebant: " imo horum omnium bona enumerans, quandoque eos multa pecora possidentes exhibet, sic post Madianitarum caedem, habet: " [21] Fuit autem praeda, quam exercitus ceperat, ovium sexcenta septuaginta quinque millia: bovum septuaginta duo millia, asinorum sexaginta millia et mille." Quae quum ita se habeant, ecquis non videat, totam

(19) Ex. cap. iii. v. 1.
(20) Deut. er. cap. xxix. v.16-17.
(21) Numer. cap. xxxi. v. 32-34.

regionem, per quam Hebraei per annos quadraginta peregrinam egere vitam, non adeo fuisse pascuis destitutam, ut vix et ne vix quidem tum pecorum, tum pastorum vestigia in ea inveniri possent?

Id ipsum ulterius 4 evincitur ex agendi modo a Pharaone usurpato. Sibi enim perrapide excipientibus plagis Pharao animo fractus, nocendi tamen artium scientissimus diu mente agitabat, qua Hebreos dimitteret cum certa eos recuperandi fiducia, et tandem in illam devenit sententiam, ut omnibus dimissis, in Aegypto vero eorum reditus in pignus oves et armenta manerent. Sic enim Moysi et Aaron praecepit: "[22] Ite, sacrificate Domino: oves tantum vestrae, et armenta remaneant." At ubi solitudo, quam petebant, nullis pascuis munita, nullisque fontium scatebris recreata, sed pascendo pecori infensissima, prouti fingit Colenso, esset, quid, sodes, pravis Pharaonis in Hebraeos consiliis accommodatius, quidve conducibilius, quam absolutam abeundi veniam dare, quum hoc in casu asperitate loci coacti pristina loca cum magno pecorum, armentorumque dispendio repeterent?

Id ipsum evincitur 5, ex disertis profanorum scriptorum tum antiquorum tum etiam recentiorum testificationibus. Plerique enim omnes toti in eo sunt, ut ostendant longe diversam fuisse naturam illius deserti, quod Hebraei in eorum itineribus peragrarunt, ab illa, quam recentioribus aetatibus praeseferre videtur. Sic [23] Strabo, ut unum ex antiquis proferam, plures in hujus deserti

---

(22) Exod. cap. x. v. 24.
(23) Strab. lib. xvii. Geogr.

oris civitates extitisse narrat, ubi tamen prorsus impossibile homini nunc est vel duram agere vitam. Florentes civitates adstruunt etiam [24] recentiores scriptores in Sinatica regione. Quae quidem omnia cum totius deserti descriptione nobis a Colenso exhibita cohaerere nullo modo possunt.

Hoc ipsum 6 evincitur ex communi loquendi usu ab hominibus usurpato. Omnibus enim compertum est hac voce " desertum " in communi eloquio designari quidem generatim regionem ab hominibus desertam, quae sit tamen naturale bestiarum, ferarumque latibulum. At hujuscemodi animalia nullo modo haec loca repeterent, si, quae eorum victui necessaria, desiderarentur. Quum igitur Moyses regionem quam longo temporis spatio Hebraei tenuerunt, communiter solo vocabulo "desertum" nuncuparit, nemo, ni novus in mundo hospes, illam generatim pecori ob pascuorum carentiam incommodam fuisse, cum Colenso contendere potest.

Tandem 7 id ipsum conficitur ex ipsis Scripturae locis ab Adversario pro sua sententia constabilienda usurpatis. Ipse enim ut horribilem hujus deserti ideam nostris mentibus ingereret, varia in lucem, inque medium protulit Scripturarum testimonia. At risum teneatis? praeterquam quod ejus argumentatio hisce innixa testimoniis fallacia, quam sensus collectivi nuncupant, affecta deprehendatur, insuper contrarium ejus, quod urget Colenso, stabilire, ac in tuto ponere videtur. Ad cujus rei majorem intelligentiam e re esse duco ipsa testimonia in medium adducere.

(24) Burckh. Trav. in Syr. p. 617; Kitto, Pictor. Bib. aliique.

84. Et sane: Prima scriptura, quam nobis [25] obtrudit Colenso, ita filios Israel adversum Moysen et Aaron murmurantes inducit: " [26] Cur eduxisti Ecclesiam Domini in solitudinem, ut et nos et nostra jumenta moriamur? Quare nos fecisti ascendere de Aegypto, et adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, insuper et aquam non habet ad bibendum? Haec verba, nec eo inficias, horribilem hujus deserti partem graphice, ut ita dicam, describunt, at falso ad totum desertum extenderentur, quum clare ac diserte heic innuantur limites, quibus haec deserti pars coercebatur: legitur enim: " [27] Venerunt Filii Israel, et omnes multitudo in desertum Sin, mense primo, (quadragesimi ab exitu anni) et mansit populus in Cades:" et paucis interjectis: " [28] Misit interea nuncios Moyses de Cades ad regem Edom, qui dicerent ... Ecce in urbe Cades, quae est in extremis finibus tuis, positi, obsecramus, ut nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos." Ex quibus liquido patet, desertum Sin quamdam, ut ita dicam, exceptionem universae deserti conditionis constituisse, at, uti omnes pro comperto habent, exceptio firmat regulam in non exceptis. Insuper diserte Scri-

---

(25) Colen. loc. cit. § 82

(26 Numer. cap. xx. v. 4-5,

(27) Numer. cap. cit. v. 1.

(28) Numer. loc. cit. v. 14-17.

ptura testatur, desertum Sin in [29] finibus florentissimi regni Edom tum [30] agris, tum vineis muniti positum fuisse: non universa regio igitur, quae desertum audit, qualis heic describitur, et horrore plena erat. Pari modo ne ullum quidem negotium nobis facessit et alia Scriptura, qua sequentibus Moyses universam Hebraeorum multitudinem alloquens exhibetur: " [31] Ductor tuus fuit (Deus) in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, et nullae omnino aquae qui eduxit rivos de petra durissima." Nam tunc serpentes atro veneno Hebraeos impetiere, quando: " [32] Profecti sunt de monte Hor per viam, quae ducit ad mare Rubrum, ut circumirent terram Edom." Quae hucusque innuimus locum etiam habent in solutione Jeremiae testimonii nobis a Colenso impacti: legitur enim: " [33] Et non dixerunt: ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Aegypti: qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem, et inviam, per terram sitis, et imaginem mortis, per terram, in qua non ambulavit vir, neque habitavit homo?' Licet enim haec verba totum desertum afficere videntur, plura tamen praesto sunt, quibus ad unam, vel saltem nonnullas hujus loci partes illa optimo jure coarctari possunt. Et sane: 1° heic Jeremias non sua, sed Hebraeorum in deserto commorantium verba urget, transcribit-

(29) Numer. loc. cit.
(30) Numer. loc. cit.
(31) Deut. cap. viii. v. 15.
(32) Numer. cap. xxi. v. 4.
(33) Jerem. cap. ii. v. 6.

que, ait enim: "[34] Et non dixerunt (patres vestri) ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Aegypti:" at Hebraei non in universum de tota, quam occuparunt, regione, sed de nonnullis, uti supra jam vidimus, ejus partibus hujusmodi in medium, inque lucem querelas protulere. Itemque 2, si praefata verba in universum essent accipienda, plura, quae nullo modo tum cum Jeremiae testificationibus, tum cum rerum veritate conspirare apteque cohaerere possent, occurrerent. Ipse enim Jeremias [35] semel atque iterum plurimas tribus in deserto degentes inducit: pariterque omnibus tum ex scripturis sacris, tum ex profanorum scriptorum relationibus ratum compertumque est, civitates in nonnullis deserti partibus, easque numero plurimas sedem habuisse, ac proinde parum ad veritatis normam exacta evaderent illa verba: "[36] In qua non ambulavit vir, neque habitavit homo." Igitur non in universum, sed de nonnullis hujus deserti partibus praefata verba prolata esse dicamus, oportet. Jam vero quum haec sint in caussa, ecquis non videat quam turpiter Colenso hisce scripturae testimoniis ad rem suam constabiliendam usum, dum haec potius illam sententiam, qua contendimus non universam regionem, quae desertum audit, horribilem fuisse et pecori pascendo ineptam, confirmant, ac prorsus tuentur?

Hinc factum est, ut omnes Scriptores cujusvis aetatis, ac cujusvis loci apprime de Hebraeorum per desertum

(34) Jerem. cap. ii. v. 6.
(35) Jerem. cap. ix. v. 26 et cap. xxv. v. 24.
(36) Jerem. cap. ii. v. 6.

peregrinatione sese persuasos proderent, illamque suis in scriptis allegarent.

Hac mente enim 1°, atque hoc consilio, ut omnes Hebraeos scriptores tum sacros tum profanos tacitus praeteream, Strabo, Tacitus, aliique ethnici scriptores non sine fabularum mixtione, uti scite animadverterat Josephus Flavius, hujus Pentateuchi historiae suis in scriptis mentionem fecerunt. Sic Strabo Moseos merita effert, celebratque: "[37] Fama, quae plurimum obtinet de his, quae de templo Hierosolymitano jactata fidem inveniunt, perhibet ab Aegyptiis fuisse prognatos eos, qui nunc Judaei appellantur. Nam Moses unus ex Aegyptiis Sacerdotibus, cum partem quamdam regionis haberet, ac moleste ferret praesentem statum, inde huc commigravit, multis eum comitantibus, quibus divinae curae erant." Tacitus etiam prouti suis temporibus fama obtinebat, haec ad rem nostram habet: "[38] Plurimi auctores consentiunt, orta per Aegyptum tabe, quae corpora foedaret, Regem Bocchorim, adito Hammonis oraculo remedium petentem, purgare regnum, et id genus hominum ut invisum diis, alias in terras, avehere jussum. Sic conquisitum collectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit, ceteris per lacrymas torpentibus, Mosen unum exulum monuisse, ne quam deorum hominumve opem expectarent, ab utrisque deserti, sed sibimet ut duci caelesti crederent, primo cujus auxilio credentes, praesentes miserias pepulissent. Assensere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt.

---

(37) Strabo lib. xvi. rer. geograph.
(38) Tacit. lib. v. histor.

Sed nihil aeque, quam inopia aquae fatigabat. Jamque haud procul exitio, totis campis procubuerant; cum grex asinorum agrestium, e pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moyses, conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperit." Jam vero sub hisce fabularum sive pravo in Hebraeos animo, sive alia quacumque de caussa confictarum integumentis hoc unum, uti cuique patet, latens occurrit, Hebraeos nempe Aegypto egressos, sed nondum promissam terram potitos, per longum tempus in deserto duce Moyse vitam transegisse.

Hac mente etiam atque hoc consilio 2 Patres ea fere omnia, quae Hebraeis hac peregrinatione durante contigisse in Pentateucho narrantur, absque ulla animi haesitatione suis in scriptis allegarunt. Et sane: primo Hebraeorum commorationem in deserto per annos quadraginta in universum meminerunt, Moysisque prodigia Deo adjuvante patrata summis celebrarunt [39] Clemens Alexandrinus, [40] Auctor Constitutionum, [41] Teophilus Antiochenus, [42] Tertullianus, [43] Augustinus, [44] Hilarius, aliique. Ex his unus audiatur Hilarius, qui totam Hebraeorum historiam sequentibus complexus inquit: " [45] Longe antea, post multa in Deum et gravia peccata, Judaeis data lex est. Et peccata quidem eorum

(39) Clem. Alex. orat, adhor. ad Graec.
(40) Auct. Const. lib. v cap. 3 et 20.
(41) Teoph. Ant. lib. iii. ad Autol. n. 24.
(42) Tertul. de Bapt. c. xx.
(43) August. de Bon. Conj. cap. ii.
(44) Hilar. in cap: xiii Math. § 22,
(45) Hilar. loc. cit.

libris Moysi continentur. Verum post tot divinae virtutis documenta, id est, decem plagis percussam Aegyptum, et columnam nubis ac luminis nocte dieque famulantem, et in Erythreo mari iter praebitum, et fontes ruptis saxis effluentes, et ministratam esurientibus mannam, et ad postremum in quadraginta annorum tempore vita atque habitu angelorum populum viventem: adoratum supplicatumque postea pecudibus et saxis, hisque cum choris canticisque saltatum, et metalla deos nuncupata. Ergo insidentem plebis istius pectoribus spiritum immundum lex, quae postea data est, interventu suo ejecit, et veluti quadam custodia circumjectae potestatis exclusit." Itemque, secundo diuturnam eorum ad radices montis Sinai stationem, legem, quam adscititiam vocant, tunc temporis latam, peccatumque idolatriae ab Hebraeis admissum commemorarunt [46] Barnabas, [47] Justinus Martyr, [48] Irenaeus, [49] Tertullianus, [50] Augustinus, [51] Hilarius, [52] Auctor Constitutionum, [53] Clemens Alexandrinus, ac reliqui fere omnes. Sic enim Hebraeos ad radices Sinai degentes Clemens Alexandrinus describit: " [54] Quomodo autem sunt Graeci adhuc non credituri apparuisse Deum in monte Sina, quo tempore

(46) Barnab. epist. n xiv.
(47) Just. Mart. dial. n. 20-22-57.
(48) Iren. lib. iv. adv. haer. c. 45.
(49) Tertul. de Paenit. cap. iv.
[50] August. tract. iii. in Joh.
(51) Hilar. in Psalm. li. § 6.
(52) Auctor Const. lib. i. cap. vi.
(53) Clemens. Alex. lib. vi Strom.
(54) Clem. Alex. loc. cit.

ardebat quidem ignis nihil consumens ex eis quae nascebantur in monte: et tubarum ferebatur sonitus, qui absque ullis inspirabant instrumentis? Ille enim Dei in montem descensus, est adventus divinae potestatis quae pervadit omnem mundum, et praedicat lucem ad quam non datur aditus. Talis enim est allegoria quae est scripturae conveniens. Caeterum visus est ignis . . . cum totus populus, qui erat non minus quam centum myriadum, praeter pueros et aetate minores, circa montem esset congregatus: esset autem montis ambitus non minor quam quinque dierum. Per totum ergo locum visionis, eis omnibus in orbem utpote castrametantibus, visus est ignis ardens circumcirca." Itemque haec de peccato vituli, deque lege tabulis lapideis consignata habet Divus Barnabas: "[55] Sed etiam quaeramus, an dederit testamentum, quod patribus juravit, se populo daturum. Dedit quidem: verum illi propter peccata sua indigni fuerunt qui acciperent. Dicit enim Propheta: Et Moyses in monte Sina jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, ut testamentum Domini ad populum acciperet. Et accepit a Domino duas tabulas scriptas digito manus Domini, in spiritu: sumptasque Moyses deferebat ad populum, ut traderet: et dixit Dominus ad Moysen: Moyses, Moyses, descende celeriter, inique enim se gessit populus tuus: quos de terra Aegypti eduxisti. Intellexitque Moyses: quod iterum fecerant conflaturas, et projecit de manibus tabulas: contritaeque sunt tabulae testamenti Dominici." Tandem, ut illa Patrum testimonia, quae manna, aquam de rupe

(55) Barnab. loc. cit.

emanantem, Hebraeorum seditiones, atque serpentem aeneum in deserto excitatum, respiciunt, tacitus brevitatis caussa praeteream, illa potissimum urgeo, quae existentiam pecorum in deserto adstruunt. Sic hac de re scribit Augustinus: " [56]Cur autem in illa eremi inopia etiam carnes desideraverint, quando de Aegypto cum suis valde multis pecoribus exierunt, magna quaestio est . . . Congruentius creditur, non eos carnes desiderasse, quas de pecoribus habere poterant, sed eas, quae deerant, ex aquis videlicet."

83.° Plane igitur constat, turpiter Colenso contra tot tantorumque argumentorum evidentiam enisum pecorum, imo Hebraeorum in deserto existentiam, ac proinde Pentateuchi genuinitatem inficiari.

CAPUT XII.

Divina cura atque sollicitudo non modo in Hebraeis peregrinationis tempore tutandis, verum etiam in eorum bellis cum terrae promissae habitatoribus gerendis effertur:— Quid vanum et inane, ac proinde divina indignum sapientia hac in re reprehendit Colenso, expenditur;—nihil tamen quod divinum Numen dedecet urgeri posse variis rationum momentis ostenditur.

84 Hebraea gens prae ceteris terrae populis ethnica superstitione afflatis Deo accepta, et ad ejus verum cultum intemerate conservandum destinata, quum multos volvere casus, multosque adire labores in diuturna per desertum

(56) August. quaest. lxii. in Ex.

peregrinatione compulsa, certo interiisset, nisi validum in divina ope fulcimentum, ei pateret. Hinc Moyses antequam diem suum obiret supremo edito carmine,[1] caelum terramque hortatur, ut arrectis auribus adsint, suaque pronis animis verba hauriant, vel ideo quia Deus populum suum sospitans, ceu aquila, quae pullos protentis pennis tutatur, atque ad alarum remigium edocet, illum a deserto ad fertilissimam terram in humeris portavit. At ubi ad terrae Chanaan confines ventum est, adhuc majora tum ab illius terrae incolis, tum a bestiis illius regionis pericula subeunda.

Hinc non solis Hebraeorum viribus magnopere attritis ac debilitatis Deus sapientissimo consilio haec nova pericula declinare voluit, sed in se ipsum horum omnium curam suscepit. Ut autem Hebraeorum animos erigeret[1] de hac sui cura ac sollecitudine eos admonuit, inquiens: "[2] Terrorem meum mittam in praecursum tuum, et occidam omnem populum, ad quem ingredieris cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam: emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevaeum, et Chananaeum, et Hethaeum, antequam introeas. Non ejiciam eos a facie tua anno uno, ne terra in solitudinem redigatur, et crescant contra te bestiae. Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, et possideas terram." Clare heic igitur totius terrae Patribus promissae dominium Hebraeis promittitur, verum ne simul cum ejus habitatoribus ferae bestiaeque deserti tum viribus tum rabie potiores in eos irruerent, neve

(1) Deut cap. xxxii v. 1-12.
(2) Ex. cap xxx. v. 27-30.

haec regio alias lac et mel fluens eorum adventu squalida, desertaque evaderet, paulatim antiquos incolas, non vero omnes simul subigere fas licitumque Hebraeis erat. Igitur Divina Sapientia factum ut temporis dilatio, licet forte Hebraeis invisa, in eorum tamen commodum, atque tutamen cederet.

85. Verum quod tamquam reale periculum Hebraeis ex Dei praecepto declinandum erat, prorsus vanum et inane, ac proinde divina cura indignum a nostro Adversario damnatur. Sic enim ille argumento a minori ad majus ut vocant, proposito, ratiocinatur. [3] Colonia Natal sub multiplici respectu similitudinem terrae Chanaan praeseferre deprehenditur: nam per 18,000 milliaria longe lateque diffunditur, illamque non amplius quam 150,000 mortales incolunt. Jam vero etsi incolarum numerus cum terrae extensione collatus plusquam par est sese exiguum prodit, tamen hi omnes quiete heic vitam agunt, nullumque ex ingruentibus feris pericu-

(3) Colen. part. prim. cap. xiii. § 92: " A still better comparison may be instituted with a country, which resembles in many respects, in its natural features and other circumstances, the state of Canaan in those early days' The colony of Natal has an extent of 18,000 square miles, and a population, white and black included, probably not exceeding 150,000 altogether. This population is, of course, very scanty, and the land will allow of a much larger one. Yet the human inhabitants are perfectly well able to mantain their ground against the beasts of the field. And, in fact, the lions, elephants...which once abounded in the country, have long ago disappeared...Many a white man may have lived for years in the colony, as I have done, and travelled about in all parts of it, without seeing or hearing one.

lum metuunt: imo plurimae belluae, quae alias regionem hanc invadebant, jampridem perierunt, ita ut hac nostra aetate quam tutissime illam peragrari possis. At terra Chanaan, [1] prosequitur ille, praeter antiquos habitatores, superficie 12,000 milliariorum, et alios 2,000,000 Hebraeos contineret, qui illam tuerentur. Hinc inferendo colligit, quod si in Natal majori extensione, sed minori incolarum numero donata, nullum a bestiis civium incolumitati damnum umquam provenit, aut provenire potest, multo magis Hebraeis numerosioribus et angustiori in extensione constitutis nihil simile occurrere poterat.

Ita se habet Adversarius: nobis vero in animo est evincere, turpiter hac in facti specie Colenso errasse, ac omnibus rerum adjunctis rite perpensis periculum a Deo praevisum vere adfuisse.

86. Idque 1° evincimus ex vera terrae Hebraeis promissae extensione. Parum enim Colenso accuratus fuit in determinanda terrae Chanaan extensione: licet enim illa pars, quae tempore Josue inter Hebraeos distributa fuit, haud majorem extensionem quam illi Adversarius attribuit, praesetulisse dicatur; nil tamen contra Dei sapientiam dum huic aliisque similibus occurrit periculis graviter solideque urgeri potest. Deus enim hujusmodi periculum retegens majorem adhuc terrae extensionem

(1) Colen. loc. cit: " But the population of the land of Canaan, 12,000,000 inhabitants within less than 12,000 square miles, (would have been more than twenty times as thick as that of Natal, 150,000 within 18,000, or 100,000 within 12,000 square miles)...without reckoning the old inhabitants. "

respiciebat, nam recitatis, quae supra allegavimus verbis subdidit: "[5] Ponam autem terminos tuos a mari Rubro usque ad mare Palaestinorum, et a deserto, usque ad fluvium: tradam in manibus vestris habitatores terrae, et ejiciam eos de conspectu vestro." Hisce etiam consona sunt, quae ad Abrahami animum erigendum praedixerat: "[6] Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Aegypti usque ad fluvium magnum Euphratem:" vel quae Josue adloquens protulit: "[7] Senuisti, et longaevus es, terraque latissima derelicta est, quae necdum sorte divisa est, omnis videlicet Galilaea, Philisthiim, et universa Gessuri, a fluvio turbido, qui irrigat Aegyptum, usque ad terminos Accaron contra aquilonem." At universa regio, quae hisce explicitis verbis designabatur, atque Hebraeis possidenda promittebatur latioribus illis, quos fingit Colenso, limitibus dubio procul [8] continebatur; ac proinde ubi uno anno subigenda, maxima ejus pars non modo deserta, verum etiam informium cadaverum inhumatorum aggeribus disseminata, ferarum incursionibus subjecta remaneret. Non absque provido consilio igitur paullatim antiquos terrae Chanaan habitatores Deus eorum e sedibus deturbandos esse decrevit.

Id ipsum evincimus 2, ex eo quod licet plures a Reipublicae Hebraeorum constitutione delapsi fuerint anni, Hebraei tamen ferarum molestiis adhuc obnoxii erant. Et sane: cum Samson simul cum parentibus descenderet

(5) Ex. cap. xvii. v. 31.
(6) Gen. cap. xv. v. 18.
(7) Jos. cap. xiii v. 1-3.
(8) Conf. Acker. archael. bib. p. 1 pag. 131.

in Thammata: " [9] Apparuit catulus leonis, saevus et rugiens, et occurrit ei. Irruit autem spiritus Domini in Samson, et dilaceravit leonem, quasi hoedum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu." Et eodem tempore adeo vulpium numerus excreverat, ut Samson Philistinorum frugum stragem in animo volvens, hisce perquam callide usus: " [10] Perrexit enim, (ille) et cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, et faces ligavit in medio: quas igne succendens dimisit, ut huc, illucque discurrerent. Quae statim perrexerunt in segetes Philistinorum: quibus succensis, et comportatae jam fruges, et adhuc stantes in stipula concrematae sunt, in tantum, ut vineas quoque, et oliveta flamma consumeret." Saeculis insequentibus etiam leones, aliaeque ferae in homines irruebant, ac regionem vastabant: David enim, ut veniam a Saul cum Goliath manus conserendi facilius obtineret, haec habuit: " [11] Pascebat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo, vel ursus, et tollebat arietem de medio gregis: et persequebar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum." Tandem tempore Salmanassar gentes, quae Samariam loco Israelitarum occupare, eamque pravis moribus foedare ausae sunt: " [12] Cum ibi habitare coepissent: . . . immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos." At si Hebraei jam in terra Chanaan constituti, ibique in secundis rerum adjunctis versantes

(9) Jud. cap. xiv. v. 5-6.
(10) Jud. cap. xv. v. 4-5.
(11) 1 Reg. cap. xvii. v. 34-35.
(12) 4 Reg. cap. xvii. v. 24.

adhuc ferarum molestia afficiebantur, ecquis non videat haud inane, et vanum fuisse periculum, quod Deus Hebraeorum in commodum antiquitus sibi proposuit declinandum?

Id ipsum evincitur 3, ex tenui illorum temporum cultura. Recentiores enim aetates in multis, et praesertim in armorum qualitate atque natura venerandae praestant antiquitati: ubi enim primis hominibus gladii, lanceae, sagittae, aliaque id genus tantum comperta erant, hac vero recentiori tempestate alias atque alias armorum species suum in commodum, inque suos usus homines derivarunt. Facilitas ergo bestias arcendi, illasque absque ullo periculo prosternendi, qua praesens gaudet aetas non ex hominum numero, imo potius ex qualitate armorum, quae illis praesto sunt, aut esse possunt, est omnino repetenda. Quae cum ita se habeant, ecquis non videt praeposteris inniti Adversarium deductionibus, dum ex eo quod hac aetate nullum ex feris, bestiisque periculum hominibus provenire potest, evincere praesumit prorsus inane et vanum fuisse illud periculum, quod antiquis temporibus ob specialem in Hebraeos benevolentiam Deus declinandum censuit?

Id ipsum evincitur 4 ex ipsius Palestinae situ atque natura. Nam, ut omnibus compertum est, haec regio continentalis, ut ajunt, [13] est, ac undique squallidis, atque horribilibus desertis circumsepta jacet, in quibus varias, ac diversas ferarum species suum perfugium habuisse jam supra vidimus. At dum ita indoles ac locorum natura se habet, nulla diligentia sat est ad

(13) Conf. Acker. loc. cit.

omnes ferarum incursiones cohibendas, prorsusque compescendas: nam prostratis, quae hisce in locis sese occultabant feris, hujusmodi latibula in vicinioris regionis ferarum commodum cedunt. Si igitur dum quieti pacem agunt, homines, qui hujusmodi tenent loca, a quavis bestiarum aggressione haud facile sese tutos habere possunt: multo minus Hebraei exitialia praelia cum habitatoribus Palaestinae inituri a bestiarum periculo, prouti illis Deus praedixerat, sese tegere potuissent. Divina igitur Bonitate factum est, ut non anno uno, sed paullatim qui terram patribus promissam jamdiu obtinebant, Hebraeis illam cederent. Ac proinde summa injuria atque impietate dicteriis et contemptu Moysen talia narrantem se prosequi posse Colenso sibi gloriatur.

Idipsum 5 evincitur ex eo quod Deus hoc ågendi modo non tantum bestiarum incursionibus, verum etiam illius terrae desolationi occurrere, non tantum Hebraeorum incolumitati, verum etiam Palaestinae fertilitati consulere animo intendit: ait enim: " " Non ejiciam eos. . . anno uno, ne terra in solitudinem redigatur, et crescant contra te bestiae. " Dato igitur, liberalitate quadam quod temere injusteque a nobis extorquere enititur Colenso, quod nullum ferarum periculum instaret, qua tamen ostendere queat contra omnium temporum experientiam, universali cum hostibus pugna commissa, desolationem illius terrae alias fertilissimae non fuisse secuturam: quum parum tum Hebraeos, tum indigenas in hisce rerum adjunctis de agrorum cultura sollicitos fuisse credamus oportet? Ubi igitur hoc unum malum

(14) Ex. cap. xxiii. v. 29.

temporis dilatione Deus avertere vellet, veracitas Pentateuchi semper rata, fixaque maneat, oportet.

Idipsum 6 ex ipsa omnium saeculorum experientia evincitur. Hac enim magistra edocemur, primum ac naturalem bellorum effectum locorum desolationem esse, secundum ferarum, si quae latent, irruptiones. Ne vero omnia, quae ad rem nostram faciunt, hujus rei exempla urgeam, tantum [15] Galliam testem invoco, quae superiori aetate, variis seditionis motibus agitata, adeo luporum incursionibus subjecta fuit, ut qui tunc temporis rempublicam tenebant, cognito, quod imminebat periculo, etiam adhibitis omnibus, quae illis inerant, viribus tamen ingruenti Reipublicae discrimini prompte occurrere haud potuerint. Non futile et inane igitur censendum periculum, quod Deus a populo sibi acceptissimo removere decrevit.

87. Hinc factum est ut non modo Patres, qui [16] proprie haec Pentateuchi verba accepere, sed etiam illi, qui nonnulla improprie sumenda esse censuerunt, veracitatem Pentateuchi quoad hanc partem agnoscerent. Sic Augustinus licet per crabrones contendit timoris aculeos heic designari, tamen totus in eo fuit, ut historiae veracitatem constabiliret, inquit enim: " [17] Deus loquitur, in cujus sermone si figurate aliquid dicatur, quod ad proprietatem non sit impletum, non impedit historiae fidem, in qua perspicitur veritas narrationis."

---

(15) Ad. Lecocq. Les loups dans la Beauce.

(16) Conf. Poli Synop. criticor.

(17) August. quaest. xciii in Ex.

CAPUT XIII.

Primogenitorum Hebraeorum numerus secundo peregrinationis anno cum totali virorum multitudine confertur:—Illa exceptio, et quidem gravis, quam contra Pentateuchi genuinitatem atque authentiam urget Colensó, rite expenditur, et declaratur:—variae insuper hac de re Interpretum sententiae enumerantur, et quonam in pretio habendae sint ostenditur:—vera tandem Colensianae difficultatis solutio profertur, variisque rationum momentis constabilitur.

88. Quum indiscriminatim omnibus et singulis hominibus, utpote qui cum Deo essentiali devinciantur relatione tamquam cum suprema eorum caussa et ultimo fine, officium et quidem gravissimum imponatur religioso cultu tum interno, tum etiam externo illum prosequendi: quumque id ipsum alio etiam ex capite, redemptione nempe et liberatione districtius, ut ita dicam, illis injungi possit, ecquis non videt omnes et singulos Hebraeos, et praesertim primogenita omnibus amoris significationibus in totali Aegyptiorum primogenitorum clade a Deo servata solum divinum cultum meditari debuisse? Deus autem, qui haud homines tentat supra id quod possunt, optime sentiens Hebraeos aliis atque aliis Reipublicae curis distentos hisce muneribus fungendis impares fore, eaque impossibilia illis evasura, tribum Levi ab omnibus profanis curis liberam prae universa multitudine sibi elegit. Hinc Moysi praecepit ut filios Levi per domos, et familias ab uno mense et supra numeraret, itemque ut omnium primogenitorum censum faceret. Quo facto Levitae omnes ministerio tabernaculi addicti, et in locum primogenitorum quoad ea, quae cultum respiciebant suffecti fuere. Jam vero

hujusmodi perhibetur fuisse omnium primogenitorum numerus: "[1] Et fuerunt masculi per nomina sua a mense primo et supra viginti duo millia ducenti septuaginta tres."

89. At Colenso summam hoc in primogenitorum numero impossibilitatem deprehendit, ac proinde Pentateuchum in discrimen, inque falsi suspicionem vocat. Et primo Kurtii verba urget, qui hac de re ita se habet: [2] ubi primis peregrinationis annis omnes mares Hebraei numero 900,000 virorum continerentur, quadragesimus secundus quisque vel quadragesimus quartus esset primogenitus, seu aliis verbis in singulis familiis 42 parvulos natos fuisse credamus oportet. Quibus recitatis ipse Colenso subdit: [3] idque facile innotescit considerantibus omnes 900,000 mares sub hisce singulis 22,273 primogenitis fuisse contentos: hoc casu tantum excepto, quando natu major vel mulier fuerit, vel jam suum diem obierit, de quo in praesentia agemus.

---

(1) Numer. cap. iii. v. 43.

[2] Colen. par. prim. cap. xiv. §. 93: "For this purpose I quote the words of Kurts, iii. p. 209—If there were 600,000 males of twenty years, and upwards, the whole number of males may be reckoned at 900.000...in which case there would be only one first-born to forty-two, forty-four males. In other words, the number of boys in every family must have been on the average forty-two."

(3) Colen. loc. cit.: "This will be seen at once if we consider that the rest of the 900,000 males were not first-borns, and, therefore. each of these must have had one or other of the 22,273 as the first-born of his own family, except, of course, any cases where the first-born of any family was a daughter, or was dead, of which we shall speak presently."

Neque cum Michaeli dicas, [4] prosequitur ille, vocabulo "primogenitorum" illos tantum venire, qui primis nuptiis patri nascebantur, ita ut quilibet homo plures simul uxores, pluresque ex eis natos haberet, unum vero primogenitum. Nam diserte Scriptura testatur, "Deum Levitas sibi elegisse a filiis Israel pro omni primogenito, qui aperit vulvam filiis Israel." Hinc inferendo colligit, [5] singulas Hebraeorum mulieres juxta Pentateuchi historiam quadraginta duos natos in lucem edere debuisse: quod est incredibile. Post haec, quum nonnullorum, et praesertim Kurtii, Havernickii, Bunsenii, et Scottii interpretationes critico [6] subjecerit examini, illasque parum ad veritatis normam exactas deprehenderit, tandem aliquando finem huic disputationi imposuit summa perfusus laetitia vel ideo quod [7] plura

(4) Colen. loc. cit.: "And these were not the first-born on the father's side, as Michaelis supposes, so that a man might have many wives and many children, but only one first-born...They are expressly stated to have been the first-born on the mother's side...Num. iii. 12."

(5) Colen. loc. cit: "So that, according to the story in the Pentateuch, every mother of Israel must have had on the average forty-two sons."

(6) Colen. loc. cit. § 94-98

(7) Colen. loc. cit. §. 99 : "By this time, surely, great doubt must have arisen, in the mind of most readers, as to the historical veracity of sundry portions of the Pentateuch. That doubt, I believe, will be confirmed into a certain conviction, by its appearing plainly from the data of the Pentateuch itself, that there could not have been any such population as this, to come out of Egypt,—in other words, that the children of Israel, at the time of the Exodus, could not...have amounted to two millions,—that, in fact, the whole body of warriors could not have been two thousand."

dubia circa veracitatem majoris Pentateuchi partis in plerisque lectorum animis se hactenus excitasse sperat: imo ulterius promittit se facile quemvis convincere posse non adeo numerosam fuisse Hebraeorum Aegypto exeuntium multitudinem, qualis in Pentateucho perhibetur.

Haec sunt, quae fidenter contra hanc Pentateuchi historiam urget, nobisque obtrudit Adversarius. Quae quidem, ut vera fatear, haud talia esse videntur, in quibus nihil impeditum, nihil salebrosum, nihilque quod negotium faciat, difficultatemque creet, occurrere deprehenditur, sed e contra salebris quidem obsita, aleaeque periculosae plena sese legentibus produnt: si enim eos, qui hanc Pentateuchi historiae partem explanandam quovis tempore susceperunt, adeas, propositasque ab eis explicationes mutuo compares, mirum nisi commentariorum varietate fatigeris, opinionum autem pugna non summopere commovearis. Quapropter, antequam cum Adversario hac de re manus conseramus, operae pretium est praecipuas hujus loci interpretationes in medium inque solem edere, editasque sedulo accurateque distringere. Jam vero, ut eos silentio praeteream, qui [8] se nescire, qua hic primogenitorum numerus cum universa virorum multitudine conciliari possit, ingenue professi sunt, eos tantum urgeo qui ad hanc conciliationem faciendam varias diversasque in medium inque lucem protulere hypotheses.

90. Et sane [9] Bonfrerius docet ex hoc primogenitorum numero eos esse expungendos, qui jam alicujus familiae

(8) Conf. Poli Synop: Criticor.
(9) Conf. Poli Synop. Critic. in hunc loc.

caput effecti erant, quique jam in aliam familiam commigrarant: ac proinde nemini mirum esse debere statuit si 22,273 primogenitorum numerus cum universa virorum multitudine collatus valde limitatus videtur. At haec hypothesis, quum nullo plausibili innitatur argumento, tamquam gratuita nobis rejicienda videtur. Praeterea [10] Michaelis, aliique non pauci veracitatem Pentateuchi se tueri posse rati contendendo primogeniti nomine communiter in Scripturis eos tantum donari, qui primis nuptiis ante alios liberos a patre generabantur. Sic, ajunt, Jacob ex quatuor uxoribus duodecim accepit liberos, tamen [11] Liae natu majorem, posthabitis et Josepho et Benjamin sibi prae ceteris acceptis, primogeniti nomine designabat, et Gedeon ex [12] septuaginta liberis, quos plures illi peperere uxores, unum [13] Jether primogenitum habuit: imo et illum Pentateuchi locum urgent, in quo Moyses ut sarta tectaque a quavis injustitia jura primogeniti penes Hebraeos essent, statuit, quod: " [14] Si habuerit homo uxores duas unam dilectam, et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosae primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectae facere primogenitum, et praeferre filio odiosae: sed filium odiosae agnoscet primogenitum, dabitque ei de his, quae habuerit cuncta duplicia: iste est enim

(10) Apud Colen. loc. cit. § 93-94.
(11) Genes. cap. xlix. v. 3.
(12) Jud. cap. viii. v. 30.
(13) Jud. cap. cit. v. 20.
(14) Deut. cap. xxi. v. 15.

principium liberorum ejus: et huic debentur primogenita." Hisce aliisque rationum momentis innixi nihil insolentis contendunt in eo occurrere, quod in perquam ingenti 900,000 masculorum numero 22,273 primogenita tantum fuerint, quum in qualibet domo, etiam pluribus uxoribus eorumque filiis existentibus, qui primus patri nascebatur tantum primogenitus esse vocarique posset. Hisce vero non obstantibus haec interpretatio non omnibus arridet: sunt enim adhuc nonnulli, iique doctissimi qui primogenitorum nomine eos omnes venire contendunt qui primi ex quapiam matre orirentur, quum diserte Scriptura dicat [15] primogenitus, qui aperit vulvam; ac proinde statuunt quemlibet patrem ne liberum quidem fuisse ex speciali Dei praecepto jura primogeniti in alium filium praeter eum, qui sibi primus natus est, conferre, sed insuper contendunt eum ubi ex pluribus uxoribus plures habuisset filios natu majores, singulos Domino offerre jussum esse. Quae quum sint in caussa nullum, quod grave, validumque sit, argumentum ex vocis primogeniti potestate contra Colensianam difficultatem in nostros usus derivare possumus.

92. Alii tandem huic difficultati sequentibus [16] occurrunt, illumque primogenitorum numerum vel ideo per quam exiguum esse concedunt, quia illos 22,273 primogenitos post Aegyptiorum primogenitorum cladem uno scilicet anno in lucem inque solem editos fuisse putant. Quam sententiam tum narrationis contextus, tum parallelismus, constabilire ac in tuto ponere nobis videntur.

---

(15) Numer. cap. iii. v, 11-12.

(16) Conf. Poli Synop. criticor. loc. cit.

Et sane: illam constabilire videtur 1° ipsius narrationis contextus. Postquam enim Deus Moysi ut tribum Levi ministerio tabernaculi addiceret, praeceperat, haec subdidit: "[17] Ego tuli Levitas a filiis Israel pro omni primogenito, qui aperit vulvam filiis Israel, eruntque Levitae mei. Meum est enim omne primogenitum; ex quo percussi primogenitos in terra Aegypti, sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in Israel: ab homine usque ad pecus mei sunt." Omnia igitur quae post decimam Aegypti plagam primo nascebantur, non vero etiam alia, quae antea nata erant Deo sanctificata erant; ac proinde primogenitorum censum ideo habitum ut in locum eorum Levitae sufficerentur illos tantum complexum esse firmissime credi potest.

Illam constabilire 2 videntur loca parallela. Nam post Aegyptiorum primogenitorum cladem Deus jus suum in primogenita Hebraeorum declarans celebransque, quod insuper est fundamentum primogenitorum census ad radices Sinai habiti semper futurum, respexit tempus: ait enim: "[18] Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananaei, sicut juravit tibi et patribus tuis, et dederit tibi eam: separabis omne, quod aperit vulvam Domino, et quod primitivum est in pecoribus tuis: quidquid habueris masculini sexus, consacrabis Domino." Et alibi: "[19] Omne quod aperit vulvam generis masculini meum erit: de cunctis animantibus tam de bobus, quam de ovibus meum erit:" tandem

(17) Numer. cap. iii. v. 12-13.
(18) Ex. cap. xiii. v. 11-12.
(19) Exod. cap. xxxiv. v. 12.

" [20] Decimas tuas et primitias tuas non tardabis reddere: primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. De bobus quoque et ovibus similiter facies: septem diebus sit cum matre sua: die octava reddes illum mihi." Quibus in locis quum omnia futurum tempus respiciant, haud obscure innuitur etiam legem de sanctificandis primogenitis haud retrospectivam fuisse: seu quod idem est hoc in primogenitorum censu illos primogenitos tantum contentos fuisse, qui post ultimam Aegypti plagam in lucem editi fuerunt.

Haec sententia omnem quidem removet difficultatem circa illam inaequalitatem, quam adstruit Colenso, numerum primogenitorum inter et universam marium multitudinem, itemque circa illam hypothesim, qua contendit singulas uxores quadraginta duos liberos masculos edere debuisse; in eo tamen offendit, quod extraordinarium tum nuptiarum, tum etiam primogenitorum numerum unius anni tempore inducere videtur: quod adtentis nonnullis, in quibus versabantur tunc temporis Hebraei, rerum adjunctis, videri posset aliquantulum improbabile: imo Adversarius noster illam tamquam prorsus falsam respuit, quia Scriptura in universum ita Deum Moysi praecipientem traducit: " [21] Et ait Dominus ad Moysen: numera primogenitos sexus masculini de filiis Israel ab uno mense et supra, et habebis summam eorum." At quum verba Scripturae non per se et in abstracto, sed juxta contextum sint interpretanda, quumque insuper, attento 600,000 virorum numero exodi tempore, Hebraeorumque

---

(20) Ex. cap. xxii, v. 29-30.
(21) Numer. cap. iii, v. 40.

more non diutius matrimonia protrahendi, ac summa, qua tunc perfusi erant laetitia, aliisque rerum adjunctis, nativitas 22,273 primogenitorum unius anni tempore non videatur incredibilis, haec sententia adhuc merito tueri potest. Quidquid vero sit de hac quaestione mihi in animo est evincere, etiam in Adversarii hypothesi, qua adhuc contendit, hoc in numero 22,273 omnes primogenitos, et non tantum post Aegyptiorum cladem natos, contineri, non modo nullam inaequalitatem hunc numerum inter, et universam multitudinem urgeri, verum etiam nullam proportionem institui posse, nullamque proinde falsitatem in Pentateuchum impingi, uti sequentibus suademus.

93. Et sane: id suademus 1° ex antecedentibus. Moyses enim in antecedentibus diserte nos edocet, admisso vituli reatu, tribus fere mensibus ante hunc censum exactum summa clade Hebraeos laborasse: [22] Levitae enim, uti a Moyse jussi viginti tria millia hominum interfecerunt, et Dominus pro eodem reatu iterum populum plaga terribili percussit; hinc jure optimo contendimus nullam numerum primogenitorum inter et totam virorum multitudinem proportionem posse institui, quum prorsus nos lateat quot primogenita superioribus in casibus perierint. At quum haec sint in caussa, omnino gratuita est illa Colensi hypothesis qua contendit singulas mulieres in Israel 42 liberos peperisse, ac primogenitorum numerum cum universa masculorum multitudine collatum plus aequo exiguum esse, quia jure nostro contendere possumus majorem quidem primogeni-

(22) Ex. cap xxxii. v. 28 35.

torum numerum fuisse, sed superioribus plagis valde imminutum.

Insuper 2 id suademus ex variis generationibus. Ipse enim Colenso [23] profitetur 900,000 masculorum numerum ex variis generationibus non vero ex fratribus tantum conflatum fuisse. Nonnisi temere igitur ostendere enititur singulas mulieres 42 liberos edere debuisse. Sibi mutuo igitur etiam contradicentibus interpretibus sarta semper tectaque genuinitas Pentateuchi perstabit.

CAPUT XIV.

Hebraeorum habitatio, qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum et triginta annorum:—variae, quae circa annorum numerum occurrunt interpretum sententiae, declarantur:—quaenam prae ceteris majori argumentorum pondere fulcitur, quam brevissime innuitur:—tandem Adversarii hac de re sententiae ratio retegitur.

94. Quum praecipua Hebraeorum historiae capita in nonnullis Pentateuchi libris consignata cum Dei promissis in aliis transcripta penitus concordent atque cohaereant, quumque summa sit horum omnium consonantia atque concentus, nemo ni praeconceptis opinionibus indulgere vellet, unius ejusdemque auctoris scripturam in illis haud agnosceret. Sat enim est Dei promissiones Abrahamo factas cum tota Hebraeorum historia in reliquis Pentateuchi libris consignata conferre, ut certitudo

(23) Colen. par. prim. cap. xvi. § 109-112.

(1) Gen. cap. xii. v. 1.

hac de re habeatur. Sic speciminis gratia Deus priusquam aliquid Abrahamo promitteret, rem apprime duram, et factu difficilem, ut [2] patriam, domumque suam relinqueret, ei imperavit, cujus rei veluti mercedem ea, quae mox pollioiturus erat, rependeret. Quae omnia deinceps illi [3] patefecit, at summatim et indistincte, fore, ut in gentem magnam cresceret, gloria et felicitate haud parva uteretur, atque per eum omnes homines prosperarentur, quin tamen ei manifestaret, ubi aut quando, quomodo, aut quatenus, ea esset praestiturus. Obtemperavit [4] Abraham, et ejus obedientiae praemium recepit certior factus illam ipsam regionem, quam, jubente Deo, petierat, suis posteris [5] obventuram, quo prior [6] promissio jam clarescere coepit: nondum tamen sive regionis amplitudo, sive ratio aut aetas, qua illud contingeret, illi commonstrata est. Ut autem is ex Aegypto, quo tetenderat, illuc [7] repetiit, seque a Lot [8] sejunxit, amplitudinem hanc regionis [9] possidendae, simulque gentis ex eo oriturae [10] multitudinem a Deo doctus est. Aliquo post tempore etiam illi modum aperuit, quo hactenus promissa complerentur, praedicens [11] filium illi oriturum.

(2) Gen. cap. xii. v. 1.
(3) Gen. cap. cit. v. 2-3.
(4) Gen. cap. cit. v. 4-6.
(5) Gen. cap. cit. v. 7.
(6) Gen. cap. cit. v. 2-3.
(7) Gen. cap. xiii. v. 1-4.
(8) Gen. cap. cit. v. 5-12.
(9) Gen. cap. cit. v. 14-17.
(10) Gen. cap. cit: v. 16.
(11) Gen. cap. xv. v. 4.

Quibus auditis, quum Abraham signa [12] petiisset, quibus promissiones confirmarentur, Deus necessaria ad foedus ineundum parare eum [13] jubet, tandemque edicit tempus et modum, quo gens ex Abrahamo exoritura illius regionis potiretur, atque ita Dei promissiones, quod adtinet ad posteritatem et dominium Chanaan, plane declarantur his verbis: " [14] Scito praenoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis. Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo: et post haec egredientur cum magna substantia." Jam vero haec omnes praedictiones, divinaque promissa ad unguem fuisse impleta nemo qui alios Pentateuchi libros attente perlegerit, vel qui ea, quae superioribus capitibus disputata, delibaverit, vel leviter dubitare potest. Ibi enim filios Israel una cum patre Aegyptum ingressos dura Aegyptiorum servitute oppressos vidimus ex una parte, Deum vero eorum liberationem summis Divinae Omnipotentiae signis conficientem ex altera. Imo Moyses diserte nos edocet et temporis circumstantiam juxta Divina promissa fuisse impletam, inquiens: " [15] Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Aegypti." Ab uno igitur eodemque auctore omnes Pentateuchi libros prodiisse dicamus oportet.

---

(12) Gen. cap. cit. v. 8.
(13) Gen. cap. cit. v. 9.
(14) Gen. cap. cit. v. 13-16.
(15) Ex. cap. xii. v. 40-41.

95. Verum Colenso, solo veritatis studio ductus antequam suum hac de re judicium proferat nonnullas quaestiones solvendas proponit. Et primo quidem [16] postulat undenam hi quadringenti et triginta anni, quibus Hebraeorum servitus continetur, computandi: utrum scilicet a Jacobi cum suis ingressu in Aegyptum, an potius ab egressu ipsius Abrahami ex Haran, ut peregrinam ageret vitam? Nec in hoc omnino damnandus: multi enim, quibus tamen semper rata et fixa fuit veracitas Pentateuchi hanc salebrosam quaestionem dirimendam susceperant. Qua in investigatione nonnulli mordicus verbis scripturae adhaerentes [17] statuerunt quadringentos triginta annos a Jacobi ingressu in Aegyptum esse computandos: alii vero latiori in sensu Scriptura accepta docent ab Abrahami avocatione hos annos supputandos. Quae postrema sententia vel adeo a Divo Augustino tuetur, ac validissimis rationibus constabilitur, ut nonnisi temere rejici posset; ac proinde illam iisdem Augustini argumentis vindicandam suscipimus.

Et sane Divus Augustinus perpensis nonnullis, quae in contraria sententia occurrunt, difficultatibus, subdit: " [18] Proinde illa nimirum computatio, quam secutus est

---

(16) Colen. part. prim. cap. xv. § 100: " The question, which we have here to consider, is this,—to what sojourning do the above words refer,—whether to that of Jacob and his descendants in the land of Egypt only, or to the entire sojourning of them and their forefathers, Abraham, and Isaac in a strange land, both in Canaan and Egypt?"

(17) Conf. a Lapid. in hunc loc. et Rosel. monum, d' Egit: par. 2. tom. 2. cap. i. § 15.

(18) August. quaest. xlvii in Ex. § 4.

Eusebius in historia sua chronica perspicua veritate subnixa est. Ab illa enim promissione computat quadringentos-triginta annos, qua vocavit Deus Abraham, ut exiret de terra sua in terram Chanaan."

96. Idque 1° in tuto collocat, atque evincit ex diserta Paulli testificatione. Ait enim: "[19] Quia Apostolus cum Abrahae laudaret, et commendaret fidem, in ea promissione, qua Christum vult intelligi prophetatum, id est, qua promisit Deus Abrahae, quod benedicerentur in eo omnes tribus terrae, hoc autem dico, [20] inquit, quia testamentum confirmatum a Deo, post quadringentos et triginta annos facta Lex non infirmat ad evacuandas promissiones. Ex illa ergo promissione, qua vocatus est Abraham, credidit Deo, post quadringentos et triginta annos factam Legem dicit Apostolus, non ex tempore quo Jacob intravit in Aegyptum."

Idque 2, in tuto collocat atque evincit ex clara et perspicua codicis Samaritani testificatione. Ait enim: "[21] Deinde etiam ipsa scriptura Exodi satis hoc significat: non enim dixit: incolatus filiorum Israel, quem incoluerunt in terra Aegypto anni quadringenti-triginta: sed aperte dixit: quem incoluerunt in terra Aegypto et in terra Chanaan ipsi et patres eorum. Ac per hoc manifestum est computandum esse tempus etiam Patriarcharum Abrahae, Isaac, et Jacob, ex quo peregrinari coepit Abraham in terra Chanaan: id est ex illa promissione, in qua ejus fidem laudat Apostolus, usque

(19) August. loc. cit.
(20) Paull. ad Gal. cap. iii. v. 17.
(21) August. loc. cit.

ad illud tempus quo ingressus est Israel in Aegyptum. Toto quippe isto tempore peregrinati sunt patres in terra Chanaan, et deinde semen Israel in Aegypto: ac sic completi sunt quadringenti-triginta anni a promissione usque ad exitum Israel ex Aegypto, quando facta est Lex in monte Sina, quae non infirmat testamentum ad evacuandas promissiones."

Idque 3, in tuto collocat atque evincit ex eo quod hac in sententia omnia sibi mutuo cohaerere apteque conspirare persensit. Ait enim: "[22] Septuagesimo et quinto anno vitae suae Abraham, sicut Scriptura [23] dicit: egressus est in terram Chanaan, et genuit Isaac, cum esset annorum [24] centum. Fiunt itaque anni viginti quinque ex promissione usque ad natum Isaac. His adduntur omnes anni vitae Isaac, id est [25] centum octoginta, fiunt ducenti quinque: tunc erat Jacob annorum centum viginti: nati sunt enim [26] sexagenario patre gemini, ipse et Esau; post decem autem annos intravit Jacob in Aegyptum: cum esset annorum [27] centum triginta; Joseph autem esset triginta-novem. Fiunt proinde anni a promissione usque ad ingressum Jacob in Aegyptum, ducenti quindecim. Joseph autem ab illo tricesimo et nono anno aetatis suae, in quo eum pater in Aegypto invenit, vixit septuaginta et unum annos: quia omnes aetatis ejus anni [28] centum-decem fuerunt. Cum

(22) August. loc. cit. § 5.
(23) Gen. cap. xii. v. 4.
(24) Genes. cap. xxi. v. 5.
(25) Genes. cap. xxxv. v. 28.
(26) Genes. cap. cit. v. 26.
(27) Genes. cap. xlvii v. 9.
(28) Genes. cap. l. v. 22.

itaque ad ducentos-quindecim annos accesserint septuaginta-unus fiunt anni ducenti-octoginta sex. Restant centum-quadraginta-quatuor vel quinque, quibus intelligitur servisse in Aegypto populus Israel post mortem Joseph."

Hisce omnibus 4 et illud adjici potest argumentum ex difficultate desumptum, qua contrariae sententiae fautores laborant, dum conficere volunt vere Hebraeos quadringentos et triginta annos in Aegypto insumpsisse. Nam una cum Jacob Caath filius Levi Aegyptum petiisse [29] perhibetur. Caath autem vixit tantum annos [30] centum et triginta tres, et ejus filius Amram Moseos pater et alios [31] centum et triginta septem. Jam vero si hisce singulorum annis simul sumptis anni [32] octoginta et unus aetatis Moysis tempore exodi adderentur, non haberentur quadringenti et triginta anni, sed tantum trecenti quinquaginta unus. Ex quibus omnibus rite perpensis fas nobis est cum Divo Augustino concludere annos quadringentos-triginta a vocatione Abrahae, non vero a Jacobi ingressu in Aegyptum esse computandos.

97. Hinc per se corruit illorum opinio, qui contendunt Hebraeos per omnes quadringentos annos dure crudeliterque ab Aegyptiis fuisse divexatos: clare enim supra ostensum est partem hujusmodi annorum Hebraeos in Aegypto transegisse. Imo dato etiam quod hi quadringenti et triginta anni a Jacobi ingressu in Aegyptum essent computandi, nemo ni classicam ignorantiam, imo

(29) Genes. cap. xlvi. v. 11.
(30) Exod. cap. vi. v. 18.
(31) Exod. cap. cit. v. 20.
(32) Exod.. cap. vii. v. 7.

ni sensus communis inopiam prodere vellet, serio contenderet per totum illud tempus, vivente adhuc Josepho, Hebraeos servilem vitam egisse. Qua de re dignus est qui audiatur Augustinus. Is enim primo sic contrariam sententiam proponit: " [33] Servitutis autem eorum (Hebraeorum) volunt esse annos quadringentos: propterea quod scriptum est: [34] sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non sua, et in servitutem redigent eos, et nocebunt illis quadringentos annos." Illamque, dato etiam quod hi anni ab ingressu Jacobi essent computandi, sequentibus diluit: " [35] Quoniam servitutis anni post mortem Joseph computantur (illo enim vivo, non solum ibi non servierunt, verum etiam regnaverunt) non est quemadmodum computentur quadringenti triginta in Aegypto. Ingressus est enim Jacob anno filii sui trigesimo et nono: quoniam triginta annorum erat Joseph cum apparuit in conspectu Pharaonis, et regnare coepit sub illo: transactis autem septem annis ubertatis, secundo anno famis ingressus est Jacob in Aegyptum cum aliis filiis suis: ac per hoc tunc agebat Joseph triginta et novem annos, qui impletis vitae suae annis centum et decem, mortuus est: vixit ergo in Aegypto post ingressum ad se patris sui, septuaginta et unum annos: quos si detraxerimus a quadringentis triginta annis, remanebunt servitutis anni, id est, post mortem Joseph, non quadringenti, sed trecenti, et quinquaginta novem anni." Quasi diceret etiam in illa hypothesi erronea, qua con-

(33) August. quaest. xlvii. in Ex. § 3.
(34) Genes. cap. xv. v. 13-14.
(35) August. loc. cit.

expositione discedere maluerit. Ego vero fatebor quod est, meamque hac de re sententiam nemini dissimulabo: vehementissime enim contendo Adversarium in hoc agendi modo, qui solo veritatis studio regi, optimoque ex animo dimanare videtur, non veritatem sed suum commodum quaesiisse. Ipse enim vel ideo communiorem horum annorum computationem amplexus, quia aptissima illi visa ad mirabile solo 215 annorum spatio Hebraeorum incrementum inficiandum, labefactandumque. Pravo igitur animo Colenso hac in re ductum fuisse statuo, quod quidem adhuc uberius sequentibus disputationibus ostendemus.

CAPUT XV.

Dei promissio Abrahamo facta quod generatione quarta semen ejus a servitute liberaretur, expenditur:—Adversarii consilium in tuenda obvia vocis generationis notione retegitur:—verior tamen vocis דור potestas declaratur, variisque rationum momentis constabilitur:—simulque Adversarii argumenta pro sua sententia vindicanda prolata refelluntur.

99. Inter cetera, quae superiori disputatione Abrahamo patefacta vidimus, et illud praecipuum fuit, quo Deus Abrahami curam, animique aegritudinem ob haeredis carentiam allevavit, illi promittens fore ut non modo Sara ei filium pareret, verum etiam tantopere ejus posteritas excresceret, ut vix et ne vix quidem dinumerari posset: at haec omnia illi retegens praedixit etiam fore ut semen ejus peregrinam, imo servilem in terra

aliena vitam ageret, hinc ut ejus animum erigeret, illique spem adderet, promisit hujusmodi rerum discrimina quarta generatione finem habitura, inquiens: "[1] Scito praenoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis . . . Generatione autem quarta revertentur huc: necdum enim completae sunt iniquitates Amorrhaeorum usque ad praesens tempus." Jam vero hujus loci Interpretes in determinando sensu illorum verborum "generatione quarta" in duas a se invicem diversas abiere sententias: nonnulli enim vocabulum "generatione" sumentes pro exortu novae propaginis in eadem stirpe contendunt a Jacobi ingressu in Aegyptum usque ad Hebraeorum exodum quatuor naturales generationes tantum locum habuisse: alii vero per illud "generatione quarta" quadringentos annos in priori hujus loci parte indicatos designari, diversisque verbis, si lubet, efferri docent.

100. Ad primam horum interpretum classem pertinet Adversarius noster, qui, quum totus in eo sit, prouti jam supra innuimus, ut numerum Hebraeorum Aegypto exeuntium in discrimen inque falsi suspicionem traducat, illam interpretationem secutus est, quae nimis angustis cancellis Hebraeorum in Aegypto commorationem cohibere videtur.

Et re quidem vera, haec ille ad rem nostram habet. [2] Iterum, ubi legitur: generatione quarta revertentur huc:

---

(1) Gen. cap. xv. v. 13-14.

(2) Colen par. prim. cap. xvi. § 108: " Again, when it is said, G. xv. 16, " in the fourth generation they shall come

nonnisi in sensu obvio atque naturali pro quarta generatione illa verba possunt accipi, a tempore supputando, quo Iacob devenit in Aegyptum usque ad posterorum exodum. Quibus praejactis subdit: [3] sic Moysen atque Aaron a tempore migrationis in quarta generatione invenimus, Iacob nempe —Levi—Caath—Amram—Aaron Pariterque si a Levi generationum supputationem [4] incipies, Iosue et Eleazar etc. in quarta generatione constitutos invenies. Imo ulterius progreditur, ac audacius [5] edocet ex variis praestantissimorum virorum genealogiis Pentateucho consignatis ratum fixumque esse Moysis atque Aaronis contemporaneos in tertia, Josue vero et Eleazaris in quarta generatione ab aliquo Iacobi tum filio tum nepote, qui secum Aegyptum petierat,

---

hither again, " this can only mean " in the fourth generation, " reckoning from the time when they should leave the land of Canaan, and go down into Egypt."

(3) Colen. loc. cit.: " Thus we find Moses and Aaron in the fourth generation from the time of the migration, viz: Jacob—Levi—Kohath—Amram—Aaron."

(4) Colen. loc. cit: " Or, as Jacob was so aged, and Moses and Aaron also were advanced in life beyond the military age, we may reckon from those, as Levi, who went down into Egypt in the prime of life, and then the generation of Joshua, Eleazar, etc. in the prime of life, will be the fourth generation."

(5) Colen. loc. cit. §. 109: " If we examine the different genealogies of remarkable men, which are given in various places of the Pentateuch, we shall find that, as a rule, the contemporaries of Moses and Aaron are descendants in the third, and those of Joshua and Eleazar in the fourth generation, from some one of the sons, or adult grandsons, of Jacob, who went down with him into Egypt."

esse constitutos. Tandem in lucem inque medium prolatis, quae suae sententiae favere [6] judicavit, genealogiis, ac [7] refutata Iosue genealogia libris Paralipomenon consignata, vel ideo quod Iosue in decima a Iosepho generatione heic collocatum esse ratus, concludit [8] se ex dictis absque ullo errandi periculo evincere posse nullo modo adeo excrescere Hebraeorum multitudinem potuisse in Aegypto, ut 600,000 milites integra pollentes aetate tempore Exodi praestaret, qui vicies centies mille homines cujusvis aetatis, ac cujusvis sexus proderent, et hoc praesertim, urget, quia hac in re Pentateuchi indiciis insistere, illisque mordicus adhaerere putat.

Hoc unum igitur spectabat, hocque mente agitabat Adversarius noster, dum heic ab obvia vocis דּוֹר significatione, et capite praecedenti a communiori interpretum sententia recedere noluit, qua posset scilicet Hebraeorum multitudinem contra disertam Pentateuchi testificationem ad angustiorem numerum redigere, ac priorem, eumque latiorem in discrimen inque falsi suspicionem vocare. At in his omnibus congerendis actum miserrime egit Colenso, ac oleum operamque frustra in-

(6) Colen. loc. cit. § 109-111.

(7) Colen. loc. cit. § 112-113.

(8) Colen. loc. cit. § 115: "From this it can be shown, beyond a doubt, that it is quite impossible that there should have been such a number of the people of Israel in Egypt, at the time of the Exodus, as to have furnished 600,000 warriors in the prime of life, representing, at least, two millions of persons, of all ages and sexes,—that is io say, it is impossible, if we will take the data to be derived from the Pentateuch itself."

sumpsit: tota enim ejus argumentatio falso laborare supposito, praeposterisque inniti deductionibus vel ideo deprehenditur, quod nonnisi temere tum ex Scripturis, tum ex tabulis genealogicis evincere enititur quatuor tantum in singulis tribubus generationes a Iacobi ingressum in Aegyptum usque ad Hebraeorum exitum locum habuisse: quum neque Scriptura, quam citat, neque genealogiae, quas urget, illi favere deprehenduntur, uti sequentibus ostendemus.

101. Et sane: quod temere scripturam sit interpretatus Colenso in quatuor generationibus tantum asserendis, conficimus 1, ex totius propositionis contextu. Sententia enim Scripturae, quam nobis obtrudit Colenso, quamque pro sua sententia tuenda in medium profert, ita se habet: "[9] Scito praenoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis;" cujus enunciationis sensus sequens profecto est: ab hoc tempore, quo mox tibi, o Abram, promissum semen dabo, faciamque tibi nasci Isaac, usque ad liberationem tuorum posterorum ab illa servitute, in quam redacti fuerint, profluent anni quadringenti, quibus Isaac, et posteri tui partim peregrini erunt in terra aliena, partim etiam servient et affligentur. Quibus verbis recitatis Deus ut Abrahami animum malorum praedictione tristitia affectum erigeret, illumque solaretur subdidit: "[10] Generatione autem quarta revertentur huc: necdum enim completae sunt iniquitates Amorrhaeorum

(9) Genes. cap. xv. v. 13.
(10) Genes. loc. cit. v. 16.

usque ad praesens tempus: " quae verba, uti patet, clarius, disertiusque terminum finemque servitutis innuunt, quasi diceretur: servient quidem et affligentur posteri tui quadringentis annis, at his transactis huc revertentur. Quum nullum igitur de generationibus Aegyptum ingredientibus verbum heic habitum occurrat, Abraham per illa verba " generatione quarta " nonnisi quadringentos annos supra memoratos, seu quartum a tempore, quo haec illi Deus retegebat, seculum intelligere potuit. Nisi igitur totius orationis sensum abrumpere, illumque tamquam intellectu difficilem traducere velimus, illud appositum " generatione quarta " tamquam quadringentorum annorum synonimon, accipiamus oportet.

Idque conficimus 2, ex disertis tum sacrae scripturae interpretum, tum commentatorum testificationibus. Ut enim plura tum [11] catholicorum, tum [12] acatholicorum hujus loci commentaria tacitus praeteream, auctoritatem potissimum urgeo Interpretis Syri, qui ita hanc Scripturam apud Waltonium vertit: " [13] Certo scias peregrinum fore semen tuum in terra non sua, et operae ac servituti subjiciendos esse quadringentis annis . . . Saeculo autem quarto revertentur huc: quia nondum expletae sunt iniquitates Amorrhaeorum. " Interpreti Syro igitur ac plerisque commentatoribus idem fuit illud " quarta generatione" ac quartum sacculum: non est igitur adeo certum, prouti fingit Colenso, per illa

(11) A Lapid. comment. in hunc loc.

(12) Conf. collect. Criticor. Sacr. Scrip. Amstel. edit. 1698.

(13) Walton: Poliglot: in hunc loc.

verba "generatione quarta" quatuor tantum naturales generationes venire.

Idque conficimus 3 ex clara Patrum hujus loci expositione. Nomine omnium audiatur Ambrosius, qui exponens haec verba Geneseos "[14] Quarta autem generatione: " ad rem nostram habet: "[15] Historia quidem de Judaeis videtur convenire, qui in Aegyptum transierunt, et de Aegypto exierunt. Quadringenti enim et triginta anni eorum illic exacti sint." Quibus verbis clare innuit Ambrosius quadringentos et triginta annos apte quartae generationi convenire, ac unum eumdemque sensum illis subesse.

Idque tandem conficimus 4 ex absurdis, quae in Adversarii vocis דור interpretatione necessario profluerent. Ubi enim verba "quarta generatione" in sensu obvio atque vulgari, pro quadruplici scilicet exortu novae propaginis in eadem stirpe, accipienda essent, Dei promissionem foedere [16] confirmatam suo eventu caruisse dicamus oportet: nam quum ne verbum quidem heic occurrat, quod generationum supputationem ad ingressum Iacobi in Aegyptum distrahere videatur, nihil prohibet, quominus ab Isaac eam exordiamur: at hoc in casu nemo occurrere potest in quarta generatione constitutus, qui terram Abrahamo promissam sit vere ingressus: quum hi omnes, qui una cum Moyse et Aaron ab Aegyptiaca servitute liberati, excepto Iosue et Caleb, in deserto [17] obierint. At absurdum, et quidem gravis-

(14) Genes. cap. xv. v. 16.
(15) Ambros. lib. ii. cap. ix. § 65 de Abrah.
(16) Genes. cap. xv. v. 9-16.
(17) Numer. cap. xiv. v. 30.

simum est, vel leviter suspicari Dei promissiones suo eventu frustrari posse. Illa verba igitur "generatione quarta" quartum seculum denotent necesse est: quum post quadringentos et triginta annos constet, filios Israel terrae Chanaan dominium esse potitos.

Quae quum ita se habeant, nemo est qui non videat praepostere enisum Colenso ex hoc Scripturae loco evincere ab ingressu Iacobi in Aegyptum usque ad posterorum ejus exodum quatuor tantum et non plures generationes locum habuisse.

102. Nec minori falsitate laborat argumentum a Colenso pro sua sententia ulterius constabilienda excogitatum, atque a tabulis genealogicis pro lubito confictis depromptum. Quod quidem variis rationum momentis conficimus, atque evincimus.

Et sane: quod proposuimus conficimus, atque evincimus 1, ex ipso agendi modo ab Adversario usurpato. Colenso enim, ut sua sententia de quarta generatione sarta tectaque semper perstaret, in genealogiis computandis non ad stipitem, sed contra ad generationum numerum advertere maluit, hac sibi [18] lege imposita, ut tum generationes ab aliquo immediato Iacobi filio exordiatur, quando posteri ejus tempore exodi in quarta generatione adaptari possent: si secus vero res se haberet, ab aliquo Iacobi nepote vel pronepote illas supputet, recenseatque. At ecquis non videt, hanc computandi rationem potius praejudicatis opinionibus consonam, quam ad veritatis normam exactam esse, quum in hisce genealogiis texendis, ne confusione mentes offuscentur, inque

(18) Colen. loc. cit. § 109.

tricas conjiciantur, omni sedulitate adlaborandum sit, ut primo stipes certo determinetur, atque a quovis alio distinguatur, quo determinato ad gradus computandos, generationesque distribuendas tuto pede procedere possimus? Parum igitur auctoritatis praeseferre possunt tabulae genealogicae hoc radicali vitio infectae, quibus Colenso omnes generationes in Aegypto completas ad quatuor tantum cohibere atque restringere enititur.

Idipsum conficimus, atque evincimus 2, ex ipsis, quas urget, nobisque obtrudit Colenso, tabulis genealogicis. Hae tabulae enim hoc animo, hocque consilio fuerunt ab ipso [19] confictae, ut omnes persuasum haberent Moysis, atque Aaronis coaevos in tertia, Josue vero et Eleazaris in quarta generatione tantum ab aliquo tum immediato, tum etiam mediato Jacobi filio tempore Exodi constitutos fuisse. At longe aliter rem se habuisse et ipsae tabulae ostendunt: sic in Judae genealogia Nahasson, quem Colenso in quarta generatione posuit, in quinta a Juda computando [20] occurrit: Iudas enim stipes hujus tabulae genuit Phares, Phares vero genuit Esron, Esron autem Aram, Aram Aminadab, Aminadab tandem genuit Naasson; pariterque Bezeleel, quem prorsus gratuite Colenso in quarta generatione recenset, a Iuda generationes supputans in sexta generatione positum [21] invenies, Iudas—Phares—Esron—Caleb—Hur—Uri—Bezeleel. Quibus delibatis, etiam omissa Iosue [22] gene-

(19) Colen. loc. cit.
(20) Ruth. cap iv. v. 18-19.
(21) I. Paralip. cap: ii. v. 18-20.
(22) I. Paralip. cap. ii. v. 18-20.

alogia, quae penitus Colenso sententiam convellit, funditusque evertit, plane evincitur perperam enisum Adversarium quatuor generationes tantum a Iocobi ingressu in Aegyptum usque ad terrae patribus promissae dominium intercessisse.

Idipsum conficimus, atque evincimus 3, ex annorum numero, quibus Hebraei in Aegypto commorati sunt. Nam ex iis, quae superioribus disputationibus [23] innuimus, imo etiam ex diserta Adversarii [24] testificatione plane liquet, Hebraeos saltem per ducentos et quindecim annos partim tamquam peregrinos, partim tamquam servos in Aegypto vitam egisse: quo tempore vero, testante Scriptura: " [25] Filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis impleverunt terram." Iam vero, ubi vigesimo quinto quoque anno novam generationem locum habuisse fingere velimus, non quatuor tantum, uti commentus est Colenso, sed octo generationes per totum illud annorum spatium contingere potuisse dicamus oportet. Id autem, quod mera conjectura, prorsusque gratuita hypothesis nonnullis forsan videtur, vel ideo fidenter urgemus, quia pro comperto habemus Iosue Moysi coaevum, inque ejus locum quoad populi curam suffectum in octava a Iosepho generatione fuisse constitutum: Scriptura enim delibata misera nonnullorum filiorum Ephraim morte, subdit: " [26] Porro filius ejus (Ephraim) Rapha, et Reseph, et Thale, de

(23) Conf: cap. xiv. § 95 et sequ.
(24) Colen. prim. part. cap. xv. § 101-107.
(25) Ex. cap. i. v. 7.
(26) I. Paralip cap. vii. v. 25-27.

quo natus est Thaan, qui genuit Laadan, hujus quoque filius Ammiud, qui genuit Elizama, de qua ortus est Nun, qui habuit filium Iosue." Non omnes Hebraei igitur in quarta, verum nonnulli etiam in octava generatione Aegypto egressi iter ad dissitas Palaestinae plagas corripuere. Neque cum Adversario [27] dicas genealogiam Iosue libris Paralipomenon consignatam utpote absurditatibus refertam parum auctoritatis hac in facti specie praeseferre posse: nam absurditates, quas ipse urget, nobisque obtrudit, non libro sacro, sed ejus pravis interpretationibus insunt: imo hujusmodi tales sunt, ex ipsius [28] Adversarii testificatione, quae nudam probabilitatem haud excedunt: at turpe imo impie est vel leviter suspicari auctoritatem libri, qui semper pro canonico agnitus, argumentis solam probabilitatem praeseferentibus labefactari, ac suo e jure dejici posse.

Idipsum tandem conficimus atque evincimus 4, ex absurditatibus, quae in Adversarii sententia necessario profluerent. Ioseph enim post fere septuaginta unum annum a Iacobi patris sui adventu in Aegyptum vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem: sic enim habet Scriptura: " [29] Vixit (Ioseph) centum decem annis. Et vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem. Filii quoque Machir filii Manasse nati sunt in genibus Ioseph." At si juxta Colenso quotquot ex Aegypto exierunt in quarta generatione erant, necessario dicendum per reliquum centum et quadraginta quatuor

(27) Colen. loc. cit. cap. xvi. § 112-113.

(28) Colen. loc. cit. § 113.

(29) Genes. cap. L. v. 22.

annorum spatium unam tantum tribus superioribus generationibus accessisse: quod est incredibile. Praepostere igitur Colenso contendit omnes Hebraeos in quarta fuisse generatione, quando aspera deserti petiere, ac proinde summa impietate ausus est numerum exeuntium nobis in Pentateucho exhibitum in discrimen, inque falsi suspicionem vocare. Quae quum ita se habeant, ecquis non videt, nonnisi summa impietate hanc partem historicam Pentateuchi in falsi suspicionem vocari posse?

103. Hinc factum est, ut Patres non modo in universum mirabile Hebraeorum incrementum in Aegypto [30] ratum haberent, verum etiam 600,000 virorum fuisse numerum Exodi tempore disertis verbis asserent. Sic Clemens Romanus de seditione Core, Dathan, atque Abiron verba serens, quae in hisce rerum adjunctis Moyses, uti a Deo jussus, fecerat, graphice nobis describit, inquiens: " [31] Mane autem exorto convocavit (Moyses) universum Israelem sexcenta millia virorum: et sigilla principibus tribuum ostendit, et aperuit tabernaculum testimonii, protulitque virgas: et inventa est virga Aaronis non tantum germinasse, sed et fructum habere." Tertullianus item Marcionis impudentiam retundens, qui nihil sancti in Veteri Aeconomia fuisse contendebat, illum comparatione Moysen inter et Christum instituta sequentibus urget: " [32] Pascit (Christus) populum in solitudine, de pristino scilicet more. Aut si non eadem et majestas, ergo jam minor est Creatore, qui non uno

(30) Clem. Alex, lib. i. Strom. Iren. lib. iv. adv. Haer. c. 45. aliique.

(31) Clem. Rom. ep. i. ad Cor. n. xliii.

(32) Tertul. lib. iv. adv. Marc. cap. 21.

die, sed annis quadraginta, nec de inferioribus materiis panis et piscis, sed de manna coelesti, nec quinque circiter, sed sexcenta millia hominum protelavit. Adeo autem ea fuit majestas, ut et pabuli exiguitatem non tantum sufficere, verum etiam exuberare, de pristino voluerit exemplo." Hisce omnibus postremo loco Divum Augustinum adjicimus, quum illius verbis nil clarius, disertiusque hac in re haberi possit. Is enim primo hanc sibi quaestionem solvendam proponit, inquiens: " [33] Quaeri autem solet, utrum ad tantum numerum (600,000 virorum) Hebraei pervenire potuerint per eos annos in Aegypto, quos ostendere consideratus in Scripturis numerus potest." Illamque sequentibus diluit: " [34] His annis quantum multiplicari potuerint, si fecunditas hominis consideretur, adjuvante illo qui eos voluit valde multiplicari, reperietur non esse mirum quod in sexcentis millibus peditum egressus est populus ex Aegypto, excepto caetero apparatu, ubi et servitia erant, et sexus muliebris et imbellis aetas." Ex quibus testimoniis clare patet ne ullum quidem dubium circa veritatem eorum, quae Colenso de Rationalistarum more inficiatus est, a primis Ecclesiae seculis usque in praesens menti alicujus insedisse.

(33) August. quaest. xlvii in Ex. § 2.
(34) August. loc. cit.

CAPUT XVI.

Mirabilis Hebraeorum propagatio in Aegypto, eorumque innumera multitudo Exodi tempore effertur:—Difficultas, quam hac de re movet Colenso, expenditur:—tandem in medium inque lucem editis argumentis ad fidem faciendam idoneis exploditur, penitusque convellitur.

104. Quod divinam commendat Sapientiam, ejusque nullis limitibus circumscriptam Potentiam merito in eo constituitur, quod dum homines, utpote qui sub ordine, quem Deus in rebus statuit, constituti, haud possunt supra hunc ordinem operari; Deus autem nulla lege adstrictus, nulloque limite in suis operationibus circumseptus, quae ipsi libuerint, licet solis naturae viribus impervia, sive solus, sive aliarum caussarum ministerio operatur. Huc faciunt semel atque iterum repetitae Regii Psaltis testificationes, qui secum animo pervolvens, quae pro populo Israel Deus non dedignatus est operari, illius potentiam sequentibus celebrabat: "[1] Tu es Deus, qui facis mirabilia:" illiusque praestantiam efferebat, inquiens: "[2] Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus." Et jure meritoque: tot enim tantaque prodigia Deus Hebraeorum amore profudit, inque eorum tutamen convertit, ut si haec omnia recensere velimus, dies procul dubio deficeret, antequam series compleatur. Hinc, ceteris omissis, speciminis gratia illud praesertim urgeo, quo factum est, ut domus Iacob primo in Aegyptum ingressu septuaginta animabus constans

(1) Psalm. lxxvi. v. 15.
(2) Psalm. lxxi. v. 18.

solo 215 annorum spatio ad tantam multitudinem etiam rebus adversis conflictata excreverit, ut non modo Aegyptiis formidinis caussa esset, imo vix et ne vix quidem dinumerari posset. Quapropter Moyses Israelitas ad gratias Deo peragendas excitans hujusmodi praeclarum factum illis ob oculos posuit, inquiens: " [3] In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Aegyptum: et ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus sicut astra coeli." Ubi enim septuaginta descenderunt in Aegyptum, tempore exodi vero: " [4] Profecti sunt . . . sexcenta millia peditum virorum, absque parvulis. Sed et vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oves et armenta, et animantia diversi generis multa nimis." Quo in negotio nemo, ni luce meridiana caecutire velit, Dei opus haud agnoscere potest.

Hinc Colenso optime sentiens sibi perquam difficile fore hanc Pentateuchi partem primo obtutu, ut ajunt, inter fabulas amandare, caute hoc in negotio sibi duxit incedendum, ne rerum novitate perculsi lectores eorum animos suis e scriptis averterent. Quapropter primo adlaboravit, ut omnes persuasos haberet, solo 215 annorum spatio Hebraeorum commorationem in Aegypto fuisse contentam, perque hoc tempus quatuor tantum generationes contigisse, ratus, hisce praejactis perquam facile se posse tuto pede genuinitati atque authentiae Pentateuchi valedicere, illumque penitus quoad hanc partem labefactare.

105. Et sane, hisce praejudicatis opinionibus mentem

(3) Deut. cap. x. v. 22,

(4) Ex. cap. xii, v. 37-38.

occupatus proprius ad hanc rem evolvendam accedit, illamque variis rationum momentis aggressus, pro virili tamquam falsam traducere enititur. Et primo sic ille argumentatur: [5] quum vix et ne vix quidem ulla in sacris scripturis occurrat mentio ingentis penes Jacobi liberos ejusque seros nepotes incrementi usque ad exodi tempora, conjicere quidem possumus eos sese multiplicasse, paucosque praemature obiisse, plerosque vero diu vitam egisse, aliosque procreasse, at nullo pacto contendere possumus incrementi rationem per illud tempus quam longissime ab illa, quae nunc obtinet, vel quae illis obtinuit temporibus, quibus patres eorum in terra Chanaan vitam agebant, fuisse diversam, illamque toto caelo superasse. Jam vero ex scripturis comperimus Ruben quatuor, Simoni sex, Levi tres, Judae quinque, Issachar quatuor, Zabulon tres, Gad septem, Aser quatuor, Josepho duos, Benjamin decem, Dan unum, et Nephtali quatuor fuisse liberos. Quo praejacto ad Hebraeorum incrementi rationem post Jacobi ingressum

---

(5) Colen. part. prim. cap. xvii. § 116: "In the first place it must be observed, as already noted, that we nowhere read of any very large families among the children of Jacob or their descendants to the time of the Exodus. We may suppose, in order that we may have the population as large as possible, that very few died prematurely, and that those, who were born, almost all lived and multiplied. But we have no reason whatever, from the data furnished by the Sacred Books themselves, to assume that they had families materially larger than those of the present day. Thus we are told in Gen. xlvi. that Reuben had 4 sons, Simeon 6, Levi 3, Judah 5, Issachar 4, Zebulun 3, Gad 7, Ashes 4, Joseph 2, Benjamin 10, Dan 1, Naphtali 4.

in Aegyptum determinandam magno accedit animo, ac fidenter [6] docet: quum ex dictis constet, duodecim Jacobi filios 53 liberos secum duxisse in Aegyptum, qui ad hanc proportionem redigi possent quatuor cum medietate pro singulis, nihil prohibet quominus dicamus hac ratione eorum posteros per quatuor generationes sese propagasse. At hoc in casu in prima generatione 54 mares, vel rectius 51 tantum, quum Her et Onan sine liberis decessissent, in secunda 243, in tertia 1,094, et tandem in quarta 4,923, non vero 600,000 viros fuisse dicamus oportet. Imo instat, ac ulterius [7] urget, quod ubi singuli numeri harum quatuor generationum in unum cogerentur, illisque adjicerentur qui in quinta generatione in lucem editi fuerunt, numerus totalis non 1,000,000 sed 28,465 tantum masculos contineret.

---

(6) Colen: loc. cit. §. 118: "The twelve sons of Jacob, then, as appears from the above, had between them 53 sons, that is, on the average 4 ½ each. Let us suppose that they increased in this way from generation to generation. Then in the first generation...there would be 54 males, (according to the story 53 or rather only 51, since Er and Onan died in the land of Canaan, v, 12, without issue)—in the second...243,—in the third...1,094,—and in the fourth... 4,923; that is to say, instead of 600,000 warriors in the prime of life, there could not have been 5,000."

(7) Colen. loc. cit: "Further, if the numbers of all the males in the four generations be added together, which supposes that they were all living at the time of the Exodus, they would only amount to 6,311. If we even add to these the number of the fifth generation, 22,154, who would be mostly children, the sum-total of males of all generations could not, according to these data, have exceeded 28,465, instead of being 1,000,000."

Hinc tandem aliquando postquam novis calculis ex Exodo [8] depromptis priora commenta confirmavit, [9] concludit, 51 mares primae generationis ad 600,000 milites in quarta excrescere nullo pacto potuisse, nisi eorum singuli 46 liberos utriusque sexus procreassent, et sic deinceps usque ad quartam generationem: quod est incredibile.

Nec tamen hisce contentus fuit, sed ea quae de impossibilitate in universum protulit, nonnullis exemplis in particulari constabilire ac in tuto ponere adlaboravit. Idque ulterius se conficere posse ratus ex ingenti Danitarum ac Levitarum numero. Et sane: ipse est audiatur. [10] Dan in prima generatione unum tantum habuit filium Suham, nec alios post eum procreavit in Aegypto, quia Scriptura unam tantum Dan familiam Suhamitarum

---

(8) Colen. loc. cit. § 121-122.

(9) Colen. loc. cit: " In fact. in order that the 51 males of Kohath's generation might produce 600,000 fithting men in Joshua's, we must suppose that each man had 46 children (23 of each sex), and each of these 23 sons had 46 children, and so on! "

(10) Colen. oper. cit., cap. xviii. §. 125: " Thus Dan in the first generation has one son, Hushim, G. xlvi. 23; and, that he had no more born to him in the land of Egypt, and, therefore, had only one son, appears from N. xxvi. 42. where the sons of Dan consist of only one family. Hence we may reckon that in the fourth generation he would have had 27 warriors descended from him, instead of 62,700, as they are numbered in N. ii. 26, increased to 64,400 in N. xxvi. 43. In order to have had this number born to him, we must suppose that Dan's one son, and each of his sons and grandsons, must have had about 80 children of both sexes. "

nempe memoravit. Hinc ni dicere velimus, exclamat ille, unum filium Dan, et singulos ejus nepotes, ac pronepotes 80 liberos utriusque sexus procreasse, non 62,700, vel quod capitalius 64,400, sed tantum 27 viris tribum Dan tempore Exodi fuisse conflatam credamus oportet. Idque ulterius urget vel ideo quod [11] unius Suham nepotes 62,700 duplo majores deprehenduntur iis, qui ex decem Benjamin filiis 35,400 fuerunt procreati. Tandem, ubi hisce similia de tribu Levi [12] praedicavit, ita ut tempore Exodi quadraginta quatuor personis constasse statuerit, alio ex capite veracitatem numerorum Pentateucho consignatorum aggredi praesumpsit, [13] ex eo scilicet, quod triginta octo annorum spatio 22,000 Levitae uno milliario tantum excreverint, quum plusquam quatuor milliariis [14] attenta tum incrementi ratione recentio-

---

(11) Colen. loc. cit: "We may observe also that the offspring of the one son of Dan, 62,700, is represented as nearly double that of the ten sons of Benjamin, 35,400, N. ii. 23."

(12) Colen. loc cit. § 126-128.

(13) Colen. loc. cit. § 129: "The number of Levites at the second census, when compared with that at the first, involves also a great inconsistency. We are told, N. xxvi. 62, that, at the sencond census, "those that were numbered of them were 23,000, all males from a month old and upward." And, at the first census, N. iii. 39. "All that were numbered of the Levites, all the males from a month old and upward, were 22,000. Hence, during the thirty-eight years in the wilderness, they had only increased in number by 1,000 upon 22,000."

(14) Colen. loc. cit. §. 130: "Now the population of England increases at the rate of about 23 per cent. in ten years, Upon the same scale, then,...the 22,000 Levites...

rum temporum, praesertim in Anglia, tum etiam inspecto mirabili tribus Manasse incremento, quae a numero 32,200 per idem temporis spatium eo processerat, ut sub peregrinationis fine 52,700 viros contineret, sese augere debuissent. Quibus omnibus rite delibatis tandem hanc salebrosam disputationem absolvit, nosque irridens interrogat [15] quid adhuc sentire licet de universa Exodi historia, quonam in pretio habenda, quae Hebraeorum stationes, itinera, bellaque cum Amalecitis, atque Madianitis gesta retegunt, quaeque Levitas 3,000 idolatras gladio confodientes exhibent, alios numero plurimos peste, aliisque flagellis perculsos, tandem 600,000 ob eorum prava facinora, ut in deserto perirent damnatos fuisse, docent? Seu ut absque ullis verborum ambagibus rem proferam, utque simul brevi omnia complectar, ea omnia, quae toto peregrinationis tempore Hebraeis contigisse novimus una cum officiis Levitarum, nec ipso Tabernaculo excepto, quod in eremo excitatum consecratumque

should have increased in ten years to 27,069, in the next ten years to 33,284, in the next ten to 40,939, and in the last eight to 48,471—instead of which the number of this favoured tribe is given only at 23,000...On the other hand, the tribe of Manasset increased in the thirty-eight years from 32,200, N. i. 35. 52,700, N. xxvi. 34, and all these were men in the prime of life, and not one of the 32,200 was numbered among the 52,700."

(15) Colen. loc. cit. § 132: " But then what are we to say of the whole story of the Exodus, of the camping and marching of the Israelites, of their fighting with Amalek and Midian, of the 44 Levites slaving 3,000 of the children of Israel, Num. xxxii. 28, of their dying by pestilence, 14,700...? " etc.

fuit, tamquam veracitate historica destituta reprobat, interque fabellas recenter penes Hebraeos invectas amandat, ac tamquam falsitatibus refertas traducit.

At sunt ne haec omnia, quae in medium, inque lucem Adversarius protulit argumenta, adeo omni exceptione majora, ut nos vel invitos ducant, cogantque ad fidem verbo Dei Pentateucho consignato resignandam? Minime quidem. Haec omnia enim potius delirantis mentis aberrationes, quam sincerae animadversiones illius, qui ad nauseam usque profitetur se veritatis studio ad hujusmodi examen accessisse, mihi videntur. Sive enim considerentur in principio a quo proficiscuntur, sive in processu, quo pergunt, sive in termino ad quem adducuntur prorsus falsa, prorsus erronea, prorsus ridicula esse deprehenduntur. Falso enim primo contendit nusquam in Scripturis legi Hebraeos in Aegypto commorantes plusquam patres eorum in terra Chanaan constitutos sese propagasse. Moyses enim totus in eo est, ut certiores de mirabili Hebraeorum incremento nos habeat, utque illud pro comperto teneamus: quod quidem suadent, luculenterque demonstrant varia rationum momenta.

106. Et sane: id 1° suadent, luculenterque demonstrant Dei promissiones Pentateucho consignatae. Jacobo enim Aegyptum petenti Deus occurrit, eumque sequentibus consolatus est: " [16] Noli timere: descende in Aegyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi." Cui etiam consona sunt quae Abrahamo, et Isaaco jam antea annuntiata fuerunt. Abrahamo enim ita Deus praenun-

(16) Genes. cap. xlvi. v. 3.

tiavit: "[17] Leva oculos tuos et vide a loco, in quo nunc es, ad aquilonem et Meridiem, ad orientem et occidentem. Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, et semini tuo usque in sempiternum. Faciamque semen tuum sicut pulverem terrae; si quis potest hominum numerare pulverem terrae, semen quoque tuum numerare poterit:" hisce similia sunt quae Isaaco annuntiata fuerunt: "[18] Multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli: daboque posteris tuis universas regiones has." Quibus in locis Deus, uti patet, aperte praenuntiavit semet posteritatem Abrahami, Isaaci et Jacobi ad innumeram multitudinem suscitaturum, veluti si de insigni quodam opere ageretur, quod peculiari ipsius Dei cura ac studio perficiendum foret, imo in priori horum testimoniorum clare diserteque Jacobo promisit se posteritati ejus in Aegypto magnopere amplificandae operam daturum. Jam vero ni has sententias oppido frigidas, eoque frigidiores, quo grandioribus verbis enuntiatas dicere velimus, vel quod capitalius foret, impie asserere Dei promissiones suo eventu frustratas mansisse, nullo pacto Colenso assentire possumus qui ad 5,000 viros, ut maximus numerus petatur, 70 animas Aegyptum ingressas, et non potius ad 600,000 prouti Scriptura testatur, excrescere potuisse contendit. Et hoc, ut nihil dicamus, de illa falsa, atque impia sententia, qua haud erubuit asserere ne ullum quidem verbum de mirabili Hebraeorum incremento eorum incolatus spatio in Aegypto in Pentateucho occurrere.

(17) Genes. cap. xiii. v. 14-16.
(18) Gen. cap. xxvi. v. 4.

Id ipsum suadent luculenterque demonstrant 2, disertae Scripturarum testificationes. Moyses enim, delibata Josephi, ac fratrum ejus morte, sequentibus Hebraeorum in Aegypto varias, quibus sequentibus temporibus obnoxii erant, rerum vicissitudines retegit: "[19] Filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis impleverunt terram:" imo adhuc clarius id ipsum in textu originali extulit, inquiens: ובני ישׂראל פרו וישׂרצו וירבו ויעצמו במאד מאד ותמלא הארץ אתם: et filii Israel fructificarunt, et more reptilium multiplicati sunt, et roborati sunt valde valde. Et repleta est terra ex eis." Quibus verbis clare diserteque innuit longe uberiorem quam saeculis praecedentibus Hebraeorum propagationem in Aegypto fuisse: imo talem, quae potius reptilium, quae numerosior esse solet, quam hominum propagationi accedere videretur. Hisce vero non obstantibus Colenso fronte quidem pervicaci ausus est asserere, nullam de mirabili Hebraeorum incremento in Aegypto mentionem Pentateucho inesse. At miser, luce meridiana se caecutire passus, quum nil clarius, ut patet, nihilque disertius hoc incremento ex Pentateucho hauriri urgerique possit. Ac proinde tamquam falsam non injuria rejicimus hypothesim illam, qua contendit non 600,000 sed 5,000 tantum fuisse Hebraeos Aegypto exeuntes.

Id ipsum 3 suadet, luculenterque demonstrat ipse agendi modus a Pharaone usurpatus. Nam Aegypti tyrannus volens Aegyptios in Hebraeos incitare, hosque variis malis opprimere primo haec verba habuit: "[20] Ecce

(19) Exod. cap. i. v. 7.
(23) Ex. cap. i. v. 9-10.

populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est. Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur, et si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra." Hinc ut voti compos esset, obstetricibus praecepit. "[21] Quando obstetricabitis Hebraeas, et partus tempus advenerit, si masculus fuerit, interficite eum:" imo neque hisce contentus ulterius universo populo praecepit: "[22] Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite: quidquid foeminini, reservate." At si cetera Scripturae verba deficerent, numquid ex hoc agendi modo a Pharaone usurpato non potuisset Colenso mirabile Hebraeorum incrementum in Aegypto arguere, et a tot tantisque supputationibus, quas inaniter elucubratus est, desistere, ne dicam, ab omnibus ineptiis, quas in lucem, inque medium protulit sese cohibere? Nam in hoc agendi modo Pharao summam animi perplexitatem, summamque formidinem prodit non alia ex caussa, quam ex Hebraeorum insueta, uberiorique propagatione ortam, ita ut non modo laboribus, ac dura servitute, verum etiam saevissimis praeceptis, ne ulterius multiplicentur, sategerit Plane igitur constat, turpiter Colenso errasse, dum statuit nusquam in Scripturis edici uberiorem fuisse in Aegypto Hebraeorum propagationem.

At falsitas Colensianae hypotheseos ulterius sese prodit in processu, quo pergit, inque termino, ad quem adducitur. Colenso enim, ut facilius Hebraeorum numerum tempore Exodi inficiari posset, statuit nonnullis

(21) Exod. cap. cit. v. 16.
(22) Exod. cap. cit. v. 22.

genealogiis filiorum Iacob adhuc in terra Chanaan commorantium innixus non alia ratione 51 seu 54 Jacobi nepotes sese propagasse in Aegypto quam tres, vel ad summum quatuor liberos in lucem inque medium edendo, ac proinde concludit in quarta a Jacobi ingressu in Aegyptum generatione vix et ne vix quidem loco 600,000 viros quinque millia tantum admitti posse. At hallucinatur, tota enim ejus argumentatio falso laborat supposito, praeposterisque scatet deductionibus, uti sequentibus suademus.

107. Et sane quod proposuimus suademus 1°. ex eo quod genealogiae, quas urget, parum auctoritatis hac in re praeseferre possunt, quum in Aegypto et non antea promissiones Abrahamo, Isaaco et Jacobo factae verificandae atque adimplendae essent. Sic enim Deus Jacobum in Aegyptum descendentem adloquens exhibetur: "[23] Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere: descende in Aegyptum; quia in gentem magnam faciam te ibi." At quid, sodes, magnum, quidve Dei promissis dignum in eo occurreret, quod Iacobi nepotes tribus aut saltem quatuor editis liberis jugiter sese propagarent? Ni igitur dicere velimus Dei promissa suo eventu frustrata mansisse, uberiorem, quam fingit Colenso, Hebraeorum propagationem in Aegypto fuisse dicamus, oportet.

Idque suademus 2, ex eo, quod est prorsus improbabile Jacobi filiis 53 liberos tantum fuisse, ita ut ne in Aegypto quidem vel unum alium filium, praeter eos, quos secum tulerant, suscipere potuerint. Nam inter septuaginta, qui una cum Jacob Aegyptum petierant, adnumeratae

(23) Genes. cap. xlvi. v. 3.

fuerunt [24] Dina filia Liae, et [25] Sara filia Aser. At ecquis credat, has prorsus a nuptiis abstinuisse, ac proinde nullam filiis procreandis operam dedisse? Insuper plerique Jacobi filii quando in Aegypto suam constituerunt habitationem, adhuc pollentes viribus, floridaque gaudebant aetate, ac proinde est prorsus incredibile hisce omnibus quietam, vivo adhuc Josepho, vitam agentibus, atque aptissima in regione filiis procreandis constitutis nullam in filiorum numero in terra Chanaan susceptorum accessionem contigisse. Neque dicas nullam hac de re mentionem in Pentateucho occurrere, quia quum Moyses totus in eo fuit, ut divinam celebraret potentiam, quae ex septuaginta animabus innumeram multitudinem oriri fecit, praejacta septuaginta nativitate, sat illi erat reliquorum propagationem indistincte ac prorsus indeterminate efferre, inquiens: " [26] Filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis impleverunt terram." Et hoc praesertim urgemus, quia pro comperto habemus illos omnes, qui post ingressum in Aegyptum nati, sub nomine alicujus ex septuaginta censendos fuisse: sic enim Jacob, quum sibi finem vitae adesse intelligeret, hujusmodi verba cum Josepho habuit: " [27] Duo ergo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Aegypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim et Manasses, sicut Ruben et Simeon reputabantur mihi. Reliquos autem, quos genueris post

(24) Genes. loc. cit. v. 15.
(25) Genes, loc. cit. v. 17.
(26) Exod. cap. i. v. 7.
(27) Genes. cap. xlviii. v. 5-6.

eos, tui erunt, et nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis." Quae quum ita se habeant, ecquis non videt nullum auctoritatis praeseferre posse argumentum ex solo Scripturarum silentio depromptum? Ac proinde non injuria contendimus, falso se habere Colenso, dum 51 vel 53 tantum Jacobi nepotes in prima generatione fuisse docet.

Idipsum 3 suademus ex eo quod non obstantibus genealogiis praejactis, adhuc tamen prorsus gratuita, prorsusque falsa deprehenditur incrementi ratio, quam omnibus et singulis Hebraeis Colenso adtribuit. Ipse enim tamquam ratum fixumque usurpat, singulos Jacobi nepotes eorum commorationis tempore in Aegypto tres aut saltem quatuor generasse filios, hacque ratione ad quartam usque generationem sese multiplicasse. At quo pacto ille praefatis genealogiis innixus hoc incrementum restringere, ac angustioribus cancellis cohibere se posse ratus, eodem ac ferme probabiliori nobis liceret decem, aut etiam duodecim, prouti ipsi Jacobo contigit, in medium inque lucem hos singulos edidisse asserere. Nos vero ab omni comparatione vel ideo abstinemus, quia probe tenemus vix et ne vix quidem fallaciam, quam sensus collectivi vocant, in hac facti specie vitari posse. Ex eo, enim, quod nonnulli tres aut quatuor habuisse filios perhibentur, nonnisi praepostere quis argueret omnes et singulos Hebraeos per quatuor, quas Adversarius fingit, generationes, hoc modo sese propagasse: quum et illud ubique evenire soleat, nec ipsa Anglia excepta, quod ex pluribus fratribus nonnulli duos, alii quatuor, alii vero plures habeant filios. At quum haec sint in caussa, nescio, qua possit Adversarius veracitatem Pentateuchi in

discrimen, inque falsi suspicionem saltem quoad hanc partem vocare.

Imo idipsum 4 suademus ex eo, quod communiter genealogiae Pentateucho consignatae, licet verae, incompletae tamen ac in pluribus deficientes deprehenduntur. Moyses enim in genealogiis texendis, illas communiter personas memoravit, quae pro complemento historiae illi videbantur memoratu dignae. Sic quum nulla adesset necessitas illos commemorandi, tacitus praeteriit Moyses filios Ithamar, tamen in libris Paralipomenon disertis verbis commemorantur, ubi legitur: "[28] Divisit eos (filios Aaron) David, id est, Sadoc de filiis Eleazar, et Ahimelech de filiis Ithamar, secundum vices suas, et ministerium. Inventique sunt multo plures filii Eleazar in principibus viris, quam filii Ithamar. Divisit autem eis, hoc est filiis Eleazar principes per familias sexdecim: et filiis Ithamar per familias, et domos suas octo." Itemque ubi pro comperto est [29] Ruben quatuor saltem habuisse filios, tamen [30] alibi solius Phallu filius, nempe Eliab, id exposcente historia Dathan et Abiron, commemoratur. Tandem, ne longius quam par est hac in enumeratione excurram, nusquam in Pentateucho filii Selae commemorantur, tamen ex libris Paralipomenon cum magna posteritate donatum fuisse constat: legitur enim: "[31] Filii Sela, filii Juda: Her pater Lecha, et Laada pater Maresa, et cognationes domus operantium byssum

(28) Paralip. cap. xxiv. v. 3-5.
(29) Genes. cap. xlvi. v. 9.
(30) Numer. cap. xxvi. v. 8.
(31) 1 Paral. cap. iv. v. 21.

in domo juramenti." At quum haec sint in caussa, ecquis non videt perperam Colenso in determinanda Hebraeorum in Aegypto commorantium incrementi ratione ad has tabulas genealogicas Pentateucho vel aliis Scripturae libris consignatas respexisse, quum optimo quidem jure et illud regeri possit, non omnes et singulos liberos, sed tantum quos narrationis contextus exigebat, illis contineri. Praepostere igitur Colenso trium vel ad summum quatuor filiorum et non amplius fuisse penes Hebraeos in Aegypto degentes incrementi rationem.

Idipsum 5 suademus ex eo quod in Aegypto prae ceteris locis uberior, quam Pentateuchi genealogiae innuere videntur, partuum numerus esse solet. Audiatur hac de re Aristoteles: "[32] Cum animalia quaedam singulos pariant, alia plures, genus humanum in ancipiti est: nam ut plurimum mulieres singulae singulos pariunt. Verum saepe, et locis plerisque geminos etiam edunt, ut in Aegypto fieri certum: pariunt enim in Aegypto et tres et quatuor, idque locis nonnullis saepe fit: sed cum plurimum quinque nascuntur, et quaedam quatuor partubus viginti edidit, qui nos singulis partubus enixa." Hisce consona sunt etiam quae testatur Plinius, ubi ait: "[33] Tergeminos nasci certum est, Horatiorum Curatiorumque exemplo: supra, inter ostenta ducitur, praeterquam in Aegypto, ubi foetifer potus Nilus ... in Aegypto septenos uno utero simul gigni, auctor est Trogus." Jam vero hisce testimoniis innixi potius [34] Aben-Esra aliorumque

(32) Arist, hist. Animal. lib, vii. n, 4.
(33) Plinius hist. nat. lib, vii. cap. 3.
(34) Apud Colen. loc. cit. § 123.

Rabbinorum sententiae, qua docent mulieres Hebraeas duos, quatuor et etiam sex liberos in lucem uno partu edere consuevisse, quam Colenso commentis assentiri malumus, qui vix et ne vix quidem contra disertam Scripturae testificationem quatuor liberos singulis nuptiis adtribuendos censuit. Non est igitur factu impossibile, prouti fingit Colenso, quod Hebraei plusquam 600,000 numerarent, quando ex Aegypto egressi sese itineri commiserunt.

Idipsum tandem 6, suademus ex eo quod prorsus falso Colenso statuit omnes Hebraeos in quarta generatione Aegypto exiisse. Ideo enim Colenso 600,000 virorum numerum ad 5,000 tantum se cohibere posse ratus, quia praeter quam quod plus aequo incrementi rationem reducere, atque restringere ausus, in suis supputationibus insuper ad quartam generationem constitit; unde factum est, ut hoc tantum pacto 600,000 Hebraeos tempore exodi fuisse statueret, ubi singuli 40 vel etiam 80 liberos utriusque sexus procreassent. Nos vero non ideo quod tamquam impossibile habemus quemvis posse etiam quadraginta vel septuaginta filios procreare, quum diserte Scriptura testetur septuaginta Achabo fuisse liberos: "[35] Erant autem Achab septuaginta filii in Samaria": pariterque et alios septuaginta Gedeoni: "[36] Habuitque septuaginta filios, qui egressi sunt de femore ejus: eo quod plures haberet uxores." conclusionem nobis ab Adversario impactam respuendam ducimus, sed quia falso innixa supposito nobis videtur. Nam jam supra

(35) 4 Reg. cap. x. v. 1.
(36) Judic. cap viii. v. 30.

ostendimus non omnes Hebraeos in quarta sed partim in sexta, partim etiam in octava generatione tempore Exodi fuisse. Iam vero ubi 51, quos adstruit Colenso, Iacobi nepotes hac miserabili incrementi ratione, 4 nempe, in singulis generationibus ad octavam usque sese multiplicasse dicerentur, non tantum 2,000,000 sed verius 5,000,000 Exodi tempore eos constituisse argui posset. Ideo igitur Colenso in Hebraeorum numero Exodi tempore determinando a veritate aberravit quia quatuor tantum, et non potius septem aut octo generationes toto 215 annorum spatio contigisse ratus. Proprio igitur veluti pondere gravata corruat oportet difficultas illa, quam contra 600,000 viros in universum, et contra nonnullorum tribuum numerum in particulari Colenso obtrudere, atque urgere praesumpsit. Quae quum ita se habeant, ecquis non videt praepostere Colenso Hebraeorum numerum Pentateucho consignatum ad 5,000 tantum coarctare enisum, ut inde genuinitatem atque authentiam Pentateuchi facilius in discrimen vocare posset?

108. At instat Adversarius, nobisque tamquam creditu difficile et illud [37] obtrudit, quo unius Suham posteritas adeo usque ad exodi tempora excrevisse perhibetur, ut longe illam, quae ex decem Benjamin liberis orta est, superaverit. At ne ullum quidem hujusmodi exceptio nobis facessit negotium: nam pro comperto est apud omnes, quotidiana experientia duce, propagationis rapiditatem in singulis familiis juxta varia rerum discrimina, in quibus illae versantur, se habere, ita ut secundis in rebus numerosiores familiae, in adversis vero valde limi-

(37) Colen. loc. cit. § 125.

tatae deprehendantur. Quum igitur tribus Dan duplo major exodi tempore, quam tribus Benjamin in Pentateucho exhibeatur, nihil prohibet quominus hanc variis casibus, quibus tamen illa prorsus immunis evaserat, conflictatam fuisse credamus. Et sane ex decem Benjamin filiis tantum quinque in censu primo peregrinationis anno habito [38] commemorantur: quod non sine ulla probabilitate ex eo repetendum esse contendimus, quod reliqui misere perierunt.

109. Verum Colenso adhuc obgannit, veritatique Pentateuchi vel ideo acquiescere adhuc [39] renuit, quia parum incrementi in Tribu Levi per triginta octo annorum spatium deprehendit, quum longe aliter attento tribus Manasse per idem tempus incremento, nec non incrementi ratione quae penes nos obtinet, res se habere debuisset. At tota haec argumentatio, sicut et praecedentes, praeposteris deductionibus innititur: ratio enim incrementi non a priori, ut ajunt, sed potius attentis omnibus circumstantiis determinanda est: persaepe enim nonnullae caussae, quae prorsus nos latent, non levem in incrementi rationem mutationem inducunt. Nullo igitur jure Levitarum numerum in discrimen vocare, atque tamquam falsum traducere possumus vel ideo quod ex nonnullis calculis in abstracto institutis Levitae per totum peregrinationis tempus parum sese propagasse videntur. Imo prorsus in hac facti specie ab omni supputatione abstinendum esse contendimus, primo quia prorsus nos latet quot Levitae in seditione Core, Dathan,

(38) Numer. cap xxvi. v. 38-40.
(39) Colen. loc. cit. § 129.

atque Abiron periere, quum Scriptura id tantum referat: "[40] Ignis egressus a Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum:" et vastante incendio: "[41] Percussi sunt quatuordecim millia hominum et septuaginta absque his, qui perierunt in seditione Core:" secundo quia testante Clemente Alexandrino Levitae longe diversa vivendi ratione quam reliquae tribus regebantur: ait enim: "[42] Unde nullum ex veteribus ex Scriptura ostenderis, qui cum praegnante rem habuerit, sed postquam gestavit uterum, et postquam editum foetum a lacte depulit, rursus a viris cognitas fuisse uxores. Jam hunc scopum et institutum invenies servantem Mosis patrem, cum triennium post Aaronem editum intermisisset, genuisse Mosen. Et rursus Levitica tribus servans hanc naturae legem a Deo traditam, aliis numero minor ingressa est in terram promissam." Quae quum ita se habeant, ecquis falsitatis Moysen insimulari audeat, quia tribus Levi cum ceteris tribubus comparata peregrinationis tempore parum profecisse videtur?

110. Licet igitur varia, licet prima facie legentibus etiam gravia, quae in Pentateuchum congessit Colenso, videri possent, tamen quin ejus genuinitati atque authentiae officiant, potius Moysis sinceritatem constabilire ac in tuto ponere deprehenduntur. Ubi enim Pentateuchi scriptor impostor esset, dubio procul adlaboraret, ne numerorum inaequalitate lectores offenderet; Moyses vero

(40) Numer. cap. xvi. v. 35.
(41) Numer. loc. cit: v. 49.
(42) Clem. Alex, lib. ii. Stromat.

solo veritatis amore in hisce libris conscribendis ductus, parum fuit sollicitus ut adeo sua dicta temperaret, quò omnibus credibilia esse possent, sed quemvis sublestae fidei criticum bravans, omniaque ad veritatis normam exigens, quae magna, quaeque parva erant eodem animi candore Pentateucho consignavit. Arma igitur, quibus Pentateuchum Colenso aggredi ausus, illum potius tueri, quam laedere deprehenduntur.

111. Hinc factum est, ut Patres ea omnia, quae de Hebraeorum numero Moyses Pentateucho consignavit, toto corde susciperent ac suis in scriptis allegarent. Sic adeo 1. tamquam falsam habuerunt Adversarii sententiam, qua contendit omnes Hebraeos tempore exodi 5000 tantum fuisse, ut disertis verbis 23,000 post fornicationem Moab cecidisse assererent. Speciminis gratia unum urgeo Tertullianum, qui variis in locis haec ad rem nostram habet: "[43] In Arithmis, cum divertisset Israel apud Sethim, abeunt libidinatum ad filias Moab, invitantur ad idola, ut et spiritu fornicarentur, edunt denique de pollutis eorum: dehinc et adorant deos gentis, et Beelphegor initiantur. Ob hanc quoque idololatriam, moechiae sororem, viginti tria millia domesticis obtruncata gladiis divinae irae litaverunt." Idipsum in fornicarios urget, dum dicit: "[44] Habemus quidem et nos ejusdem vetustatis exempla pro sententia nostra, non modo indulti, verum etiam repraesentati judicii fornicationis. Et utique sufficit tantum numerum viginti quatuor

(43) Tertul. adv. Gnost. cap: III.
(44) Tertul. de pudicit. cap. vi.
(45 Iren. lib. iv adv. Gnos. cap. 45.

millium populi fornicantis in filias Moab una plaga ruisse." Cui consona sunt quae hac de re protulit Irenaeus, qui una cum Apostolo ab his, quae Hebraei peregrinationis tempore perpatrarunt, fideles sequentibus deterret: "[45] Haec in figuram nostri fuerunt, ut non simus concupiscentes malorum, quemadmodum et illi concupierunt. Neque idololatrae sitis, quemadmodum quidam eorum: sicut scriptum est; sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex illis fornicati sunt, et corruerunt una die viginti tria millia." Imo, quod capitalius, disertis verbis 2 statuere nil mirum esse, quod Hebraei in sexcentis millibus peditum Aegypto exierunt. Sic nomine omnium Augustinus haec habet: "[46] Non esse mirum quod in sexcentis millibus peditum egressus est populus ex Aegypto, excepto caetero apparatu, ubi et servitia erant, et sexus muliebris et imbellis aetas." Omnes tandem 3 uno ore mirabile Hebraeorum incrementum in Aegypto ad caelos evexerunt, divinamque Potentiam celebrarunt. Qua in re tam perspicua sat erit unum citare Augustinum, qui celebrata Abrahami fide, subdit: "[47] Hic unum Deum verum colens universitatis creatorem gignit filium senex, de conjuge quam spe pariendi penitus destitutam sterilitas aetasque jam fecerat. Propagatur ex illo numerosissimus populus, multiplicatus in Aegypto, quo illam stirpem ex orientalibus partibus, promissis effectisque crebrescens dispositio divina transmiserat:" et alibi: "[48] Regnantibus

(46) August. quaest. xlvii in Ex. § 2.

(47) August. ep. cxxxvii. cap. iv. § 15.

(48) August. lib. xviii. de civ. Dei c. 7.

Assyriorum duodecimo Manito, et undecimo Sicyoniorum Plemnaeo, et Argis adhuc manente Argo, mortuus est Joseph in Aegypto annorum centum et decem. Post cujus mortem populus Dei mirabiliter crescens mansit in Aegypto centum quadraginta quinque annos, tranquille prius, donec morerentur quibus Joseph notus fuit: deinde quia invidebatur incrementis ejus, erantque suspecta, quo usque inde liberaretur, persecutionibus (inter quas tamen divinitus fecundata multiplicatione crescebat) et laboribus premebatur intolerabilis servitutis." Ex quibus omnibus necessario sequitur, nullo modo Pentateuchi veracitatem saltem quoad Hebraeorum Aegypto exeuntium numerum labefactari posse.

CAPUT XVII.

Varia ac fere innumera sacrificiorum genera cum Sacerdotum numero peregrinationis tempore conferuntur:—Difficultates, exceptionesque inde a Colenso depromptae et in Pentateuchum impactae expenduntur:—genuinitas tamen atque authentia libri Levitici invicte constabilitur:—alia nonnulla minoris momenti ab Adversario pro sua sententia vindicanda in medium prolata refelluntur.

112. Licet omnibus exploratum compertumque sit, vel ipso rationis lumine, Deum nedum internis cordis affectibus, sed etiam externis corporis signis esse ab hominibus colendum; tamen, quum humana ratio ne ullam quidem relationem quosdam actus motusque corporeos inter et Deum oculis corporeis non objectum deprehendere possit, sibi soli relicta, nulloque superno lumine

illustrata in re tam maximi momenti, in determinando scilicet illo cultu, qui non modo divina Majestate dignus, verum etiam illi acceptus, ac prae ceteris gratus sit, suam imbecillitatem agnoscat oportet. Hinc Deus, ne Hebraea gens a ceteris terrae populis ethnica superstitione afflatis vel ideo selecta, ut jugiter verum cultum Aeterno Numini gratum intemerate custodiret, sancteque persolveret, iisdem ob humanae naturae limitationem ac reliqui terrae populi sceleribus sese foedaret, qui ritus, qui cultus illi acceptior, sanctiorque esset per Moysen illam edocere voluit. Quo factum est, ut varia, imo fere innumera sacrificiorum genera, nec non splendidae, multiplices, ac variae caeremoniae divina Sapientia dignae Levitico fuerint consignata. Imo ut ea quae ad Religionem pertinent, numeris omnibus absoluta evaderent, unam e duodecim tribubus, Leviticam nempe, selectam divino cultui praefecit, illamque ita ab omnibus curis secularibus liberam voluit, ut non aliunde, quam ab altari quae victui necessaria erant, sibi comparare poterat. Optimo jure igitur Moyses summa perfusus laetitia populi suae curae commissi praestantiam celebrabat, inquiens: “ [1] Quae est alia gens sic inclyta, ut habeat caeremonias, justaque judicia, et universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros? ”

115. Verum Colenso omnia, quae hac de re a Moyse edita esse perhibentur, veracitate historica destituta esse autumat, ac proinde omnibus, quae illi insunt, viribus haec omnia tamquam falsa traducere enititur.

---

(1) Deut. cap. iv. v.

Et sane: [2] enumeratis plerisque sacrificiorum generibus variis Pentateuchi libris consignatis, hanc sibi quaestionem proponit solvendam: [3] pro tot tantisque sacrificiorum generibus, multiplicibusque muneribus fungendis: cujusmodi erant holocausta, sacrificia pro peccato, sacrificia eucharistica, vel alia id genus, quot fuerunt per quadraginta annorum peregrinationem in deserto Sacerdotes renuntiati? Illamque sequentibus diluit: [4] tantum tres, Aaron, ejusque duo liberi Eleazar et Ithamar: nam diserte in Pentateucho legitur: "Aaron et filios ejus constitues super cultum sacerdotii: externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur:" et alibi: "Castrametabuntur ante tabernaculum foederis . . . Aaron cum filiis suis, habentes custodiam Sanctuarii in medio filiorum Israel: quisquis alienus accesserit, morietur."

---

(2) Colen. prim. part. cap. xx. § 146.

(3) Colen. loc. cit. § 147: "And now let us ask, for all these multifarious duties, during the forty years' sojourn in the wilderness,— for all the burnt-offerings, meat-offerings, peace-offerings, sin-offerings, trespass-offerings, thank-offerings, etc. of a population like that of the city of London, besides the daily and extraordinary sacrifices,—how many Priests were there?"

(4) Colen. loc. cit.: "There were only three,—Aaron, (till his death) and his two sons, Eleazar and Ithamar. And it is laid down very solemnly in N. iii. 10, "Thou shalt appoint Aaron and his sons, and they shall wait in the Priest's office; and the stranger, that cometh nigh, shall be put to death. So again v. 38, Aaron and his sons, keeping the charge of the Sanctuary, for the charge of the children of Israel; and the stranger, that cometh nigh, shall be put to death."

At hisce praejactis contendit, [5] prorsus fuisse hisce tribus Sacerdotibus impossibile, omnia quae illis injuncta erant, quotidie exsequi, atque ad amussim absolvere: nam quum duplex sacrificium singulae mulieres post editum partum offerre tenerentur, attento in tam ingenti Hebraeorum multitudine, partuum numero, qui ad 250 singulis diebus commode reduci potest, vix et ne vix quidem 42 horarum spatium huic muneri fungendo aptum accommodatumque fuisse dicamus oportet. Nec tamen hisce contentus fuit, sed ulterius instat, nobisque et illud [6] obtrudit, quod, quum juxta praescriptiones Levitico, atque libro Numerorum consignatas major sacrificiorum, oblationumque pars in Sacerdotum commodum

---

(5) Colen. loc. cit.: §. 148: "Yet how was it possible that these two or three men should have discharged all these duties for such a vast multitude? The single work, of offering the double sacrifice for women after child-birth, must have utterly overpowered three Priests, though engaged without cessation from morning to night. As we have seen the births among two millions of people may be reckoned as, at least, 250 a day, for which consequently, 500 sacrifice... would have had to be offered daily. Looking at the directions in L. i, iv. we can scarcely allow less than five minutes for each sacrifice; so that these sacrifices alone...would have taken 42 hours."

(6) Colen. loc. cit.: § 154: "Again we have in N. xviii. 9-11, the following commands addressed to Aaron by Jehovah Himself:—" Every oblation of theirs, every meat-offering of theirs, and every sin-offering of theirs, and every trespass-offering of theirs, which they shall render unto me, shall be most holy for thee and for thy sons, In the most holy place shall thou eat it; every male shall eat it; it shall be holy unto thee etc."

cedere deberet, quae tamen omnia in loco sancto comedenda erant, attento peregrinationis tempore Sacerdotum numero, haec omnia non modo [7] superflua, sed factu difficilia per illud tempus fuisse dicamus necesse est: hinc statuit, Pentateuchi genuinitatem atque authentiam nullo pacto suscipi, atque tueri posse.

Haec Adversarius: at in his omnibus congerendis classicam Hebraeorum status, conditionisque peregrinationis tempore ignorantiam prodit: ut enim, quae circa Sacerdotum numerum, partuum multitudinem, aliaque id genus, parum scite in medium protulit, tacitus praeteream, mihi in animo est evincere praecepta caeremonialia fuisse quidem in deserto promulgata, eorum vero observantiam ad terrae patribus promissae dominium usque suspensam atque distractam fuisse: id enim suadent luculenterque demonstrant varia rationum momenta.

Et sane: id 1°, suadet luculenterque demonstrat ipsius hac de re legislatoris testificatio. Moyses enim ultimo peregrinationis anno totam legem populo explanans, illumque ad ejus custodiam enumeratis omnibus Dei benefactis incitans, sequentibus tempus, quo ejus obligationi obnoxii evaderent, extulit, et clare distincteque determinavit, inquiens: " [8] Mihique mandavit (Deus) in illo tempore, ut docerem vos caeremonias, et judi-

---

(7) Colen. loc. cit. §. 155: " But what an enormous provision was this for Aaron and his four, afterwards two, sons, and their families! They were to have the skins of the burnt-offerings, and the shoulder and breast (that is, double-breast) of the peace-offerings, of a congregation of two millions of people, for the general use of their three families! etc. "

(8) Deut. cap. iv. v. 14.

cia, quae facere deberetis in terra, quam possessuri estis." Fuerunt igitur omnes ritus, omnesque caeremoniae peregrinationis tempore in lucem inque medium editae, at ex ipsius legislatoris beneplacito, tunc vim obligandi adipisci poterant, quando populus in terra Chanaan constitutus quietam heic vitam egisset. Praepostere igitur Colenso, ut difficultatem exceptionemque in Pentateuchum impingeret, totum sacrificiorum, ac sacrorum rituum systema in eremo observatum, opereque completum fuisse blateravit.

114. Id ipsum suadet 2, luculenterque demonstrat ipse agendi modus ab Hebraeis peregrinationis tempore usurpatus. Adeo enim ipsi per illud tempus exlegem, ut ita dicam, ducebant vitam, ut et ipsam circumcisionem negligerent: Josue enim post quadraginta peregrinationis annos: "[9] Circumcidit filios Israel in colle praeputiorum." Cujus rei rationem sequentibus retegit inquiens: "[10] Haec autem causa est secundae circumcisionis: omnis populus, qui egressus est de Aegypto generis masculini, universi bellatores viri mortui sunt in deserto per longissimos viae circuitus, qui omnes circumcisi erant. Populus autem, qui natus est in deserto, per quadraginta annos itineris latissimae solititudinis incircumcisus fuit." At dum Hebraei hunc primarium, essentialem, imo totius reipublicae vitalem, ut ita dicam, ritum neglexerunt, ecquis eos de reliquis ritibus ac caeremoniis per totum illud tempus sollicitos fuisse credat? Imo et ipse Moyses antequam diem suum obiret, totus in eo fuit ut

(9) Josue cap. v. v. 3.
(10) Josue cap. cit, v. 4-6.

eos ab hac totius legis incuria revocaret, dixit enim: "[11] Haec sunt praecepta, atque judicia, quae facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, ut possideas eam cunctis diebus, quibus super humum gradieris . . . Non facietis ibi quae nos hic facimus hodie, singuli, quod sibi rectum videtur. Neque enim usque in praesens tempus venistis ad requiem, et possessionem quam Dominus Deus vester daturus est vobis. Transibitis Jordanem, et habitabitis in terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut requiescatis a cunctis hostibus per circuitum: et absque ullo timore habitetis. In loco, quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen ejus in eo, illuc omnia, quae praecipio conferetis: holocausta, et hostias, ac decimas et primitias manum vestrarum, et quidquid praecipuum est in muneribus, quae vovebitis Domino. Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro vos, et filii ac filiae vestrae, famuli et famulae, atque Levites, qui in urbibus vestris commorantur: neque enim habet aliam partem et possessionem inter vos." Quo ex testimonio aperte eruitur non modo universum populum, verum etiam ipsum Moysen fidelem Divinae voluntatis ministrum per totum illud transitorium, ut vocant, peregrinationis tempus, in iis, quae ad divinum cultum pertinent, temporum exigentiis serviisse, proprioque genio indulsisse:" [12] Non facietis ibi, inquit Moyses, quae nos heic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur;" ac proinde horum praeceptorum

(11) Deut. cap: xii. v. 1-12.
(12) Deuter. loc. cit.

obligationem per illud tempus suspensam, inque aliud tempus, quando scilicet melior illis fortuna arriserit, dilatam fuisse: " [13] Neque enim usque in praesens tempus venistis ad requiem et possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis;" quasi diceret, quum tota obligandi vis a possessione pacifica terrae Chanaan, tamquam a praecipua conditione dependeat, ideo, nondum hac possessione adepta, permisit quidem vobis Deus ut unusquisque proprio indulgeret genio, ne, quem populum a dura Aegyptiaca servitute liberarat, novis atque factu difficillimis oneribus aggravasse videretur; ubi vero hanc adepti eritis, tunc pro virili hisce praeceptis vobis obsequendum erit. At quum ita res se habeat, nescio qua impudentia Adversarius contendere ausus, totum sacrificiorum systema in eremo executioni demandatum fuisse, ut facilius impossibilitates, atque contradictiones in Pentateuchum posset impingere?

Idipsum suadent, luculenterque demonstrant 3 nonnullorum sacrificiorum, atque rituum habitus atque natura. Licet enim varia, imo innumera sacrificiorum genera in Pentateucho descripta occurrant, quae omnia ut vera fatear, ubi quotidie opere complenda, dies' procul dubio deficeret, antequam magna eorum pars absolvi posset; tamen ex his pleraque donis oblationibusque sponte factis constabant, ac proinde conditionate edita fuere. Sic enim eorum plurima annunciata invenimus: " [14] Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus et ovibus offerens

(13) Deuter. loc. cit.
(14) Lev. cap. i. v. 2-3.

victimas, si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento; masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii:" itemque: "[15] Si de pecoribus oblatio est, de ovibus, sive de capris holocaustum, masculum absque macula offeret:" tandem: "[16] Si autem de avibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbae. Offeret eam sacerdos ad altare." At quum haec, aliaque id genus sacrificia a libera offerentium voluntate, ac libero beneplacito dependerent; ecquis credat Hebraeos, qui, peregrinatione durante, et ipsum circumcisionis ritum [17] neglexerant, sacrificiis sponte oblatis et conditionate promulgatis Sacerdotes per illud tempus onerasse? Praeterea multa alia sacrificia illis rebus conflanda erant, quae nullo modo peregrinationis tempore Hebraeis praesto esse poterant: hujusmodi erantea [18] omnia, quae ex simila, oleo, thure, sartagine, aliis-que id genus conficienda erant: toto enim illo tempore Hebraeis non alio alimento quam manna uti datum erat: ac proinde etiamsi vellent, nullo modo possent, quae ad hujusmodi sacrificia requisita erant, proferre, illaque in ostio tabernaculi deponere. Tandem illi ritus veniunt, qui in terra Chanaan solummodo exequendi, imo ubi peregrinatione durante ex his nonnulli usurpati essent, inanes, vani, omnisque utilitatis expertes evasissent. Talia erant omnes illi ritus, omniaque sacrificia, quae tempore messis, menseque septimo peragenda erant: legitur enim: "[19] Lo-

(15) Lev. cap. cit. v. 10,
(16) Lev. cap. cit. v. 14-15.
(17) Josue cap. v. v.
(18) Lev. cap. cit. v. 24:
(19) Lev. cap. xxiii. v. 9-10.

cutus est Dominus ad Moysen, dicens: loquere filiis Israel, et dices ad eos: cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, et messueritis segetem, feretis manipulos spicarum primitias messis vestrae ad sacerdotem:" alibi vero: "[20] Mense septimo, prima die mensis erit vobis sabbatum, memoriale clangentibus tubis, et vocabitur Sanctum:" postremo loco et illud venit, quo fuit constitutum: "[21] A quinto decimo die mensis hujus septimi erunt feriae tabernaculorum septem diebus Domino . . . Ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Aegypti." Jam vero quum pleraque sacrificia, plerique ritus Levitico aliisque Pentateuchi libris consignata non in eremo sed in terra Chanaan tum inspecta eorum natura, tum inspecto legislatoris in hisce ferendis proposito, executioni mandanda, necessario sequitur, praepostere Colenso ex horum omnium numero exceptionem contra Pentateuchi veracitatem vel ideo urgere se posse ratum, quod prorsus impossibile Sacerdotibus tunc temporis existentibus fuisse haec omnia exequi atque complere judicavit.

Id ipsum suadent, luculenterque demonstrant 4 peregrinationis adjuncta. Omnia enim caeremonialia praecepta tum in lucem inque medium edita, ac solemniter universo Israeli annuntiata fuerunt, quando diuturnam ad radices montis Sinai stationem habebat, eo tempore scilicet, quo omnibus persuasum erat, brevi terram patribus promissam potiundam esse: ait enim Scriptura:

---

(20) Lev. cap. cit: v. 24.
(21) Lev. cap. cit. v. 34-43.

"[22] Haec sunt praecepta, quae mandavit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinai." Verum post horum promulgationem longe aliter ac Hebraei rati sunt res se habuit: nam isti malefactis, et praesertim ingrato tum in Moysen, tum in Deum, qui eos sospitabat, murmure Aeterni Numinis lacessita indignatione, hoc sibi malum intulerunt, ut tamdiu in deserto peregrinarentur, quousque cadavera illorum, qui majestatem Dei et signa quae fecerat in Aegypto et in solitudine viderant, duobus tantum exceptis, dissolverentur: "[23] Non intrabitis, inquit Dominus, terram, super quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem, praeter Caleb filium Jephone, et Josue filium Nun. Parvulos autem vestros, de quibus dixistis, quod praedae hostibus forent, introducam, ut videant terram, quae vobis displicuit. Vestra cadavera jacebunt in solitudine. Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, et portabunt fornicationem vestram donec consumantur cadavera patrum in deserto." Jam vero ubi tempore, quo primum horum praeceptorum promulgatio facta fuit, perquam opportuna erat, ac summopere Hebraeorum necessitatibus accommodata, in quantum scilicet hac provisum cautumque erat, ne Hebraea gens, assecuto terrae Chanaan dominio, prorsus exlex esset, gentibusque, qui illam terram primo tenebant in iis, quae religionem, cultumque Deo praestandum respiciebant, deterior esset; tamen labentibus annis adeo nullius frugis, atque inopportuna evasit, ut quadragesimo peregrinationis anno Moyses haec omnia

---

(22) Lev. cap. xxvii. v. 34.
(23) Numer. cap. xiv. v. 30-33.

iterum [24] promulganda esse duxerit. At hisce praejactis ecquis cum Colenso adhuc contendat, omnia praecepta, et praesertim caeremonialia ad unguem fuisse ab Hebraeis peregrinationis tempore observata ?

Id ipsum 5 suadent, luculenterque demonstrant disertae Scriptorum tum Hebraeorum tum Christianorum testificationes. Ut enim Aben-Ezrae, aliorumque Rabbinorum testimonia tacitus praeteream, unius Amos auctoritatem urgeo, qui Hebraeos ad internam justitiam potius, quam ad externos ritus incitans sequentibus Dei nomine urgebat: " [25] Numquid hostias, et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel? " Ex Christianis item unum in medium inque lucem profero Tertullianum, qui haec ad rem nostram habet: " [26] Denique, cum per Moysen in Levitico lex sacerdotalis conscriberetur, invenimus praescriptum populo Israeli, ut sacrificia nullo in loco offerrentur Deo quam in terra repromissionis, quam Dominus Deus daturus esset populo Israeli et fratribus eorum: ut, introducto Israel, illic celebrarentur sacrificia et holocausta tam pro peccatis quam pro animabus, et nusquam alibi nisi in terra sancta. " Plane igitur constat hisce omnibus perspectum compertumque fuisse non in eremo, sed in terra Chanaan totum sacrificiorum systema executioni committendum fuisse

Id ipsum suadet, luculenterque demonstrat 6 communis hominum sensus. Ubi enim haec omnia prae-

---

(24) Deuter. cap 1. v. 1. et seq.
(25) Amos. cap. v. v. 25.
(26) Tertul. adv. Jud. cap. v.

cepta hac mente, hocque consilio in lucem, inque solem edita, ut statim, prouti contendit Adversarius, obligarent, quod tamen prorsus falsum esse innuimus, potius credendum Sacerdotes sese tanto muneri fungendo impares esse perspicientes, ut ab omni legis infractione sese liberos haberent, Moysen, vel ipsum Deum, rogatum adiisse, ut ab horum praeceptorum obligatione saltem ex parte illos dispensaret, quam stulte in hisce exequendis irrito conatu institisse. Igitur dato etiam liberalitate quadam haec omnia in eremo virtutem obligandi praesetulisse, nullo modo sequeretur totum rituum ac caeremoniarum systema peregrinationis tempore absolutum fuisse, nullamque dispensationem ab his, quae factu difficillima erant, contigisse; ac proinde sensus communis inopiam Adversarius noster prodit dum vel ideo Pentateuchi genuinitatem, atque authentiam adoriri praesumpsit, quod prorsus impossibile illi visum totum sacrificiorum systema peregrinationis tempore a tribus Sacerdotibus confici, atque impleri potuisse.

Idipsum tandem 7 suadent, luculenterque demonstrant absurditates, quae in Adversarii sententia necessario profluerent. Ubi enim haec omnia praecepta, omnesque caeremonias, ac ritus non a Moyse in condenda Hebraeorum Republica, sed ab alio longe diverso et post multos ab hujus Reipublicae institutione annos, prouti commentus est Colenso, in lucem inque medium edita fuisse contendere velimus, prorsus horum omnium originem inexplicabilem, imo absurdam esse dicamus necesse est. Haec enim nullo modo ab uno ex popularibus repeti potest: quum sit prorsus incredibile, vel unum adfuisse, qui se ac totam nationem decimis aliis-

que id genus oneribus ad Sacerdotes spectantibus aggravare voluerit, quique re actuque, nemine contradicente, hisce omnes onerare potuerit. Pariterque neque haec ab uno ex Levitis vel Sacerdotibus condita fuisse conjicere possumus: non primum, quia absonum est conjicere ex hisce unum et suam et aliorum Levitarum familias uni Aaronis familiae subordinare, inque eam tantum sacerdotium conferre voluisse: non alterum, quia nullus Sacerdos jam hisce ritibus ac caeremoniis assuetus, dummodo tamen haud Colenso similis, quae suo tempore peragebantur a tribus sacerdotibus tantum et in eremo completa fuisse serio ac graviter edicere ausus esset. Imo quod capitalius, ipse persuadere debuisset principibus, judicibus, universoque populo ritus et caeremonias modo a se excogitatas, eas ipsas esse quas semper observaverant: quod est prorsus impossibile. Jure igitur meritoque contendimus, omnes ritus ac caeremonias Pentateucho consignatas vere a Moyse peregrinatione durante latas fuisse, licet ob varia rerum discrimina per totum illud tempus ne ullam quidem obligationem inducere potuisse. Impie igitur Colenso pro virili enisum Pentateuchi genuinitatem atque authentiam in discrimen inque falsi suspicionem quoad hanc partem vocare.

115. Quid ad haec Adversarius? Tenetur undique. At ille ne caussa, quae conclamata est, penitus cadat, adhuc instat, nobisque et aliam difficultatem obtrudit ex numero civitatum Levitis in habitationem destinatarum cum horum multitudine collato desumptam. Ita enim hac de re se habet: [27] in terrae Chanaan distributione

(27) Colens. cap. cit. § 158; " Further, in Jo. xxi, we have an account of the forty-eight Levitical cities, and we read v,

quadraginta duas urbes cum suburbanis earum invenimus Levitis evenisse: ex quibus vero tredecim familiae Aaronis adsignatae fuerunt, testante Josue: "Omnes simul civitates filiorum Aaron sacerdotis, tredecim, cum suburbanis suis." At tunc temporis, [28] prosequitur ille, unum Aaronis filium, Eleazar nempe, unumque nepotem Phinees, ejusque familiam juxta historiae veritatem extitisse dicamus oportet, nulla enim de Ithamar, ejusque posteritate mentio heic occurrit. Hinc inferendo [29] colligit prorsus incredibile, tredecim civitates cum suburbanis earum ex his, quae Jerusalem locoque, in quo Templum excitatum fuit, viciniores erant, tam parvo hominum numero ad habitandum traditas fuisse.

116. At hujusmodi exceptio talis non est, ut Pentateuchi fidem, auctoritatemque deregorare possit. Talis non est 1°. quia hujusmodi partitio non ratione Levitarum tempore Josue vitam agentium, licet plusquam fingit Colenso numerosiores fuerint, sed habita proportione, Deo sic disponente, ad numerum, ad quem seculis insequentibus excrescere debebant: nam tempore Josue major

---

19. All the cities of the children of Aaron, the Priests, were thirteen cities, with their suburbs. "

(28) Colen. loc. cit: " At this time, according to the story there was certainly one son of Aaron, Eleazar, and one grandson, Phinehas, and his family. Ithamar, Aaron's other son, may have been alive; but no mention whatever is made of him."

(29) Colen. loc. cit: " For this small number of persons, then, there are provided here thirteen cities and their suburbs, and all, let it be observed, in the immediate neighbourhood of Jerusalem, where the Temple was built, and where the presence of the Priests was especially required, but in a later age. "

horum locorum pars ab antiquis habitatoribus adhuc occupata erat; ac proinde post multos annos ab hac prima terrae distributione Levitae harum urbium dominium sibi comparare poterant. Seu pressius hac distributione Dei jussu facta provisum cautumque fuit, ne Levitae in immensum labentibus annis excrescentes, seseque multiplicantes nimis angustis confiniis sese recipere compellerentur, quin possent, terra ab aliis tribubus undique occupata, suos confines adhuc vel tenuiter dilatare atque protendere. Talis non est 2, quia nulla lege prohibitum Levitis erat partem horum locorum aliis locare, sed prorsus liberi erant, nonnullis occupatis, de reliquis in suum commodum pro lubito disponere. Sic licet [30] Hebron sacerdotibus adsignata, urbsque refugii declarata, tamen in ea David post Saulis interitum sui regni sedem [31] constituit, inque ea primo Absalonis rebellio [32] exorta. Pariterque [33] Anathoth urbs erat refugii, ac Levitis ex familia Caath adtributa, tamen non a Sacerdotibus vel Levitis, sed a viris impiis, Deoque exosis habitatam fuisse comperimus ex Jeremiae verbis, quibus haec mala Dominus minabatur: "[34] Juvenes morientur in gladio, filii eorum, et filiae eorum morientur in fame. Et reliquiae non erunt ex eis: inducam enim malum super viros Anathoth, annum visitationis eorum." Quae quum ita se habeant, tota, quam in lucem inque solem protulit Adversarius, exceptio inaequali-

(30) Josue cap. xxi. v. 13.
(31) 2 Reg. cap. ii. v. 3-4.
(32) 2 Reg. cap. xv. v. 10.
(33) Josue cap. xxi, v. 18.
(34) Jerem. cap. xi. v. 22-23.

tati, quae urbium inter ac Levitarum numerum intercedere deprehenditur, innixa veluti proprio gravata pondere corruat oportet. Imo haec ipsa inaequalitas, quae Colenso ineptire coegit, illa est, quae majorem venerationem, auctoritatemque sacrae scripturae conciliare videtur: quum enim ingentem, qui seculis insequentibus, et praesertim Davidis temporibus obtinuit, Levitarum numerum in hac terrae divisione contemplatum invenimus, nullo modo, ni impii esse velimus, Dei oeconomiam, divinamque praescientiam, ac proinde divinam Scripturarum originem haud agnoscere possumus. Genuinitas igitur, atque Scripturarum authentia semper rata fixaque maneat necesse est.

117. Hinc factum est, ut non modo Patres his omnibus, quae Levitici, aut Numerorum libris consignata, summam inesse auctoritatem assererent, verum etiam jus Sacerdotum Novae legis exigendi decimas, aliaque id genus asserentes, has Pentateuchi praescriptiones, haecque caeremonialia praecepta pro re sua allegarent. Nomine omnium audiatur Auctor Constitutionum Apostolicarum, qui haec ad rem nostram habet: "[35] Ita et vos laborantes in area, hoc est, in Ecclesia Dei, ex Ecclesia vivite; instar quoque Levitarum, qui ministrabant testimonii tabernaculo, quod omni ex parte figura Ecclesiae erat, quinetiam ipso nomine testimonii, Ecclesiae tabernaculum designabatur. Huic itaque tabernaculo assidentes Levitae, ex iis, quae ab omni populo offerenda Deo donabantur, muneribus, portionibus, primitiis, decimis, sacrificiis et oblationibus libere accipie-

(35) Auctor. Constit. lib. ii. cap. xxvi.

bant, ipsi, eorumque uxores, et filii et filiae." Dein recitatis libri [36] Numerorum verbis concludit: "[37] Oportet itaque eos, qui Ecclesiae assiduo incumbunt, ex Ecclesiae bonis nutriri, quippe Sacerdotes, Levitas, praesides, Dei ministros." At nullo pacto hi omnes ad haec Pentateuchi instituta in hac re asserenda respicerent, ubi genuinitate orbata essent, vel quod idem est, non a Moyse, jubente Deo, sed ab aliquo impostore conscripta essent.

CAPUT XVIII.

Paschatis celebratio ad radices montis Sinai habita expenditur:—Adversarii difficultas ex libro Paralipomenon ex una parte, et ex Sacerdotum numero ex altera petita declaratur:—tandem omni gravi solidoque fundamento carere variis rationum momentis ad fidem faciendam idoneis ostenditur.

118. Licet non omnes ritus sacri, omnesque religiosae caeremoniae in eremo in lucem editae tempore peregrinationis fuerint, Deo dispensante, prouti superiori disputatione innuimus, executioni commissa, opereque completa, tamen Deus, ut alta Hebraeorum in mente reposita eorum a dura Aegyptiorum servitute liberatio maneret, ritum, quem eorum exitu imminente celebrarunt, antequam terrae Chanaan dominium potirentur, ad radices Sinai iterum tempore suo usurpandum esse decrevit. Hinc per Moysen universo

(36) Numer. cap. xviii. v. 1-8.
(37) Auctor. Constit. loc. cit.

filiorum Israel coetui praecepit: "[1] Faciant filii Israel Phase in tempore suo, quartadecima die mensis hujus ad vesperam, juxta omnes caeremonias et justificationes ejus." Cui praecepto Hebraei obtemperantes: "[2] Fecerunt (Phase) tempore suo, quartadecima die mensis ad vesperam in monte Sinai. Juxta omnia, quae mandaverat Dominus Moysi, fecerunt filii Israel."

119. Verum Colenso plures, de more, hac in facti specie absurditates, pluraque creditu difficillima se invenisse sibi gloriatur. Ipse enim sequenti argumento rem suam conficere atque evincere praesumit, inquiens: quum[3] Ezechiae atque Josiae temporibus, quando scilicet populus Israel Phase, prouti in lege praescribitur, celebrare voluit, omnes agni, prouti in libris Paralipomenon narratur, in atrio Templi jugulati fuerint,[4] eorumque sanguis non ab aliis, sed a Sacerdotibus tantum, ministrantibus Levitis, effusus, nil prohibet quominus etiam in hac secunda Paschatis celebratione ad radices montis Sinai peracta in atrio Tabernaculi et non alibi

(1) Numer. cap. ix. v. 2-3.

(2) Numer. cap. cit. v. 5.

(3) Colen. prim. par. cap. xxi. § 159: "In the time of Hezekiah and Josiah, when it was desired to keep the Passover strictly, in such sort as it was written, 2 Chr. xxx. 5, the lambs were manifestly killed in the Court of the Temple."

(4) Colen. loc. cit: "We are told, 2 Chron. xxx. 16. xxxv. 11, that the people killed the Passover, but the Priests sprinkled the blood from their hands, and the Levites flayed them...We must suppose, then, that the Paschal lambs in the wilderness were killed in the Court of the Tabernacle, in accordance, in fact, with the strict injunctions of the Levitical Law."

omnes agnos immolatos, eorumque sanguinem a tribus Sacerdotibus tantum diffusum fuisse dicamus. At inspecta tota Hebraeorum multitudine, [5] instat ille, 150,000 agnos duarum horarum spatio mactatos fuisse, eorumque sanguinem a tribus Sacerdotibus diffusum fuisse optimo jure conjicere possumus; ac proinde, hoc tantum pacto veracitatem hujus Pentateuchi historiae stare, atque tueri posse statuit, ubi fingere velimus singulos Sacerdotes 400 agnorum sanguinem singulis horae momentis effudisse: quod tamen est prorsus incredibile. Imo nec hisce contentus fuit, sed hanc impossibilitatem vel ideo ulterius urget, quod, [6] quum ex calculis alibi positis vix et ne vix quidem 5,000 homines atrium Tabernaculi capere potuisse contenderit, nullo modo in hac facti specie 150,000 agnos, totidemque offerentes duarum horarum spatio, seu 1,250 singulis horae momentis illud ingressos fuisse credi posse statuit.

---

(5) Colen. loc. cit: "Hence, when they kept the second passover under the Sinai, N. ix. 5, where we must suppose that 150,000 lambs were killed at one time between the two evenings, E: xii. 6. for the two millions of people, each Priest must have had to sprinkle the blood of 50,000 lambs in about two hours, that is at the rate of about four hundred lambs every minute for two hours together."

(6) Colen. loc. cit. § 161: "How, in fact, could the Priests have sprinkled the blood at all, if this were not the case, that the animals were killed in the Court of the Tabernacle? But the area of that Court contained, as we have seen, only 1,692 square yards, and could only have held, when thronged, about 5,000 people. How then are we to conceive of 150,000 lambs being killed within it, by, at least, 150,000 people, in the space of two hours, that is, at the rate of 1,250 lambs a minute?"

120. Haec Adversarius: nobis vero in animo est evincere, ne ullam quidem ex his, quas in Pentateuchum urget, nobisque obtrudit Colenso, difficultatem solide graviterque tueri posse. Antequam vero ad Pentateuchi quoad hanc partem genuinitatem, authentiamque asserendam, inque tuto locandam accedamus, nullo modo absque nota abire sinere possumus illam sublestam fidem, quam hoc in Pentateuchi examine prodit Colenso, quamque, velint nolint, heic omnes agnoscere tenentur: postquam enim tamquam omni auctoritate destitutos libros Paralipomenon repudiaverat hac tantum de caussa, quia [1] Josue tempore Exodi non in quarta generatione, prouti ipse commentus est, sed in octava a Jacobi ingressu in Aegyptum fuisse in eis perhibetur, ut semper sibi constans sibique cohaerens perstaret, non hisce ex libris, sed aliunde argumenta contra Pentateuchum haurire debebat; potius igitur praejudicatis opinionibus, quam solo veritatis studio hoc in examine ductum Adversarium fuisse dicamus necesse est. Hisce vero praejactis, ad propositum.

Jam vero, ne inanibus, nulliusque frugis hypothesibus magnam hujus disputationis partem devoveamus, hinc quum prorsus exaggeratus nobis videatur ille, quem urget Colenso, agnorum numerus hac in Paschatis celebratione immolatorum, vel ideo quod non ratione universae Hebraeorum multitudinis, sed ratione tantum masculorum quantitatis supputandus, imo neque ratione decem aut viginti tantum agnum comedentium, sed triginta et quadraginta etiam, prouti temporum, ac lo-

(1) Colen. oper. cit. cap. xvi. § 112-113.

corum adjuncta requirerent, exigendus, hanc aliasque huic similes Colensianae exceptionis partes alto praetereundas silentio ducimus; ac proinde totam cum Adversario disputationem hisce cancellis cohibere malumus, utrum scilicet omnes illi ritus, illaeque caeremoniae, quae processu temporis ab Hebraeis in celebrando Pascha usurpatae fuerunt, etiam peregrinationis tempore in secunda ad radices Sinai Phase immolatione observata fuerint, nec ne. Qua de re statuimus ac vehementissime affirmamus turpiter Colenso errasse dum affirmativam amplexus est sententiam: quod quidem variis rationum momentis conficimus atque evincimus.

121. Et sane: quod proposuimus conficimus atque evincimus 1°. ex eo quod in hac secunda Paschatis immolatione illi ritus, illaeque caeremoniae usurpandae erant, quae a Deo in prima celebratione praescriptae erant. Legitur enim: "[8] Locutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, anno secundo postquam egressi sunt de terra Aegypti, mense primo, dicens: faciant filii Israel Phase in tempore suo, quartadecima die mensis hujus ad vesperam, juxta omnes caeremonias et justificationes ejus." Et alibi: "[9] Fecerunt (filii Israel) tempore suo, quartadecima die mensis ad vesperam in monte Sinai. Juxta omnia, quae mandaverat Dominus Moysi, fecerunt filii Israel." At in prima hujus Paschatis institutione non in atrio Tabernaculi, sed domi, neque a Sacerdotibus, sed a singulis patribusfamilias omnes agni immolati fuerunt: sic enim Deus Moysi praecepit: "[10] Loquimini ad uni-

(8) Numer. cap. ix. v. 1-2.
(9) Numer. cap. cit. v. 5.
(10) Ex. cap. xii. v. 3-6.

versum coetum filiorum Israel, et dicite eis: decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias, et domos suas . . . Et servabitis eum usque ad quartamdecimam diem mensis hujus: immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam. " Quum igitur secunda Paschatis celebratio primo peregrinationis anno peracta juxta ritus caeremoniasque prima vice usurpatas exacta fuerit, necessario sequitur, falso Colenso agnorum immolationem, eorumque sanguinis aspersionem a tribus Sacerdotibus in ipso atrio tabernaculi absolutam fuisse ratum, imo impie cerebrosis commentis inde depromptis hujus Pentateuchi historiae veracitatem adortum esse.

Idipsum conficimus atque evincimus 2, ex eo quod praeceptum omnia sacrificiorum genera in loco religioso cultui destinato conferendi peregrinationis tempore suspensum fuit, ac proinde Hebraeos jam in terra Chanaan constitutos non vero in eremo obligare poterat. Moyses enim ultimo peregrinationis anno, antequam diem suum obiret, sequentibus universum Israelem adlocutus est: " [11] Non facietis ibi (in Chanaan) quae nos hic facimus hodie... In loco, quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen ejus in eo, illuc omnia, quae praecipio conferetis: holocausta, et hostias, ac decimas et primitias manuum vestrarum, et quidquid praecipuum est in muneribus, quae vovebitis Domino. " Ubi igitur etiam Phase hoc generali praecepto contentum fuisse fingere velimus, non quod jam celebratum erat, sed potius quae sequentibus temporibus celebranda fuerant, in atrio tabernaculi absolvenda fuisse dicamus oportet.

---

(11) Deuter. cap. xii. v. 8-11.

Id ipsum 3 conficimus atque evincimus ex eo quod non omnia, quae lege Mosaica quoad Phase celebrationem praescripta erant, fuerunt ab Hebraeis jam in terra Chanaan constitutis ad unguem custodita. Nam pro comperto habemus Hebraeos post multos ab eorum Reipublicae institutione annos, quando sibi propositum erat, Pascha, prouti lege praescriptum erat, celebrare, magna ex parte essentiales hujus ritus caeremonias omisisse, et ipsa Paralipomenon scriptura, quam hac in facti specie urget Colenso, testante: "[12] Magna etiam pars populi de Ephraim, et Manasse, et Issachar, et Zabulon, quae sanctificata non fuerat, comedit Phase, non juxta quod scriptum est:" Deus autem hanc Paschatis celebrationem licet vario ex capite imperfectam summa Misericordia ratam habuit, sicuti hac de re nos eadem Scriptura edocet, dum dicit: "[13] Oravit pro eis Ezechias, dicens: Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum; et non imputabit eis quod minus sanctificati sunt. Quem exaudivit Dominus,' et placatus est populo." Quae quum ita se habeant, ecquis credat Hebraeos adhuc peregrinantes, ubi etiam illud a Moyse praeceptum esset, ut ad atrium tabernaculi omnes agnos conferrent, omni difficultate spreta illi obtemperasse, perque manus Sacerdotum sanguinem aspersisse, vel Deum districte hanc caeremoniam, licet impossibilem, ab eis absolutam voluisse. Non modo praepostere igitur Colenso, quae post octingentos fere annos penes Hebraeos obtinuere, vere peregrinationis

---

(12) 2 Paralip. cap. xxx. v. 18.
(13) 2 Paral. cap. cit. v. 18-20.

tempore usurpata fuisse ratus, verum etiam parum scite illam Scripturam in medium, inque lucem protulit, quae distincte Hebraeos exhibet ritus caeremoniasque a Moyse praescriptas, necessitate exigente, negligentes.

Id ipsum conficimus atque evincimus 4, ex critices principio communiter hoc in examine a Colenso usurpato. Nam Adversarius noster pluribus in locis, prouti jam [14] vidimus, vel ideo historiae veritati acquiescere noluit, quia omnia illa rerum adjuncta, quae luce narrationem perfundunt, utpote quae a Sacro Scriptore omissa, vere contigisse credere renuit: seu pressius ex silentio Scripturarum quandoque Pentateuchi genuinitatem, atque authentiam adoriri, inque discrimen vocare se posse ratus. Hinc quum ne ullum quidem verbum de atrio Tabernaculi, deque Sacerdotibus munus eorum fungentibus in hac Paschatis celebratione nobis a Moyse narrata occurrat, nescio qua potuit Colenso, ut difficultatem in Pentateuchum obtruderet, haec omnia vere locum habuisse asserere.

Id ipsum tandem 5 conficimus, atque evincimus ex eo quod nullo modo sine communis hominum sensus jactura, quae urget Adversarius, tueri possint. Omnibus enim hominibus ratum compertumque est, neminem ad ea, quae impossibilia sunt, praestanda teneri. Quum igitur Colenso in sua gratuita hypothesi plura, quae impossibilia, factuque difficillima tunc temporis tum universo populo, tum etiam Sacerdotibus erant, dimanare perspexerit, potius haec ne ullam quidem obligationem praesetulisse, quam totam historiae veritatem parum scite

(14) Confer. quae dicta cap. xi. § 82.

imo contra communem hominum sensum in discrimen vocare ac tamquam falsam repudiare debuerit. Ac proinde rata semper fixaque genuinitas Pentateuchi perstet oportet.

122. Hinc factum est, ut Patres non modo nihil intentatum relinquerent, quo omnem falsitatis speciem ab hac Paschatis historia removerent, sed illam variis, iisque doctissimis illustrationibus cumularent. Sic Augustinus hac historia delibata, subdit: " [15] Cum Paschae tempore quidam, qui immundi facti erant super animam hominis, id est super mortuum, quaererent, quomodo Pascha facerent; quoniam oportebat eos ab immunditiis septem diebus purificari secundum Legem: consuluit Dominum Moyses, et responsum accepit, cuicumque tale aliquid accidisset, vel tam in longinquo itinere constitutus esset, ut non posset occurrere, alio mense eum facere debere Pascha propter diem mensis quartumdecimum, ubi lunae numerus observabatur. Sed si quaeratur quid facerent, si forte talis immunditia etiam ad secundum mensem occurreret: arbitror id quod dictum est de secundo mense, tamquam regulariter fuisse retinendum, ut tertio mense observarent, aut certe Pascha non egisse tali necessitate, ad culpam non pertineret. " Itemque Chrysostomus haec ad rem nostram habet: " [16] Praecepit ipsis Deus per Moysen ut Pascha faciant. Dic, inquit, ut faciant filii Israel pascha. Erat enim primus mensis secundi anni. Accesserunt autem immundi ad Moysen, et obtulit pro illis Deo. Praecepitque Deus, eum qui

(15) August. quaest. xv. in Numer.
(16) Chrys. synop. Sacr. Scrip. Numer.

non posset in primo mense immolare Pascha, vel quod immundus esset, vel quod in longo itinere, in secundo mense facere decima tertia die. Si quis vero mundus cum sit, nec in longo itinere, nolit Pascha facere in primo mense, sub peccato erit." Quae quum ita se habeant, nonnisi temere, ne dicam impie, haec Pentateuchi historia in discrimen inque falsi suspicionem vocari potest.

CAPUT XIX.

Hebraeorum bellum ultimo peregrinationis anno cum Madianitis gestum, et victoria inde parta describitur:—Difficultas, quam triplici ex capite contra Pentateuchi genuinitatem urget Colenso, expenditur:—Ejus vanitas atque futilitas retegitur, simulque Pentateuchi genuinitas atque authentia variis rationum momentis constabilitur.

125. Optimo quidem jure beatus Stephanus enumeratis omnibus benefactis, quibus Deus populum Hebraeorum nullo non tempore cumulavit, enumeratisque etiam eorum a divina lege defectionibus, tam magnam impietatem sequentibus exprobravit: "[1] Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis: sicut patres vestri, ita et vos:" nam patres eorum adeo divinis favoribus ac gratiis onerati, ut peregrinatione ad extremum vergente, jam varias urbes, variosque populos ferro flammisque deleverint, summa-

(1) Actor, cap. vii. v. 51:

que perfusi laetitia ad terrae patribus promissae dominium properarent, quum horum omnium immemores, impellentibus filiabus Moab et Madian, Deum suum dereliquerint, et Beelphegor initiati sint. Quo pravo Hebraeorum facinore justissima Deus excandescens ira in eos severissime animadvertit: simulque, ne prima potiorque hujus peccati caussa, Madianitae nempe, impunita evaderet, Moysi praecepit: "[2] Armate ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Madianitis. Mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel, qui mittantur ad bellum." Cui divino praecepto Moyses obtemperans collectos ex duodecim tribubus duodecim mille homines [3] cum Phinees Aaronis nepote bellum Domini pugnatum misit. Nec illis hac in expeditione divinum auxilium defuit: "[4] Cum pugnassent contra Madianitas, atque vicissent, omnes mares occiderunt: et reges eorum Evi, et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe, quinque principes gentis . . . interfecerunt gladio." Insuper: "[5] Ceperunt mulieres eorum, et parvulos, omniaque pecora, et cunctam supellectilem, quidquid habere potuerant, depopulati sunt." Nec hoc satis, sed flammis eorum civitatibus, viculis atque castellis [6] addictis, inque castra [7] adducta magna, quam ceperant, praeda, omnes tum mulieres, tum parvulos, virginibus

(2) Numer. cap. xxxi. v. 3-4.
(3) Numer. cap. cit: v. 5-6.
(4) Numer. cap. cit. v. 7-8.
(5) Numer. cap. cit. v. 9.
(6) Numer. cap. cit v. 10,
(7) Numer. cap. cit. v. 11-12.

tantum exceptis, [8] interfecerunt. Quae historia terrore prorsus plena summopere accommodata ad summum in peccata odium fidelium excitandum, illorumque mentibus instillandum habeatur oportet.

121. Verum Colenso non modo haec omnia parvi habuit, verum quod capitalius, hanc historiam triplici ex capite aggressus, illam inter fabellas procul amandandam decrevit. Ipse enim primo hanc Pentateuchi historiam absolute et in se consideratam vel ideo in discrimen inque falsi suspicionem traducendam esse docuit, quia [9] quum ex 32,000 virginum numero totam mulierum multitudinem ad 80,000 numerum ascendisse statuerit, eademque proportione insistens totam Madianitarum multitudinem ad 148,000 mortalium reduxerit, insuperabiles difficultates in eo invenit, quod duodecim millia Hebraeorum non modo tam innumeram hostium multitudinem superare, verum etiam sani et sospites revertentes 808,000 pecora praeter et alios 100,000 captivos sua in castra adducere potuerint. Hoc praeja-

(8) Numer. cap. cit. v. 17-18.

(9) Colen. par. prim. cap. xxii. § 172: " They, (id est virgines) amounted, we are told, to 32,000 v. 35, mostly, we must suppose, under the age of sixteen or eighteen. We may fairly reckon that there were as many more under the age of forty, and half as many more above forty, making altogether 80,000 females, of whom, according to the story, Moses ordered 48,000 to be killed, besides (say) 20,000 young boys...And these 48,000 females must have represented 48,000 men, all of whom, in that case, we must also believe to have been killed...by 12,000 Israelites, who, in addition, must have carried off 100,000 captives...and driven before them 808,000 head of cattle...and all without the loss of a single man!

cto falsitatem hujus historiae alio ex [10] capite se asserere posse ratus, ex habitu scilicet, quem ipsa praefert ad alia facta, quae tunc temporis contigisse narrantur. Nam [11] enumeratis omnibus, quae a morte Aaronis quinta die quinti mensis postremi anni peregrinationis secuta usque ad regis Og caedem contigisse narrantur, eventis, prorsus gratuite statuit, [12] haec omnia nonnisi sex mensium spatio, ut minimus mensium numerus petatur, absolvi, opereque compleri potuisse, ac proinde regis Basan cladem eo ipso die confectam concludit, quo Moyses universum populum in campestribus Moab allocutus fuisse perhibetur. Hinc inferendo [13] colligit nullo pacto credibile bellum cum Madianitis gestum, et cetera omnia, quae regis Og mortem inter et Moysis concionem inter-

(10) Colen. loc. cit. § 173: " But it may be well at once to show that, besides involving the above incredible statements, the narrative itself, as it now stands, is unhistorical here as elsewhere. "

(11) Colen. loc. cit.

(12) Colen. loc, cit, § 174: Thus, then, from the first day of the fifth month, on which Aaron died, to the completion of the conquest of Og, King of Bashan, we cannot reckon less altogether than six months, (and, indeed, even the events will have been crowded one upon another in a most astonishing, and really impossible, manner,) and are thus brought down to the first day of the eleventh month, the very day on which Moses is stated to have addressed the people in the plains of Moab. D. i. 3.

(13) Colen. loc. cit : " And now what room is there for the other events, which are recorded in the book of Numbers, as having occurred between the conquest of Bashan and the address of Moses ?

cessisse narrantur, vere ac re actuque contingere potuisse.

Idipsum tandem alio ex capite, morali nempe urget nobisque obtrudit Adversarius. Contendit enim [14] duo illa praecepta, quorum altero tum imbellis sexus, tum imbellis aetas capitis damnata, altero vero triginta duae virgines in servitutem redactae fuerunt, potius infamem tyranni impietatem, quam Dei bonitatem, sanctitatemque prodere, atque portendere: hinc statuit, nullo modo, nisi impie hoc de Deo cogitare velimus, in Pentateucho, in quo haec omnia a Moyse, prouti a Deo jussus erat, peracta exhibentur, originem propheticam agnoscendam esse.

Haec Adversarius: at bona ejus pace dicimus, ea omnia, quae in medium, inque lucem protulit, inque Pentateuchum congessit, haud talia esse, quae solide graviterque urgeri possint et valeant. Et sane: ta'e non est primum: nihil enim parum ad veritatis normam exactum in eo deprehendi potest, quod 12,000 Hebraei ea omnia, quae Pentateucho consignata, absque unius

---

(14) Colen. loc. cit. § 172: " But how thankful we must be, that we are no longer obliged to believe, as a matter of fact, of vital consequence to our eternal hope, the story related in N. xxxi, where we are told that a force of 12,000 Israelites...by command of Moses, butchered in cold blood all the women and children, except all the women-children who have not known a man by lying with him...The tragedy of Cawnpore, where 300 were butchered, would sink into nothing compared with such a massacre if, indeed, we were required to believe it...How it is possible to quote the Bible as in any way condemning slavery, when we read here. v. 40, of Jehovah's tribute of slaves, thirty-two persons?

jactura confecisse, atque absolvisse perhibentur: id enim suadent, luculenterque demonstrant varia rationum momenta.

125. Et sane: id 1°, suadent, luculenterque demonstrant Dei promissiones Pentateucho consignatae. Moyses enim populum Israel ad divina praecepta sedulo observanda incitans, illisque bona, quae inde consequi possent, retegens haec Dei nomine promisit: "[15] Persequimini inimicos vestros, et corruent coram vobis. Persequentur quinque de vestris centum alienos, et centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro:" et alibi: "[16] Disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, et possidebitis eas, quae majores et fortiores vobis sunt . . . Nullus stabit contra vos: terrorem vestrum et formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram, quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis." Nisi igitur impie dicere velimus, Dei promissa suo eventu frustrari posse, nihil creditu difficile in eo esse, quod 12,000 Hebraei populum Madian illis majorem, fortioremque profligarint, prorsusque deleverint, dicamus necesse est. Non injuria igitur contendimus, impie Adversarium hanc Pentateuchi historiam inter fabellas amandare enisum.

Idipsum suadent, luculenterque demonstrant 2, Madianitarum, aliorumque populorum pavor, atque consternatio ex Hebraeorum adventu exorta. Omnes enim gentes per circuitum adeo eorum, quae pro Hebraeis Deus operatus est, gnari erant, adeoque eos timebant,

---

(15) Lev. cap. xxvi. v. 7-8.
(16) Deut. cap: xi. v. 23-25.

ut Rahab Jerichuntina explicitis verbis hac de re exploratores Hebraeos edocuerit, inquiens: "[17] Novi quod Dominus tradiderit vobis terram: etenim irruit in nos terror vester, et clanguerunt omnes habitatores terrae. Audivimus quod siccaverit Dominus aquas Rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Aegypto: et quae feceritis duobus Amorrhaeorum regibus, qui erant trans Jordanem Lehon, et Hog, quos interfecistis. Et haec audientes pertimuimus, et clanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum." Praeter haec haud latebant profecto Madianitas Balaami divinationes, qui a Moabitis et Madianitis ad maledicendum Israel [18] accersitus, loco imprecationum sequentes edidit benedictiones: "[19] Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel. Temporibus suis dicetur Jacob et Israeli, quid operatus sit Deus. Ecce populus in leaena consurget et quasi leo erigetur: non accubabit, donec devoret praedam, et occisorum sanguinem bibat." At quum haec fuerint in caussa, ecquis Moysi narranti, quod 12,000 Hebraei omnes Madianitas fuderant, atque necaverant, fidem habere detrectet?

Idipsum 3 suadent luculenterque demonstrant absurda, quae in Adversarii sententia necessario profluerent. Nam, quum non solo Pentateucho vel aliis Sacrae Scripturae libris, verum etiam plerisque tum [20] antiquis tum recentioribus profanis historiis consignatum occurrat, in summa copiarum inaequalitate victoriam non militum

(17) Josue cap. ii. v. 9-11.
(18) Numer. cap. xxii. v. 4 et sequ.
(19) Numer. cap. xxiii. v. 23-24.
(20) Herodot. lib. vii. historiar. aliique.

numero partam, sed magna animi virtute aliisque rerum adjunctis consecutam, ita ut a paucioribus numerosiores hostes non semel profligatos fuisse ratum compertumque sit; ubi ex sola hostium manus conserentium inaequalitate hanc Pentateuchi historiam in falsi suspicionem, prouti contendit Colenso, vocare velimus, ceteras historias, in quibus huic similia narrantur, repudiemus oportet. At hoc scepticismum, uti cuique patet, in rem historicam induceret. Falso igitur Colenso hanc Pentateuchi narrationem tamquam falsam traducere ausus est.

Imo si haec argumenta deficerent, haud nobis desit 4
et aliud argumentum summopere ad hujus historiae veritatem constabiliendam accommodatum, ex agendi modo communiter a Moyse in hujusmodi historiis conscribendis usurpato depromptum. Moyses enim, uti scite animadvertit [21] Augustinus, plus vice simplici praecipuam atque principem alicujus facti caussam, non exclusis ceteris, qui forte etiam manus operi admoverint, commemorare solitus. Hinc nihil prohibet, quominus una cum 12,000 peditibus, qui hujus expeditionis praecipuum robur constituebant, et alios simul cum [22] Levitis, quibus vasa sancta, et tubae ad clangendum tradita, in apertum prodiisse dicamus. At quum ita res se habeat, ecquis parum ad veritatis normam hanc Moysis narrationem exactam traducere possit, qua 12,000 Hebraei omnes Madianitas profligasse, eorumque substantiam potitos esse perhibentur.

126. Nec minori falsitate laborat secunda, quam

---

(21) August. quaest. v. et cviii. in Genes.
(22) Numer. cap. xxxi. v. 6.

Adversarius in hanc historiam urget, nobisque obtrudit, exceptio. Ille enim ut suam sententiam sartam tectam haberet, statuit, prouti jam supra [23] innuimus, nullo pacto, quae a morte Aaronis, usque ad Moysis concionem in campestribus Moab, sex mensium spatio nempe, successive locum habuisse narrantur, re actuque contingere potuisse. At praepostere heic se habet Colenso: uti sequentibus ostendemus. Praepostere se habet 1. quia quum nusquam in Pentateucho vel tenuiter determinatum occurrat tempus, quo singula facta heic narrata absoluta fuerint, quumque in illo determinando prorsus gratuitis conjecturis Colenso innixus, impossibilitas, quam inde deprompsit, non veracitatem Pentateuchi, sed potius ejus cerebrosa hac de re commenta afficere, penitusque convellere deprehenditur. Praepostere se habet 2. quia perquam facile ostendemus, quae sex mensium spatio Colenso absoluta fuisse contendit, minori temporis spatio, trium scilicet mensium intercapedine, contingere potuisse. Et sane: Colenso, [24] delibata Aaronis morte, Hebraeorumque luctu per mensem protracto, quae de Rege Arad Numeris [25] consignata sunt, unius mensis spatio evenisse [26] docet: at ni dicere velimus Moysen in iis quae hujus regis cladem respiciunt, Prophetam egisse, quum tempore Josue, et non antea totalem hujus regis cladem evenisse [27] constet, de

(23) Conf. hoc cap. § 124.
(24) Colen. loc cit. § 173. n: 1.
(25) Numer. cap. xxi. v. 1-3.
(26) Colen. loc. cit. n. 2.
(27) Josue cap. xii, v. 14.

partiali, eaque parva pugna eum heic verba [28] serere dicamus, oportet. At hoc in casu, nemo mihi succensebit profecto, temeritatisque me insimulabit, si triginta dierum spatium a Colenso huic eventui adjectum, ad quinque dies tantum coarctare, atque cohibere mallem. Pariterque quindecim dierum spatio absoluta fuisse [29] contendit Adversarius, quae de Hebraeorum discessu a Monte Hor per viam quae ducit ad mare Rubrum, ut circumirent terram Edom, deque eorum murmuratione, itemque de serpentibus in eos immissis, tandem de aeneo serpente a Moyse excitato [30] narrantur. At quum hujus questus non alia fuit caussa, quam tortuosa itinera quae iterum [31] arripienda erant, valde probabiliter contendimus Hebraeos, statim ac sese itineri commiserant, hujusmodi querimonias in Deum, inque Moysen evomuisse, Deum vero, ne ulterius insolescerent, serpentes flatu adurentes in eos [32] immisisse, qui mortiferis morsibus eos impeterent. At ecquis credat, Hebraeos hisce in rerum adjunctis constitutos parum per tredecim, aut quatuordecim dies de divina ope sollicitos fuisse? Fac igitur eos post hanc plagam et alios duos dies, antequam ex hoc loco discederent, in aeneo serpente conflando insumpsisse, quindecim dies a Colenso excogitati ad tres tantum dies perquam commode reducerentur. Pariterque [33] Colenso

(28) Numer. cap. xxi. v. 3.
(29) Colen, loc, cit. n. 3.
(30) Numer cap. xxi. v. 4-9.
(31) Numer. loc. cit. v. 4.
(32) Numer. loc. cit. v. 6
(33) Colen. loc. cit. n. 4.

novem stationibus, quas [34] fecerunt Hebraei usque dum tetigerint fines Amorrhaeorum, unum mensem adtribuit. At inspecta locorum, in quibus castrametati sunt, distantia, viginti dierum spatio haec omnia contigisse valde probabiliter conjicere possumus. Pariterque duodecim dierum spatio absolvi perquam commode potuerant, quae [35] Colenso integro mense evenisse statuit, nempe [36] legatio ad Sehon regem Amorrhaeorum facta, ut illis per suam regionem abeundi veniam faceret, pugna inde secuta, et victoria inde ab Hebraeis parta: nam quum Rex Sehon magnum exercitum contra Hebraeos congregasset, hoc fuso penitusque deleto uno die et commissum et absolutum praelium fuisse optimo jure contendimus; ac proinde, pacifice Hebraei per aliquot dies captas civitates Amorrhaeorum occupare poterant. Nec est cur [37] quindecim dierum spatium necessarium fingamus ad ea conficienda, quae de exploratione Gazer, deque praeda ab ipsis exploratoribus facta [38] narrantur: de re enim parvi momenti agebatur, ac proinde duorum dierum spatium hisce omnibus conficiendis apprime accommodatum fuisse nemo est, qui ambigere possit. Tandem Colenso ad ea omnia, quae de rege Og narrantur, explicanda et alium integrum mensem [39] requirit: at quum Og rex Basan cum omni populo suo pugnatum cum Israel [40] ivisset, semel devicto,

(34) Numer. cap. xxi. v. 10-20.
(35) Colen. loc: cit. n. 5.
(36) Numer. xxi. v. 21-25.
(37) Colen. loc. cit. n, 6,
(38) Numer. cap. xxi. v. 32.
(39) Colen. loc. cit. n. 7.
(40) Numer. cap. xxi. v. 33-35.

ejusque universo populo deleto, perquam facile Hebraeis fuerat, universam illam regionem quam brevissime debellare, debellatamque potiri; ac proinde haud temere contendimus, vix et ne vix quidem quindecim dies in hisce omnibus conficiendis Hebraeos insumpsisse. Ubi igitur Colenso, ut suis praejudicatis opinionibus indulgeret, quae a morte Aaronis usque ad regis Og totale excidium contigisse noscimus, non minore, quam sex mensium spatio absoluta fuisse prorsus gratuite statuit; nos novas hypotheses suis hypothesibus objicientes, illasque juxta locorum, aliarumque circumstantiarum naturam qualitatemque exigentes, ac temporis tandem spatium, quod ille protendere ausus, optimo jure coarctantes omnia trium mensium spatio adaptari posse vidimus. At quum haec sint in caussa, illa exceptio, quam in Pentateuchum urget Colenso, quaque nobis persuadere enititur, quae a Morte Aaronis usque ad Moysis concionem in campestris Moab locum habuisse perhibentur, nullo modo peregrinatione durante ex defectu temporis absoluta fuisse, proprio veluti gravata pondere corruat necesse est.

127. At Colenso, ut patrocinium quale sit cunque suis erroribus praestaret, tamquam immane scelus et illud traducit, quo comperimus tum mulieres tum parvulos capitis damnatos, ipsasque virgines, quae in tam magna clade reservatae fuerunt, ad mancipiorum conditionem redactas fuisse: contendit enim nullo pacto, si haec pro veris habenda, tum Moysen, tum ipsum Deum, incredibile dictu! a ferinae immanitatis nota immunes evadere, vel Sacram Scripturam tamquam servitutem prohibentem traduci posse.

Verum haec potius delirantis insaniae, quam illius,

43

qui utpote divinitatis doctoratu insignitus superbe incedit, quique solo veritatis amore hoc in examine ductum fuisse ad nauseam usque proclamare non desinit, doctrinae sententiaeque nobis videntur. Ecquis enim mortalium adeo impius esse potest, ut dominium, quod sibi soli Deus arrogavit, inquiens: "[41] Ego occidam, et ego vivere faciam: percutiam, et ego sanabo, et non est, qui de manu mea possit eruere:" ausu temerario, imo nefando illi denegare audeat vel praesumat, ac proinde rationem cur hoc vel alio modo sese gesserit, ab illo expetere? Deus autem, ut ad saniora peccatores saltem ejus terribilia judicia pertimescentes revocaret, hujus facti rationem haud nobis opertam voluit: ideo enim mulieres, quas tamen alibi a communi clade salvas [42] voluit, in hac facti specie interfici praecepit, quia ipsae praecipua ac princeps Hebraeorum praevaricationis caussa fuerunt: ita enim Scriptura Moysen exhibet principes exercitus objurgantem: "[43] Cur foeminas reservastis? Nonne istae sunt, quae deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, et praevaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phogor, unde, et percussus est populus? Ergo . . . mulieres, quae noverunt viros in coitu, jugulate." Jam vero prouti summa justitia, optimoque jure potuit Deus tempore Noe totum mundum terribili diluvii flagello [44] purgare, vel igne divinitus immisso urbes alias florentissimas una cum scelestissimis incolis in cinerem [45] redigere, sic divina Justitia

(41) Deut. cap. xxxii. v. 39.
(42) Deut. cap. xx. v. 14.
(43) Numer. cap. xxxi, v. 15-17.
(44) Genes. cap. vii. v, 10-24.
(45) Genes. cap. xix v. 24-25.

factum est, ut mulieres Madian Hebraeorum gladio occumberent, poenamque pravis eorum consiliis promeritam luerent. Itemque divino consilio factum est, ut etiam parvuli necarentur: nam si a Madianitis, qui communem, cladem arrepta fuga declinare poterant, semper magna molestia [46] Hebraei affecti erant, majus periculum illis proveniret si sanos et sospites eorum parvulos abire sivissent. Tandem Colenso minime advertit in bello justo prouti fas licitumque est hostem occidere, potiori jure permissum, condonata vita, hanc poenam in humaniorem, in servitutem nempe, commutare: imo minime persensit, longe diversam penes Hebraeos prae ceteris gentibus fuisse servitutem, ubi hoc nomine illam cohonestare velimus. Et sane: nonne Moyses praeceperat ut quam humanissime servi tractarentur inquiens " [47] Si percusserit quispiam oculum servi sui, aut ancillae, et luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit?" Nonne etiam Moyses, una cum praecepto diligendi Deum et aliud, quo proximum diligeremus, protulit, et ipso Christo testante: " [48] In his enim duobus mandatis universa lex pendet et prophetae?" Nulla igitur ex his, quas urget Adversarius, difficultatibus talis est ut vel tenuiter genuinitatem auctoritatemque Pentateuchi afficere possit.

128. Hinc factum est ut omnes scriptores sive Hebraei, sive Christiani semper veracitatem hujus Pentateuchi historiae agnoverint, illamque omnibus credendam proposuerint. Et sane Josephus Flavius delibata He-

---

(46) Judic cap. vi. v. 12.
(47) Exod. cap. xxi. v. 26.
(48) Math. cap. xxii. v. 40.

braeorum praevaricatione haec ad rem nostram habet: "[49] Moyses autem, ob causas, quas ante memoravi, in terram Madianitarum misit exercitum, ad duodecim millia hominum, pari ex unaquaque tribu numero delecto: ducemque ipsis praefecit Phineesen . . . Madianitae vero praesentientes contra se movere exercitum, et non longe abesse, copias suas colligunt, regionisque aditibus, ubi hostes irrepturos esse putabant, munitis, eos expectabant. Cum autem venissent, et conserta esset pugna, tanta Madianitarum cecidit multitudo quantam nec conjiciendo nec numerando consequi possumus . . . Fusis fugatisque hostibus, regionem eorum diripuere Hebraei: multumque praedae capientes, et incolas viros cum mulieribus interficientes, solis virginibus pepercerunt: quod hoc a Moyse in mandatis acceperit Phineeses." Itemque ex multis, qui hac in re proferri possent, Patribus, sat erit in re tam aperta nonnullos in medium inque lucem edere. Sic Augustinus expendens illa verba: "Et virtutem eorum depraedati sunt:" subdit, inquiens: "[50] Cum jam dixisset mulieres, supellectilem, et pecora, et omnia, quae possidebant; quid deinde addit, et virtutem eorum depraedati sunt? Nimirum enim haec intelligenda est virtus, de qua et supra dictum est, misisse millenos de singulis tribubus cum virtute eorum. An forte cibus quo sustentabantur, virtus eorum appellata est, quo subministrato vires suppetunt, et quo subtracto vires deficiunt? Unde per Prophetam Deus cum minaretur ait, auferam virtutem panis, et virtutem

(49) Joseph. Flav. lib. vi. de Antiq. c. 7.

(50) Augus. quaest. lxi in Numer.

aquae. Et Moyses ergo cum annona miserat illos millenos, quod dictum est, cum virtute eorum: et isti Madianitis victis etiam hoc eorum inter cetera fuerant depraedati." Et alibi ad illa verba: "Non intrabit Ammanites et Moabites in Ecclesiam Domini:" habet: "[51] An Ammanitas prohibuit admitti, non Ammanitidas, id est, viros inde non feminas? Maxime quia cum evertissent Israelitae ipsam gentem, omnes viros occidere jussi sunt, feminas autem non, nisi eas, quae noverant concubitum viri, quoniam ipsae in fornicationem seduxerant populum: virgines autem salvas esse voluerunt, non eis imputantes culpam, qua everti illa gens meruit.'' Tandem Ambrosius justitiam etiam in bello cum ipsis hostibus servandam esse ex hoc loco probat, dum dicit: "[52] Siquidem vehementioribus hostibus et infidis, et his, qui amplius laeserint, vehementior refertur ultio, ut de Madianitis, qui per mulieres suas plerosque peccare fecerant ex plebe Judaeorum, unde et Dei in populum patrum iracundia effusa est. Et ideo factum est ut nullum Moyses victor superesse pateretur." Quibus ex testimoniis clare patet nonnisi impie hanc Pentateuchi historiam in discrimen vocari posse.

---

(51) August. quaes. xxxv. in Deuter.
(52) Ambros. de offic. minis. lib. i. cap. 29.

CAPUT XX.

Diluvium Noeticum asseritur:—Difficultates, quas contra hujus historiae veritatem urget Colenso, expenduntur:—earum vanitas, atque futilitas retegitur:—genuinitas tandem atque authentia Pentateuchi quoad hanc facti speciem variis rationum momentis constabilitur.

129. Tam constans, tamque universalis omnium populorum videtur mens ac sententia, universum mundum scilicet aquis inundatum periisse, ut vix et ne vix quidem ullum factum antiquum, quod majori populorum suffragio nitatur, comprobeturque, inveniri posse firmissime credam. "Hujus enim diluvii, uti testatur [1] Flavius Josephus, et arcae, meminerunt omnes barbaricae historiae scriptores, et in his Berosus Chaldaeus . . . Hieronymus Aegyptius . . . et Manaseas Damascenus." Fides de diluvio universali pariter fuit apud antiquos Aegyptios: cum enim Solon aliquos philosophos Aegyptios de antiquitatibus Aegyptiacis interrogasset, hi ei hanc responsionem dedere: "[2] Post aliquot temporis periodos diluvium, coelitus immissum, terrae faciem mutat. Genus humanum saepius variis modis periit. En cur novum genus humanum careat monumentis, temporisque praeterlapsi notitia." Haec eadem fides penes Sinenses obtinuit, nam eorum [3] historia celebris cujusdam diluvii sub imperatore Yao mentionem facit. Pariterque hac fide tenebantur Indi: nam in eorum libris [4] sacris re-

(1) Joseph. Flav. lib. i. Antiq. cap. v.
(2) Conf. Plat. in Tim.
(3) Chouking p. 8-9.
(4) Ezour-Ved: t. 2. p. 206.

fertur genus humanum diluvio periisse. Hac etiam Romani, Graeci, Armeni, Persae, hac tandem omnes populi, nec ipsis Americanis exceptis, uti summa eruditione ostendit [5] Sharon Turner, tenebantur fide. Jam vero quomodo isti populi antiqui in diluvium consenserunt? Profecto non ob studium naturae, et detectiones conchyliorum maritimorum in sinu terrae ac in montibus delitescentium; cum studium hujusmodi, laudataeque detectiones tam antiquae non sint, et nullus antiquorum scriptorum hanc rationem ad diluvium stabiliendum allegaverit. Oritur igitur iste populorum consensus ex ipsa de diluvio traditione, eo magis quod in historiis antiquorum populorum post epocham diluvio adsignatam nihil occurrit de aliquo diluvio memorabili. At paradoxum philosophicum, et quidem gravissimum est vel leviter de hujus testificationis veritate dubitare, quum prorsus impossibile philosophice sit, posse omnes in errorem conspirare. Ubi igitur nulla alia argumenta ex scientiis praesertim naturalibus nobis praesto esse possent ad diluvium Noeticum constabiliendum; hoc tantum in medium inque lucem prolato, nae caussa nostra in tuto erit.

130. At mirabile dictu! Haec Pentateuchi historia tanto testimoniorum pondere suffulta prima caussa fuit, prouti in hujus nostrae elucubrationis vestibulo atque aditu [6] innuimus, ob quam Colenso hanc in sententiam devenit, ut libros Moseos, tamquam absurditatibus refertos, inter fabellas amandandos decerneret. Imo quod summopere mirandum id ab unius Zulu perspicacia,

(5) Shar. Turn. let. xvi-xviii.
(6) Conf. Praef. hujus oper.

ut illam vocat Colenso, repetendum: nam si juvenis ille, quem in sacra scriptura vertenda sibi adscivit, non adeo audax fuisset, ut illum interrogaret, [7] an crederet omnia animantia ex variis sibique diversis terrae plagis vere cum Noe arcam petiisse, vel Noe quae horum omnium ad victum necessaria erant, praeparasse, forsan Adversario nostro ne ullum quidem dubium circa genuinitatem atque authentiam Pentateuchi obvenisset. At hoc audito, sedulam in sacrae scripturae veracitate indaganda collocavit operam, atque inter cetera, quae superioribus disputationibus refutavimus, [8] invenit geologiam, aliasque scientias naturales tum universali, tum partiali diluvio adversari. Verum ut omnium intelligentiae hac in disputatione sese accommodaret, summis, ut ajunt, labiis delibatis quae ex geologia aliisque scientiis depromi possent, difficultatibus, faciliori quidem via veracitatem hujus historiae in discrimen inque falsi suspicionem vocare ausus est, [9] inquiens:

(7) Colen. prim. part. praef. pag. vii.

(8) Colen. loc. cit.

(9) Colen. secun. part. praef. pag. xix: "Without any appeal to science at all, if only (a person) allows himself to think upon the subject, and to realise to his own mind the necessary conditions of the supposed event, he will need only a common practical judgment to convince him that the story told in the book of the Genesis is utterly incredible, which involves the necessity of Noah taking in a supply of animals, or of animal food, for the special use of the carnivorous beasts and birds, and of Noah and his family taking round two or three times a day food and water to such a multitude of animals, supplying them daily with fresh litter (how stored and kept?) and removing the old, with other considerations of the same kind, as, e. g., that the supply of light and air for the

ubi sedulo quisque hanc historiam cum omnibus suis adjunctis rimandam susciperet, perquam facile, et ipsa experientia duce, perspiciet hanc diluvii historiam esse prorsus incredibilem, quum Noe in comparandis commeatibus, qui singulis animalium speciebus in integrum annum sufficerent, occupatum traducat, quum insuper Noe cum suis ter saltem quotidie per arcae cellulas permeantem, ut cibum, atque aquam tot tantisque animantibus suppeditaret, et quae inutilia evaserant, removeret, exhibeat: quumque tandem ex una tantum perquam parva fenestra singulis arcae cellulis lucem atque aerem immissam narret: legitur enim: "Fenestram in arca facies, et in cubito consummabis summitatem ejus:" quae tamen fenestra, uti ex ipsa scriptura eruitur, toto diluvii tempore semper clausa fuisse videtur: quo in casu, deficientibus tunc temporis vitris aliisque materiis id genus, hujus arcae incolas tum luce tum aere privatos fuisse dicamus, oportet. Quae quidem adhuc uberius urget, nobisque obtrudit in [10] quarta suae elucubrationis parte.

131. Haec sunt, quae contra omnium populorum de diluvio Noetico consensione in lucem inque medium protulit Adversarius; at in his omnibus congerendis non modo in biblicis disciplinis, verum etiam, quod capita-

---

whole community in the lower, second, and third stories, (Gen. vi. 16.) was to be furnished by one very small window,—" and a window shall thow make to the ark, in a cubit shall thow finish it above,"—which window, however, seems never to have been opened during the fall of rain (Gen. viii. 6),...in which case as they had no glass in those days, the inmates of the ark could have had neither light nor air:"

(10) Colen. part. quart. cap. xvii-xx. § 270-320.

lius, in geologicis ac physicis scientiis, quas callere se jactat, sese peregrinum prodit. Ipse enim absolute [11] statuit quod non modo geologia nullum alicujus universalis diluvii vestigium prodit, verum positive illud negare, illique contraire deprehenditur. At scientiae naturales, et praesertim geologia plura nobis suppeditant argumenta, quibus veritas non modo partialis, verum etiam universalis diluvii suadetur, invicteque constabilitur. Et sane: ut ea, quae ex ingentium silicum in eminentioribus terrae locis depositis, ex fossilibus, aliisque id genus, Eminentissimus S. R. E. C. Nicolaus Wiseman ad hanc veritatem constabiliendam in medium, inque lucem [12] protulit argumenta, tacitus praeteream, et illud phaenomenon effero, quod nomine vallium denudationis a recentioribus geologis cohonestatur. Ubique enim cernuntur valles angustae, utrimque circumdatae montibus ac rupibus perpendicularibus, qui angulos prominentes et intro recedentes efficiunt, atque istis vallibus formam

---

(11) Colen. loc. cit. § 302: " Geological facts are decisive against the possibility of an universal Deluge having ever taken place within recent ages of the world's history—that is, within a period long antecedent to the time of the Creation as narrated in the book of Genesis. Not only are there no indications of such an event, though if the " fountains of the great deep were broken up, 'and the windows of heaven opened, " and the waters covered the Earth for a whole year, we must expect to find numerous and distinct traces of such a stupendous occurrence in former days, but the researches of Geology absolutely deny and disprove the fact of such an event having ever taken place. "

(12) Conf. Card. Wise. twelve lectures on the con. between Scien. and reveal. relig. lect. the sixth par. ii.

cursus fluvii praebent. Aquae igitur toti globo incubuere, talesque effectus ubique produxere, qui non nisi diluvio universali explicari possunt. At Colenso auctoritati Caroli Lyell, et Kalisch innixus et illud contra veritatem, quam defendimus, regerit quod [13] multa materia a temporibus diluvii Noetici anterioribus a vulcanis, qui per Aveiniarum tractum occurrunt, ejaculata adhuc a quavis aquarum irruptione libera perstat: quod cum universali diluvio nullo modo conciliari potest. At mirabile dictu! Colenso, qui summa facilitate auctoritatem consensus omnium populorum repudiat, nihil falsi in horum testificatione invenit: mihi vero longe diversa conclusio ex hoc facto videtur elicienda; nam quum alibi indubia hujus diluvii occurrant vestigia, id unum necessario sequitur, materiam illam, quae ab hujusmodi vulcanis ejecta fuit, non ante diluvium, sed postea, imo valde recentiori aetate, fuisse ejaculatam. Imo si haec hypothesis parum ad veritatis normam exacta Colenso videtur, alio modo, partialem scilicet diluvium asserentes, suis difficultatibus occurrere possumus. Nam, uti scite [14] animadvertit Johannes Baptista Pianciani, admisso universali diluvio quoad homines, non sequitur hanc ipsam universalitatem ad omnem terram omniaque animantia esse extendendam: vox enim "omnis," quae pluries hac in facti specie occurrit, nullo pacto stricte accipi potest, dum legitur: "[15] omnis caro corruperat

(13) Col. prim. part. praef, pag. viii. et part. quart, cap, xix, § 303-305.

(14) Joh. Pianc. cosmog. natur. in append. pag. 540-558.

(15) Genes. cap. vi. v. 12.

viam suam," et hoc praesertim, quum haec in textu originali habeantur: "[16] statuam pactum meum. . . ab omnibus bestiis egredientibus ex arca ad omnem bestiam terrae." Neque dicas hujusmodi sententiae aquarum aequilibrium adversari: nam omnibus compertum in validis procellis hanc gravitatis legem superari. Quidquid vero sit de hac quaestione mihi sat est innuisse praestantissimos viros minime Moseos mentem quoad diluvii universalitatem assecutos esse; ac proinde impium esse ejus scripta inter fabellas amandare.

At Colenso haud hisce contentus ad difficultates, quae in ipsa narratione occurrere illi visae, animum convertit. At harum nonnullae in postrema quoad diluvii universalitatem sententia solutae evadunt: imo si adhuc nonnullis angitur dubiis Colenso potius eum ad ea evolvenda, quae a Kirchero, Arbutnot, Dresselio, Fournier, et praesertim a [17] Le Pelletier scite in lucem edita, remittimus, quam in hisce convellendis tempus, operamque frustra insumamus; ac proinde illam difficultatem tantum rimandam suscipimus ex carentia tum lucis, tum aeris, quae summopere animantibus arca inclusis necessaria erant, depromptam. Vel ideo enim Colenso veracitatem hujus historiae Pentateuchi se inficiari posse ratus, quod, quum unam fenestram in arca fuisse, illamque diu clausam mansisse constet, nullo modo credibile statuit, potuisse, qui arca inclusi, diu sine luce ac sine aeris renovatione vitam heic agere. At turpiter hac in re asserenda erravit Colenso: uti sequentibus ostendemus.

(16) Genes. cap. IX. v. 8-10.

(17) Le Pellet. disert. in Arc. Noe cap. XXV.

132. Et sane: quod proposuimus conficimus atque evincimus 1°. argumento philologico. Nam verba Scripturae quae in nostra vulgata occurrunt: "[18] Fenestram in arca facies, et in cubito consummabis summitatem ejus:" sic jacent in textu originali: צהר תעשׂ לתבה At vox צהר proprie lumen [19] significat, ac proinde nonnisi improprie seu metonimice ad fenestras designandas usurpari potest. Quod quidem adhuc ulterius probari potest, ex eo scilicet, quod ubi Moyses fenestram proprie designare voluit, loco hujus vocis צהר aliam, חלון nempe, [20] usurpavit. Hinc germanus hujus scripturae sensus erit "lumen in arca facies." At quum haec sint in caussa, ecquis cum Colenso contendat, unam tantum, et non potius fenestrarum seriem, ubi opus esset, arcam Noe praesetulisse? Perperam igitur Colenso ex hoc loco veracitatem hujus historiae adortum esse dicamus oportet.

Idipsum conficimus atque evincimus 2, ex auctoritate versionum antiquissimarum. Sic enim Syrus Interpres illum Scripturae locum, quem urget, nobisque obtrudit Colenso, vertit apud [21] Waltonium "Speculas fac arcae et cubito perstringe eam superne, et ostium arcae in ejus latere facito." Quam rem adhuc clarius, disertiusque explicat Arabs Interpres, inquiens: "[22] Et fac illi lumina, et ad cubitum perficies illa a summitate: et fac illi ostium a latere ipsius." Falso igitur inni-

(18) Genes. cap. vi. v. 16.
(19) Conf. Winer lex. man.
(20) Genes. cap. viii. v. 6.
(21) Walton. Poliglot.
(22) Walt. loc. cit.

xus est supposito Colenso quando novam ex hoc loco exceptionem in Pentateuchum depromere se posse ratus; ac proinde ejus difficultas veluti proprio gravata pondere corruat necesse est.

Id ipsum conficimus atque evincimus, 3 ex auctoritate hujus loci commentatorum tum Hebraeorum, tum etiam Christianorum. Ex Hebraeis enim, uti refert [23] Cartwrightus, Aben-Ezra hunc locum ita interpretatus est: "Locum fac, quo lumen ingrediatur." Ex Christianis etiam [24] plures laudare possum, sed brevitatis caussa unum tantum urgeo De Schrank, qui haec ad rem nostram habet: "[25] Fenestram hanc tam ad immittendam lucem, quam ad aerem renovandum usum habuisse puto, quod utrumque, quantum satis est, praestitum fuisse hoc modo, ut illam in suprema contignatione, proxime sub tecto . . . existimem factam, ejus quidem altitudinis, quam refert Moyses, sed ea longitudine transversa, quae fere totius arcae latitudinem aequaret, atque per omnes cameras repetitam, ad avium tamen cellas cratibus angustioribus laxioribusve interclusam, ut fuga prohibeatur, denique in opposito arcae latere ita repetitam, ut ad aerem atmosphaericum pateret." Igitur difficultas nobis a Colenso impacta talis non est, ut nullo modo juxta leges naturales, sed tantum per miraculum explicari possit.

Imo tandem 4, si nullo modo hujus difficultatis solutio nobis pateret, non ideo cum Colenso veracitatem

---

(23) Conf. Annot. criticor. alib. cit.
(24) Conf. Poli synop. critic.
(25) In comment. liter. in Genes.

hujus Pentateuchi historiae in discrimen, inque falsi suspicionem vocaremus: nam praeter omnium populorum fidem, quam perpetuam atque universalem esse ostendimus, et ipse Christus disertis atque explicitis verbis hujus Pentateuchi historiae veritatem tuitus est, illamque divina quadam testificatione signavit, inquiens: " [26] Sicut in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, et bibentes, nubentes, et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam: et non cognoverunt, donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit et adventus Filii hominis." Jam vero, quum et diluvium Noeticum, et secundus Christi adventus tamquam aeque vera, aeque certa heic proponantur, prouti certitudine fidei hunc una cum judicio universali credimus, sic eodem animi assensu, eademque firmissima persuasione et illud suscipiamus oportet. Ni igitur in iis, quae ad fidem spectant, naufragium facere, imo quod capitalius erroris aut ignorantiae nota Dei Sapientiam inurere velimus, ea omnia, quae in hanc Pentateuchi historiam urget, nobisque obtrudit Adversarius, tamquam blasphema traducamus necesse est.

133 Haec sunt argumenta, quibus fidenter Colenso genuinitatem Pentateuchi labefactare se posse ratus, quaeque sedulo callideque hoc in libro nobis examinare proposuimus: hinc tempus est ut ad ejus conclusiones rimandas deveniamus. Antequam vero manus e tabula, optimum factum duco ea omnia, quae sparsim in singulis disputationibus in medium inque lucem protulimus, in

(26) Math. cap xxiv. v. 37-39,

unum colligere ac generalem argumentum pro re nostra conficere. Omnia enim quae hucusque protulimus in eo videntur conspirare, eoque tendere, ut nullius ponderis, nulliusque auctoritatis traducant, quae fidenter parum ad veritatis normam exacta in Pentateucho esse se ostendere posse sibi gloriatur Adversarius: clare enim perspeximus Colenso in hisce congerendis vel textum primigenium minime consultasse, ac proinde versione deceptum fuisse, plura gratuite assumpsisse, in calculis, supputationibusque conficiendis actum egisse, et tandem quandoque et sensus communis inopia laborasse, praepostereque in hisce omnibus deductionibus sese habuisse.

At si in argumentis, quae peremptoria ducebat Adversarius, tantopere deceptus est, ecquis vel tenuiter de genuinitate atque authentia Pentateuchi dubitare, vel conjecturis, quibus suas conclusiones enititur Adversarius constabilire assentiri potest, quum et ipse profiteatur se in hisce congerendis conjiciendo suspicandoque se habere, imo aliorum opera atque auxilio indiguisse?

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Adversarii hypotheses, quas circa auctores Pentateuchi, circaque tempus, quo litteris consignatus fuit, in medium protulit, expenduntur:—Genuinitas tamen Pentateuchi quoad utramque partem constabilitur:—duplici argumentorum classe distincta, haec primo argumentis internis, ut vocant, comprobatur:—tandem ea, quae in contrarium ab Adversario proferuntur expenduntur, penitusque convelluntur.

134. Licet ex eis, quae de Adversarii principiis, deque ejus argumentis in primo atque secundo hujus nostrae elucubrationis libro disseruimus, luce clarius sit, genuinitatem atque authentiam Pentateuchi quavis exceptione majorem esse, totumque armorum apparatum, quibus Colenso Pentateuchum adoriri, deque suo antiquitatis jure penitus labefactare se posse ratus, proprio veluti gravatum pondere penitus concidere; tamen ne Pentateuchi jura negative tantum, ut ajunt, quasi argumenta positiva deficerent, asseruisse videamur, Adversarii conclusiones magno eruditionis apparatu propositas nobisque objectas tertio loco rimandas, callideque evolvendas ducimus. Et re quidem vera: Colenso compendio, quae in prima sui operis parte protulit argumenta,

etiam in secunda parte referens, illaque confirmans, [1] statuit nullo modo, quae in Pentateucho narrantur, a Moyse, vel ab alio auctore divinitus afflato conscribi potuisse. Hoc praejacto, summa animi arrogantia ad auctorem, tempusque determinandum accedit, quo quinque Pentateuchi libros conscriptos fuisse sibi effinxit. Hinc in medium inque lucem editis [2] nonnullis, quae sibi mutuo excludere illi visa, Pentateuchi locis, inspecto etiam diverso vocum אלהים et יהוה quae in Dei nomine designando usurpata [3] occurrunt, usu, nec non plerisque sententiis, quae recentiorem aetatem prodere videntur, aliisque [4] id genus [5] statuit, tum ex his, quae protulit, tum ex his, quae adhuc uberius proferenda sunt, se evincere posse, plures auctores, qui elohistici atque Jehovistici commode vocari possent, Pentateucho conscribendo suas admovisse manus. Praeterea quo jure verum auctorem Pentateuchi adortus, hoc ipso aetatem, qua scriptus perhibetur, aggredi ausus est. Postquam enim ab Ecclesiae Patribus, quos prorsus hebraici sermonis, et regularum critices, duobus tantum exceptis Hieronymo, atque Origene, ignaros traduxit, nomen Moseos recentioribus Pentateuchi codicibus atque versionibus im-

(1) Colen. sec. par. cap, i. § 199.

(2) Col. loc. cit. cap. cit. § 205.

(3) Col, loc. cit. cap. cit. § 206.

(4) Col. loc. cit. cap. ii-v-vi.

(5) Col. loc. cit. cap. ii. § 210: " It will be seen hereafter when we proceed to examine critically the whole book of Genesis, that throughout the book the two different hands, which we have already detected, are distinctly visible; and the recognition of this fact will explain at once a number of strange and otherwise unaccountable contradictions."

pressum fuisse [6] blateravit, itemque postquam illam Pentateuchi, quae penes nos obtinet, in quinque libros distributionem Esdrae temporibus peractam fuisse [7] docuit, in medium inque lucem [8] prolatis nonnullis Pentateuchi locis, quae recentiorem aetatem prima facie prodere videntur, [9] concludit, majorem Pentateuchi portionem longe post Moseos et Josue aetatem litteris consignatam fuisse. Idque vel ideo se urgere posse ratus, [10] quia prorsus incredibile

(6) Col. sec. par. cap. iii. § 225.

(7) Col. loc. cit. § 226-230.

(8) Col. loc. cit. cap. v-vi. § 238-281,

(9) Colen. loc. cit. cap. v. § 253: "Thus it is obvious that large portions of the Pentateuch, including the account of the Exodus itself...must have been composed long after the times of Moses and Joshua."

(10) Colen. loc. cit: § 253-254. "Further, it cannot be supposed that any later writers would have presumed to mix up, without distinction, large and important sections of history of their own composition, with writings so venerable and sacred, as any must have been, which had been handed down from the time of Moses, and were really believed to have been written by his hand, and, chiefly, from the very mouth of Jehovah Himself. It is inconceivable that any pious Israelite, much less a Prophet or Priest, would have dared to commit an act of such profanity...without distinguishing in some way the Divine words, as written down by Moses, from his own. There is not, however, a single instance of any such distinction being drawn throught the books of Exodus, Levitious, and Numbers...We are compelled, therefore, it would seem, to the conclusion, that the later writer or writers did not believe in the unspeakably sacred character of any older documents: —that they did not receive them, as really written by the hand of Moses, and conveying, on his own authority, the astonishing facts of his awful communion with God." ...

illi videtur, posteriores scriptores sive Prophetae sive Sacerdotes ipsi fuerint, libris ab ipso Moyse, prouti a Deo edoctus, conscriptis absque ulla distinctione notabiles maximique momenti historiae partes adjicere, propriasque notitias verbo divino inserere audere potuisse: quum hoc in casu Moseos verba procul dubio a cujusvis profani scriptoris notitiis distincta fuisse deberent. At quum ne ullum quidem hujus distinctionis vestigium in Pentateucho occurrat, ubi hanc corruptionem tueri velimus, necessario sequeretur, posteriores scriptores haud Pentateuchum tamquam genuinum Moysis opus suscepisse, nullamque iis, quae de Moysis cum Deo familiari colloquio heic narrantur, fidem habuisse.

135. Nec tamen hisce contentus fuit Adversarius noster, sed adhuc omnibus, quae illi insunt, viribus enititur certum atque verum Pentateuchi auctorem, nec non determinatum, quo ipse floruit, tempus indicare. Et sane: praejacta superiori conclusione ita prosequitur: [11] nemo in tota historia occurrit, ante Samuelis aetatem,

---

(11) Col. sec. par. cap. vii. § 283: " But if so, there is no one mentioned in the whole history, before the time of Samuel, who could be supposed to have written any part of it. We have no sign of any other great Prophet in that age, except Deborah, nor of any School of the Prophets' existing before his time. That Samuel did occupy himself with historical labours we are told expressly in 1 Chr. xxix. 29. Now the acts of David the King, first and last, behold they are written in the Book of Samuel the Seer, and in the Book of Nathan the Prophet, and in the Book of Gad the Seer. This, it is true, is from the pen of the Chronicler, and, from the experience which we have already had of the inaccuracy of his data, we cannot rely upon his statements, when unsupported by other evidence."

qui aliqua cum probabilitate considerari possit auctor Pentateuchi: nam per illud tempus, Debora excepto, ne ullus quidem Propheta, neque ulla Prophetarum Schola occurrit. Compertum tamen est, Samuelem in historiis conscribendis sedulam collocasse operam; legitur enim in libris Paralipomenon, licet non magna auctoritate praeditis: "Gesta autem Davidis regis priora, et novissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, et in libro Nathan prophetae, atque in volumine Gad videntis." Quod quidem adhuc ulterius [12] comprobatur ex eo, quod in ipsius Samuelis libris legitur: "Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, et scripsit in libro, et reposuit coram Domino:" Ac valde probabile est, Samuelem, rege renuntiato Saul, ejusque fidei republica commissa, per reliquum suae vitae tempus, praesertim per viginti annorum spatium, quando in otio vitam agebat, ac scholas Prophetarum regebat, hisce historiis conscribendis totam devovisse vitam ad uheriorem populi disciplinam, majoremque morum ad recte facta informationem procurandam.

---

(12) Colen. loc. cit. § 285: "This may also seem to be confirmed by that other fact recorded about him in 1 S. x. 25. viz. that, on the election of Saul to the royal dignity. Samuel told the people the manner of the kingdom, and wrote it in a Book, and laid it up before Jehovah. And it is very conceivable that, when he gave up to Saul the reins of government, and, daring the last twenty years, when he came no more to see Saul, but lived retired from public life, presiding over the school of the Prephets at Ramah... he may have devoted himself to such labours as these, for the instruction and advancement of his people."

In hisce vero negotiis conficiendis, [13] prosequitur ille, nil vetat quominus conjiciamus Samuelem et alios sibi adscivisse adjutores, filios nempe Prophetarum, qui certe praeter munus prophetias edendi, et alias exercitationes habuerunt, prouti ex auctore Paralipomenon comperimus: "David et magistratus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph, et Heman, et Idithun: qui prophetarent in citharis, et psalteriis, et cymbalis, secundum numerum suum, dedicato sibi officio servientes: et 1 S. x. 5:" Cum ingressus fueris ibi urbem, obviam habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, et ante eos psalterium, et tympanum, et tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes."

136. Hisce praejactis, postquam plura alia de nominum [14] יהוה et אלהים notitia penes Hebraeos, deque eorum [15] usu in libris Pentateucho posterioribus, et praesertim in Psalmis, nec non de [16] nomine מוריה aliisque id genus [17] notitiis in medium inque lucem protulit, tan-

---

(13) Colen. loc. cit. § 286: "In such a work as this, Samuel may have been aided by the sons of the Prophets', who clearly must have had some sort of occupation, besides that of merely prophesying i. e. probably, chanting psalms, (see 1 Chr. xxv. 1, where we read of the sons of Asaph and of Heman and of Jeduthun, who should prophesy with harps, with psalteries, and with cymbals,) and joining in religious processions, as in 1 S. x. 5."

(14) Colen. loc. cit. cap. vii. § 294-310.

(15) Col. loc. cit. cap. xi-xii-xiii-xiv-xv-xvi-xvii-xviii-xix-xx.

(16) Col. loc. cit, cap. ix. § 311-316.

(17) Col. loc. cit. cap. x. § 317-326.

dem aliquando [18] concludit, totam historiam, quae merito Elohistica audit, quaeque fundamentum est ceterarum historiarum, licet per se nonnisi parvam Pentateuchi et libri Josue portionem constituere videatur, Samueli esse adscribendam: imo nec ipsi tantum; [19] nam plura additamenta huic primitivo Samuelis operi facta videntur ab ipsius discipulis, Nathan et Gad, vel aliis tum Prophetis, tum Sacerdotibus coaevae vul supparis aetatis, quibus conflantur praecipuae Johovisticae portiones, quae in libris Geneseos, Exodi, Levitici, atque Numerorum occurrunt: Deuteronomium enim longe recentiori aetate litteris consignatum sequentibus suadetur. Et sane: ex [20] diversitate styli, ex phrasium majori [21] delectu, qui prorsus in ceteris Pentateuchi libris desideratur, tandem ex magna

(18) Col. loc. cit. cap. xxii. § 485: "To Samuel we ascribe the Elohistic story, which forms the ground work of the whole, though comprising, as we shall show hereafter, but a small portion of the present Pentateuch and book of Joshua, in fact, little besides about half of the book of Genesis and a small part of Exodus."

(19) Col. loc. cit. § 488: "It would seem that large additions were made to this unfinished historical sketch of Samuel by his disciples, Nathan and Gad, or by some other prophetical or priestly writers of that and the following age; and these included the principal Jehovistic portions of Genesis, as well as the greater part of the present books of Exodus, Leviticus and Numbers...The book of Deuteronomy we have partly shown already, and shall show more fully, as has been said, in Part iii. to have been written in a still later age."

(20) Col. tertia par. cap. i. § 538-539.

(21) Col. loc. cit. § 542-555.

" analogia, quae hanc Scripturam inter et libros Hieremiae et reliquorum Veteris Testamenti scriptorum intercedit, aliisque rerum [22] adjunctis statuere [23] enititur longe post Moysen, imo verius Josiae temporibus a Jeremia valde probabiliter fuisse hanc postremam Pentateuchi partem conscriptam. Hinc omnibus, quae illi insunt, viribus in quarta ejus elucubrationis parte praeter inutiles multorum argumentorum alibi prolatorum repetitiones praecipua Geneseos loca singulis, quos ipse finxit auctoribus adtribuere [24] enisus est.

Haec sunt quae magno eruditionis apparatu contra constantem atque universalem in genuinitatem, atque authentiam Pentateuchi omnium sive Hebraeorum, sive Christianorum, ne dicam, etiam paganorum fidem urget, nobisque obtrudit Adversarius. Mihi vero in animo est evincere actum in hisce omnibus illum egisse, tempusque frustra insumpsisse. Quod, ut omnia ordinate conficiamus nil ducimus antiquius esse oportere quam germanam genuinitatis notionem indicare, argumentaque, quibus ipsa constabilitur, ad quasdam classes revocare.

137. Et sane: genuinitas generatim accepta proprie significat nativitatem, generationemque ex legitimis parentibus; metaphorice vero inspecta et translatione facta ad libros haec duo [25] importat: primo librum ei convenire, cujus nomen inscriptum in fronte gerit: secundo ea aetate conscriptum fuisse, qua primum editus

(22) Colen. loc. cit. cap. ii. § 556-560.
(23) Colen. loc. cit. cap. iv. et seq.
(24) Colen. quar. part. cap. i. § 1.
25 Colen. quar. part, cap. iii,-v,
(25) Jans. cap. iii. § 74. herm: sacr.

dicitur. Hinc liber ille, qui hac duplici praerogativa gaudet absolute genuinus, qui vero una tantum pollet, quadantenus genuinus erit: qui vero neutram praeseferre deprehenditur, tamquam spurius optimo jure traducitur. Ad genuinitatem insuper alicujus libri constabiliendam duplicis generis argumenta praesto nobis esse possunt, alia scilicet interna, aliaque externa. Argumentum internum illud est vocaturque, quod ex characteribus intime rem ipsam afficientibus, seu quod ex ipsius rei natura desumitur, atque eruitur; externum vero, quod ab aliis rerum adjunctis extrinsece rem ipsam afficientibus depromitur: cujusmodi sunt constans atque universalis traditio, monumenta historica, aliaque id genus.

Hisce praejactis, genuinitatem Pentateuchi prima argumentorum classe heic vindicandam suscipimus: plures enim charecteres in ipso Pentateucho occurrunt, quibus ejus genuinitas quoad utramque partem suadetur, luculenterque demonstratur.

138. Et sane: Genuinitas Pentateuchi 1°. suadetur luculenterque demonstratur ex eo quod nihil plane hisce in libris occurrit quod recentiorem sapiat aetatem. Sic nihil occurrit de Jerosolymis, nec de monte Sion, nec de templo, nihil de duobus regnis Judae et Israel, nec de illis populis, cum quibus a prima Hebraeorum reipublicae institutione usque ad Davidis tempora bella et foedera ipsi habuerunt; sed de tabernaculo, de arca foederis, de instrumentis omnibus sacris fuse scriptum est, ut decebat in commentariis illius cujus jussu erant fabricata. Sic etiam ordo, quem in metandis castris et profectionibus duodecim tribus servare oportebat, diligenter definitur, uti necesse fuit in constitutionibus illius, qui

istas tribus ex Aegypto duxerat: at ubi recentiori aetate et ab alio longe a Moyse diverso haec omnia conscripta fuissent, prorsus nullius frugis evasissent, quum jam populus pacifice terram Chanaan occuparet. Ibidem diarium quoddam habemus rerum gestarum in solitudine, de populi enim praevaricationibus, deque Dei mirabilibus, nec non de victoriis per illud tempus partis fuse agitur, ut conveniebat maxime in commentariis ejus, qui per annos quadraginta Israelitis in deserto praefuit. Quibus omnibus rite perpensis ita Pentateuchi genuinitatem proclamavit Du Voisin: "[27] Postremi quatuor Pentateuchi libri scripturae primigeniae ac coaevae characteres praeseferunt: heic enim nomina, et accurata locorum, in quibus Israelitae ab Aegyptiaca servitute liberati castra singulis vicibus posuere usque dum confines Palestinae attigerint, descriptio occurrit: heic etiam cujusque tribus enumeratio, ducum, ac populi magnatum nomina consignata occurrunt: satis etiam accurata imo satis prolixa tabernaculi dimensionis, aliarumque rerum in ejus constructione adhibitarum, nec non altarium, vasorum, aliorumque id genus descriptio invenitur: imo totum sacrificiorum systema cum omnibus suis adjunctis, itemque Sacerdotum ac Levitarum ministeria, eorum consecrationis ritus, vestes, earumque variae ac multiplices formae fuse, graphiceque, ut ita dicam, delineantur: quod satis superque horum omnium primam institutionem innuit, distincteque prodit. Nam omnia externi ritus officia varie sapienterque inter se temperata, ubi jam oculis omnium usurpata essent, inaniter Hebraeis describerentur,

(27) Du Vois. l'aut. des livr. de Moise p. i. v. iii.

ac proinde nil vetat quominus horum omnium conditorem atque institutorem heic agnoscamus. Summopere rursus necessaria erat omnium tribuum, ac familiarum enumeratio, ut quisque suum locum in metandis castris, inque profectionibus occupare posset. Descriptio tandem locorum, in quibus stupenda prodigia Deus operatus est, valde conducibilis erat ad Hebraeorum animis horum omnium memoriam alte imprimendam. Jam vero si Pentateuchus haud genuinum Moseos opus, si ejus scriptor valde post institutam Rempublicam extiterit, eccur in tam prolixa, atque nullius frugis enumeratione tempus insumpserit, omittendaque duxerit alia plurima majoris momenti? Num adeo prolixa verborum serie Hebraeis opus erat, ut ministerii Levitici ordinem, Sacerdotum officia, vestes, ipsiusque Tabernaculi structuram, quotidie propriis oculis usurpata, intelligerent? Quae necessitas fingi excogitarique possit, tanta cura, tantaque sedulitate ac studio deserta Arabiae populo jamdiu in terra Chanaan constituto describendi? Prouti igitur horum omnium notitiam suam praeseferre utilitatem, ac necessitatem inspectis, quibus vitam Moyses agebat, temporibus, deprehendimus, eo modo ubi seculis insequentibus litteris consignatam fuisse dicere velimus, prorsus inopportunam prorsus molestam, prorsusque inutilem eam evasisse dicamus necesse est."

Pentateuchi genuinitas suadetur 2, luculenterque demonstratur ex eo quod in Pentateucho perfecte referuntur mores illius aetatis antiquissimae, qua communiter exaratus perhibetur, et omnia facta historica accipiunt a profanis scriptoribus confirmationem. Sic plurima ibi leguntur de variorum populorum originibus,

de eorumdem migrationibus, de imperiorum et urbium exordiis: multa quoque geographica, itinera, et mansiones patriarcharum: quae omnia censoriae animadversioni vastissimum campum aperiunt, in quibus tamen omnibus nihil castigatione dignum reperias, uti cum summa doctrinae et eruditionis laude confecit [28] Bochartus in geographia sacra. Quae ibidem referuntur de vetustissimorum hominum simplici vitae ratione, de eorum hospitalitate, de conviviis atque dapibus, de mulierum in vita domestica officiis, de vestibus, de funeribus, et sepulturae ritibus, de monumentis et columnis, de foederum caeremoniis, de altaribus, de sacrificiis, aliisque ritibus sacris: quae speciatim narrantur de Aegypto et illius gentis opibus, potentia ac consuetudinibus: haec omnia ex Homero, Hesiodo, Herodoto, Diodoro Siculo, ac ceteris profanis historicis confirmari posse ostendit [29] Picinellius. Ne vero haec a me oratorie magis, quam vere dicta videantur, paucis vos volo. Cum Abraham signa petiisset, quibus promissiones sibi a Deo factas [30] confirmarentur, Deus necessaria ad foedus ineundum parare eum [31] jussit, ipse vero divinae voluntati obtemperans: " [32] Divisit ea per medium, utrasque partes contra se altrinsecus posuit: aves autem non divisit . . . Cum occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, et apparuit clibanus fumans, et lampas ignis transiens inter divisiones illas. " Quo in foedere sanciendo illi ritus, illae-

(28) Conf. Bochart. geograph. sacr.
(29) Picinel, lumi rifles. della Bib.
(30) Genes: cap. xv. v. 8.
(31) Genes. cap. cit. v. 9.
(32) Genes. cap. cit. v. 10-17.

que caeremoniae usurpatae occurrunt, quae tum a Chaldaeis, tum ab aliis gentibus in foederibus faciendis adhiberi solitae, victimarum scilicet mactatio, et transitus inter dissectas victimas.

Haec enim, ut [33] Cyrillum Alexandrinum silentio praeteream, de hoc more Chaldaeorum habet [34] Diodorus Tarsensis: "Tutius habebatur jusjurandum, cum illud per animalium sectionem sanciunt, eamdem praevaricatoribus imprecantes." Et Dites Cretensis de foedere Achillem inter et Agamemnon inito haec habet: "[35] His actis Agamemnon afferri hostiam lictori jubet. Ac mox sublatam super terram, quum eam duo, quibus imperatum erat suspensam tenerent, gladium vagina educit, eamque bifariam excisam hostiam in conspectu, ut diviserat collocans, dein ferrum sanguine oblitum manu retinens, inter utramque sacri partem medius vadit:" et alibi: "[36] Quibus perfectis Diomedes, atque Ulysses jurare occipiunt, permansuros se in eo quod sibi cum Antenore convenisset, testesque in eam rem Jovem summum, terramque matrem, solem, lunam, atque oceanum fore. Dein excisis in partes duas hostiis, quae ad eam rem admotae erant, ita ut pars ad solem, residuum ad naves spectaret, per medium transeunt." Ad haec, quum Abraham in ostio tabernaculi sui [37] consistens vidisset tres viros: "[38] Cucurrit in occursum

(33) Cyril, Alex. in Jul. lib. x.
(34) Conf. Picinel. cit. in hunc loc.
(35) Dit. Cret: lib. ii. de bello troi.
(36) Dit. Cret. lib. v.
(37) Genes. cap. xviii. v. 1.
(38) Genes. cap. cit. v, 2.

eorum . . . et adoravit in terram. Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum: sed afferam pauxillum aquae, et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum, postea transibitis." Jam vero hanc ipsam hospitalitatem testante [39] Homero adhibuisse novimus Assilum praedivitem, [40] Menelaum, et Eumenum, qui ita Ulissem adlocutus perhibetur: " [41] Hospes non mihi fas est, neque si pauperior te veniat hospitem contemnere, nam ab Jove sunt omnes hospitesque, mendicique." Praeterea ubi Abraham nomen Dei aeterni invocare voluit: " [42] Plantavit nemus in Bersabee, et invocavit ibi nomen Domini Dei aeterni." Verum de hoc antiquissimo populorum more haec habet Plinius " [43] Haec fuere numinum templa, priscoque ritu simplicia rura, etiam nunc Deo praecellentem arborem dicant. Nec magis auro fulgentia, atque ebore simulacra, quam lucos, et in iis silentia ipsa adoramus. Arborum genera numinibus suis dicata perpetuo servantur:" itemque Tacitus de moribus Germanorum agens, haec ad rem nostram habet: " [44] Lucos, ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident." Hisce omnibus adjici possent, quae de [45] condendis sepulchris in agris deque

(39) Homer. lib. vi. Iliad.
(40) Hom. lib. iv. Odis.
(41) Hom. lib. xiv. Odis.
(42) Genes. cap. xxi, v. 33.
(43) Plin. lib. xii, v. 1.
(44) Tacit. lib. i. de morib. Germ.
(45) Picinel. oper. cit.

caeremoniis tum in [46] contractibus tum in sponsalibus [47] incundis Pentateucho consignata sunt. Pari tandem certitudine gaudent, quae de Aegyptiorum opibus, ac consuetudinibus narrantur: haec enim tum ab antiquissimis illius gentis monumentis, quae summa sedulitate, summaque eruditione nobis ob oculos ponit [48] Rosellinius, tum ab illius gentis historicis comprobantur, ita ut praelaudatus Rosellinius non dubitaverit asserere: " [49] Quicumque ea omnia, quae a Moyse narrantur, juxta sanae critices regulas examinare voluerit, omnibus praejudicatis opinionibus sepositis, haec omnia cum Aegyptiorum historia ex illorum temporum monumentis hausta conferre tenetur. Sic nos in hoc studiorum genere operam collocantes, summaque simplicitate omnia tentantes perspeximus historiam Moseos in omnibus praecipuis partibus prorsus confirmatam, comprobatamque evadere." Cui consentit etiam Eichhornius, dum dicit: " [50] Si qua ratio inveniri unquam posset ad horum librorum antiquitatem constabiliendam accommodata, illa profecto est minuta atque accurata rerum narratio, quae ubique refulget..."

---

(46) Picinel. oper. cit.

(47) Picinel. oper. cit.

(48) Rosel. Mon. d'Egit. e della Nub.

(49) Rosel. oper. cit. part. ii. § 15: " Se far si voglia un esame critico de' racconti di Mosè, non v'è miglior mezzo che paragonarli colla storia d' Egitto ricavata dai monumenti del tempo, studiati a dovere, e senza spirito di parte. Noi abbiamo veduto, come procedendo in questo studio con naturale semplicità, e senza il fascino di inopportuna erudizione la storia degli Israeliti in Egitto venga compiutamente confermata in tutti i termini essenziali."

(50) Eich. Intr. in V. T. § 142.

Postremi enim quatuor libri a Moyse conscripti plura nobis de antiquis Aegyptiis referunt, aliunde nobis, ab horum historia nempe, comperta."

Genuinitas Pentateuchi insuper 3, suadetur, luculenterque demonstratur ex eo quod consuetudines omnes, legesque varias, quae in Pentateucho leguntur, revera servatas fuisse constat a primis usque ad ultima Hebraeorum Reipublicae tempora, neque una lex est, cujus recentiorem originem solide graviterque evincere potest Adversarius. Sic monumenta publica ab origine Hebraeorum reipublicae ita cum historia in Pentateucho descripta concordant, ut efficiant perfectam istius narrationis quodammodo imaginem, nullaque sit res gesta alicujus momenti scripta in Pentateucho, quae non sit etiam symbolis et institutis antiquissimae aetatis expressa. Sic, ut nonnulla ex multis, quae urgeri possent, proferam, festum azymorum, agni paschalis ritus, primogenitorum omnium redemptio, consecratio Levitarum servitio divino ab initio Reipublicae, clare significabant [51] interfectos fuisse Aegyptiorum primogenitos, [52] populum Israel ab hac plaga immunem reliquisse Aegyptum cum praecipitatione. Tabulae legis jussu Dei in arca servatae, quaeque ibi permansere usque ad captivitatem Babylonicam, [53] res ad montem Sinai gestas confirmabant. Mensura mannae ad latus arcae etiam reposita [54] populum cibo de coelo delapso per quadraginta annos alitum

---

(51) Ex. cap. xii. v. 29.
(52) Ex. cap. cit. v. 29.
(53) Ex. cap. xxxiv. v. 29.
(54) Ex. cap. xvi. v. 15-35.

fuisse ostendebat. Virga Aaronis induta foliis et ibidem reposita [55] confirmatum a Deo Aaroni ejusque posteris sacerdotium demonstrabat. Laminae aureae altari affixae [56] Levitarum cum Core, Dathan, et Abiron rebellantium interitum, in cujus rei memoriam collocatae fuerant, in perpetuum designabant. Serpens aeneus, qui ad Ezechiae usque tempora [57] servatus est, aliam [58] partem Pentateuchi confirmabat. Uno verbo tabernaculum, arca foederis, sacerdotum consecratio, vestes et varia Levitarum munera, sacrificiorum caeremoniae, purificationes, familiarum genealogiae, tribuum Ruben et Gad cum dimidia tribus Manasse habitatio trans Jordanem, divisio terrae Chanaan, diei initium a vespere sumptum, asyla et aliae constitutiones, quae omnes coaevae Reipublicae certissime fuerunt, Moysen et non alium institutorem prodere deprehenduntur.

Genuinitas Pentateuchi suadetur ulterius 4, luculenterque demonstratur ex horum librorum stylo, qui multas antiquissimae aetatis notas praeseferre deprehenditur. Nam praeter illas voces ab Aegyptiorum, aliorumque populorum linguis mutuatas, aliae plurimae occurrunt in Pentateucho usurpatae, quae tamen posterioribus aetatibus, uti scite animadvertit [59] Hennicoti, prorsus exoleverunt: sic ut una ex multis urgeam vox נער "puer" pro "puella" נערה in Pentateucho tantum usurpata occurrit: nonnullae etiam dicendi formae heic occurrunt,

(55) Lev. cap. xvii v. 8.
(56) Lev. cap. xvi. v. 2-35.
(57) 4 Reg. cap. xviii. v. 4.
(58) Numer. cap. xxi, v. 6-8.
[59] Hennicot, dissert. super rat. tex. heb. V. T.

quae prorsus in reliquis libris Veteris Testamenti desiderantur: pariterque multas formas loquendi novas, quas usurparunt scriptores sub Davide et Salomoue, quaeque occurrunt in posterioribus Scripturae libris, nusquam in Pentateucho reperiri posse docuerunt hebraicae linguae periti, qui varios Scripturae libros secum invicem contulerunt. Praeterea in Pentateucho, cur tam saepe leges et praecepta singula inculcantur? Cur praeter legem, habemus, ut ita dicam, breviarium legis? Cur praeter historicam legis datae narrationem, habemus quoque luculentum Moysis ad populum sermonem, nisi quia opus est illius, qui per annos quadraginta omni ope elaboravit, ut has leges Judaeorum animis altius infigeret, eorumque usui familiari accommodaret? Nec ullum nobis facessit negotium ille parallelismus verbalis, quem Jeremiam aliosque recentiores Veteris Testamenti scriptores inter et auctorem Pentateuchi se deprehendisse sibi gloriatur Adversarius: nam quum Moyses praecipuus, et ut ita dicam, classicus totius Hebraicae gentis auctor esset, quumque insuper usque ad captivitatem Babylonicam, prouti scite animadvertit Glaire, lingua Hebraica in sua fere primitiva puritate perseveraverit: nihil mirum in eo deprehendi potest, quod posteriores scriptores totum studium in eorum legis notitia rite comparanda collocantes, patriaque lingua in suis libris conscribendis utentes eos communiter dicendi modos usurpaverint, quibus Moyses in suo Pentateucho exarando usus est.

Genuinitas Pentateuchi suadetur 5, luculenterque demonstratur ex totius orationis serie. In illa quippe elucent candida simplicitas, pietas in Deum sincera,

summum virtutis studium: admiramur in illo libro singularem in confitendis non modo principum et plebis verum etiam propriis peccatis ingenuinitatem, et in reprehendendis sanctam severitatem, nullum est dissimulationis vestigium, nulla adulatio aut assentatio ad captandam hominum benevolentiam, nulla ad excitandos vulgi plausus orationis vanitas: quae partes esse solent impostoris. Quod quidem vel adeo confidentius hac in disputatione urgemus, quia ea omnia, quae enumeravimus, nullo pacto cum pia, ut illam vocat, fraude, qua Pentateuchi scriptores onustos Adversarius traducit, cohaerere, conciliarique possunt. Colenso enim candide [60] profitetur sententiae, quam ipse tuetur, quaque docet temporibus Jeremiae librum legis sub Moysis nomine primo in lucem inque medium editum, universoque populo explanatum fuisse, illam exceptionem adversari, quae inspecto charactere morali hominum aliunde pietate conspicuorum, naturaliter ac necessario enasci videtur. Verum ipse haud animo fractus de more illam declinare enititur [61] contendendo optimo jure hujusmodi scriptores

---

(60) Colen. part. tertia, cap. iii. § 575: " Thus there is nothing in the known facts of the case to negative the supposition, that the Book of the Law was now for the first time produced, and read in the ears of the people, except, of course, the moral difficulty which we find in attributing such a proceeding as this to good men, as Hilhiah, and, perhaps, Jeremiah. "

(61) Colen. loc. cit: " The deplorable condition of their people, sunk in the most debasing idolatries, might be tought to require some powerful influence to be brought upon them, beyond even an ordinary prophet's voice. Prophets had already spoken, Joel, Amos, Hosea, Isaiah, Micah; but their

nomen Moysis proprio supponere potuisse, quia attenta per illud tempus populi perversitate atque ad idolatriam propensione, non aliter tam gliscenti morbo occurrere poterant, quam praecipui legislatoris Moseos nomen in medium inque solem proferendo: et hoc praesertim, quia non defuerunt per illud tempus Prophetae, qui aeterni Numinis monita arcanamque mentem populo relegerent, aut tantis debitam flagitiis Dei vindicis iram, cladem que intentarent: cujusmodi erant Joel, Amos, Oseas, Isaias, et Michaeas; at hi omnes, propter illorum temporum pravitatem, parum in populo ad saniora revocando, moribusque ad recte facta informandis profecerunt. Imo, quod capitalius, Adversarius ut suam sententiam a quavis tegeret difficultate, haud dubitavit asserere, divina quadam inspiratione ad hanc fraudem consuendam fictos Pentateuchi scriptores actos fuisse. Et sane: ipse est audiatur: [62] nullo modo oblivisci possumus Jeremiam

---

words had not availed to keep back upon the Ten tribes a fearful judgment, and threatened before long a yet more terrible woe upon Judah and Jerusalem. What if the authority of the great Lawgiver should be brought to bear upon them ?...what if the very spirit of the older law should be summoned up in a powerful address, adapted to the present circumstances of the times—such as he would have delivered, if now present with his people—and put into the mouth of the departing Lawgiver? "

(62) Colen. loc. cit. § 577: " Supposing that Jeremiah really wrote the book, we must not forget that he was a Prophet and, as such, habitually disposed to regard all the special impulses of his mind to religious activity, as direct inspirations from the Divine Source of Truth...The inner Voice, which he believed to be the Voice of the Divine Teacher, would

prophetam fuisse, ac proinde habitu quodam impellente omnes animi sui motus circa ea, quae ad religionem pertinent, tamquam immediatos Dei impulsus habere solitum. Ubi igitur aliquo super immoralitate hujus actionis dubio angebatur, intima, qua impellebatur, vox, quamque a Deo excitatam ratus, omni cura, omnique hac de re sollicitudine eum liberare poterat, eumque ad tuto pede hac in fraude insistendum impellere. At haec Adversarii deliramenta retulisse refutasse est, ac proinde tempore abuteremur, ubi prolixiori disputatione refellere velimus: hinc sat erit animadvertisse penes Hebraeos Prophetas Moseos vestigiis insistentes non nomine, auctoritateque propria coram populo sistere, legemque illum edocere, sed Dei nomine Divinaque auctoritate solitos esse; ac proinde, nisi suam Divinam missionem eos prodidisse dicere velimus, nullo modo credere possumus eos hac fraude usos esse; imo quod capitalius, ubi Pentateuchus haud esset verum ac genuinum Moseos opus, ubi nulla penes vulgum de authenticis Moysis scriptis persuasio per illud tempus vigeret, dubio procul populus pravo animo in sanctam legem comparatus, hanc, quam urget Adversarius, fraudem retegeret, dignaque poena ejus auctores mulctaret. Verum ipsa reverentia, qua prosequendi sanctissimi Prophetae Moysi posteriores, ipsaeque Pentateuchi dotes penitus nos ab hac fraudis simulationisque suspicione

---

become all powerful,—would silence at once all doubts and questionings. What it ordered him to do, he would do without hesitation, as by direct command of God, and all considerations as to morality or immorality would not be entertained at all."

revocant, prorsusque cohibeant: nihil enim in tota orationis serie occurrit, quod fictionis, duplicitatisque speciem praeseferre deprehenditur.

139. Genuinitas Pentateuchi tandem 6 suadetur, luculenterque demonstratur ex vanitate argumentorum, quibus contraria sententia innititur. Colenso enim, ut suam hypothesim tueatur, illamque tamquam verisimilem traducat proponatque, ut scilicet nobis persuadeat, Pentateuchum non a Moyse sed a diversis auctoribus post institutam Hebraeorum Rempublicam fuisse exaratum, omnia fere argumenta, quae a Rationalistis hac mente hocque consilio excogitata fuere, in medium inque lucem protulit, ac hisce armis instructus ad Pentateuchi genuinitatem funditus convellendam in arenam descendit. At miserrime deceptus est: nam nihil horum tale est, quod graviter solideque contra veritatem, quam propugnamus, urgeri possit et valeat, uti sequentibus ostendemus. Verum ne humanissimis lectoribus taedio simus, utque simul majori rerum intelligentiae consulamus non singula argumenta singulis disputationibus ventilabimus, sed confertim et ad quaedam capita, quasdamque classes redacta examinabimus.

Et sane: ut ne ullum quidem verbum heic addamus iis, quae jam supra de argumento ex parallelismo verborum, qui Pentateuchum inter et posteriores Veteris Testamenti libros intercedere deprehenditur, ab Adversario nobis impacto [63] innuimus, nullaque pariter de aliis nonnullis cerebrosis [64] commentis huc illuc disseminatis, quae

(63) Conf. hujus capit. §

(64) Colen. par. secun. cap viii. et seq.

tamen perquam remote hanc disputationem afficiunt, verba faciamus, cetera omnia argumenta ad quatuor capita revocamus: ad primum enim commode revocari possunt omnia argumenta ex apparentibus, quae in Pentateucho occurrere videntur, antilogiis deprompta, quasque Adversarius urget ad pluralitatem scriptorum constabiliendam: ad secundum illa omnia, quae eadem mente, eodemque consilio ipse urget illis ex locis quae recentiorem aetatem prodere illi visa; ad tertium revocantur ea omnia quae ex divinorum nominum usu יהוה et אלהים se urgere posse Colenso ratus; quarto tandem ea argumenta continentur, quae ex styli diversitate proferuntur. At haec omnia, adjuvante Deo, antiquorum interpretum vestigiis insistentes puerilia esse ostendere posse confidimus: prouti superius nobis proposuimus.

Colenso primo ex antilogiis suam sententiam evincere enititur, ac proinde ea omnia, quae in cosmogonia, atque in diluvii historia sibi mutuo excludere illi visa, urget nobisque obtrudit. Contendit [65] enim ea, quae leguntur: "[66] Dixit Deus: congregentur aquae, quae sub coelo sunt, in locum unum: et appareat arida . . . Et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria" nullo modo cum iis cohaerere possunt, quae alibi occurrunt: "[67] Sed fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terrae: " et ratio est, quia terra, quae ex aquis emerserat, plene humore

(65) Colen. sec. par. cap. i. § 205,

(66) Genes cap. i. v. 9-10.

(67) Genes. cap. ii. v. 6.

aqueo satura nullo modo fonte, qui illam irrigaret, egere poterat. Ego vero, ut vera fatear, nullam heic contradictionem invenio, imo perfectam horum locorum harmoniam, perfectumque concentum reperio: terra enim ex aquis emergens magna aquarum quantitate madida erat; at ex physicis disciplinis plane compertum vi caloris aqua in vaporem converti, qui denuo in editis regionibus concretus super terram copiosus decidit: quum igitur Moyses nobis referat ואד et [68] "vaporem" ascendisse e terra, quin ea, quae alibi de terra ex aquis emergente dixerat, repudiarit, potius quae inde naturaliter evenire debebant eum innuisse dicamus oportet. Imo quod capitalius, ne ullam quidem contradictionem urgere posset Adversarius, ubi veram aquarum carentiam postrema Moysis verba proderent: nam illa Moysis dierum interpretatio communiter [69] recepta est, quae diuturnas periodos hisce subesse docet; ac proinde nil mirum, nihilque contradictorium in eo occurrit, quod tertia periodo durante aliqua quantitas aquae ad terrae superficiem irrigandam necessaria fuisset. Neque cum [70] Adversario dicas, si hujusmodi dies ordinarii dies 24 horarum non sunt, nullo modo intelligitur, imo nulla est ratio sequentis praecepti: " [71] Sex diebus operaberis et facies omnia opera tua. Septimo autem die, Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo . . . Sex enim diebus fecit Dominus coelum et terram et mare et omnia

---

(68) Conf. Winer. lex. man.
(69) Conf. J. B. Pianc: comment. in hist. creat. Mos. n. viii.
(70) Colen. quar. part. cap. x. § 131.
(71) Exod. cap. xx. v. 9-11.

quae in eis sunt, et requievit in die septimo, idcirco benedixit Deus diei Sabbati, et sanctificavit eum:" nam J. B. Pianciani postquam variis argumentis nostram interpretationem confirmavit, sequentibus huic difficultati occurrit: "[72] Respondeo, periodos quae dici nomine veniunt, non absurde sumi pro symbolo et prototypo et dierum communium laboris, et diei ultimi hebdomadae quieti destinati. Nam vocem hanc diversimode aliquando accipi in uno contextu, et ipsi fateri debent, ut nuper observabam. Augustinus aperte dicit, dies hebdomadae repraesentare aliquo modo dies creationis ([73] illorum vicem quamdam exhibere) et non esse illis similes, sed multum impares. Ita in immensum distant Dei opera ab operibus hominum, et hominum necessaria requies a requie Dei, quae mera est a novis operibus cessatio. Requies humani sabbati horis viginti quatuor continebatur. At quis dicet Dei cessationem simili limite circumscriptam? Septima divinae quietis dies an post horas 24 cessavit ? . . . Tandem meminisse debemus, Hebraeis praescriptum fuisse etiam sabbatum septimi anni. Deus jubet : "[74] Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, sabbatizes sabbatum Domino. Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus : septimo autem anno, sabbatum erit terrae, requietionis Domini " . . . Age vero: heic dies creationis vel dies ordinarii hebdomadae, septem annorum typus existunt: cur igitur sex aut

---

(72) Pianc. in hist. cit. n. x.
(73) August. de Gen. ad lit. iv, 26,
(74) Lev. cap. xxv, v. 2. et seq.

septem longiores periodi sex aut septem dierum solarium exemplar esse non possint? Addendum est, etiam in Levitico post annum sabbaticum statim Hebraeis praescribi, ut numerent quoque septem hebdomadas annorum, i. e. septies septem, quae simul faciunt annos quadraginta novem: post hos erat sanctificandus annus quinquagesimus seu annus jubilaei: "[75] Non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia, et primitias vindemiae non colligetis, ob sanctificationem jubilaei, sed statim oblata comedetis; anno jubilaei redient omnes ad possessiones suas etc." Denique, si per Irenaeum perque alios ex antiquioribus Patribus sex aut septem dies, sex vel septem mille annos significare possunt, cur contra sex periodi longiores typi esse nequeunt sex dierum?" Quo ex testimonio plane liquet perperam Colenso vulgari "dierum" interpretationi adhaesisse, ut inde quae de terra ex aquis emergente in duobus Geneseos capitibus narrantur, tamquam sibi mutuo excludentia traducere posset. Ipse vero adhuc instat et multa alia ex hac cosmogonia in primo et secundo Genesis capite relata [76] profert, quae sibi mutuo cohaerere nullo modo posse contendit. Nullo enim pacto sibi mutuo haec omnia cohaerent, urget ille, quum in primo capite omnia volatilia, omniaque animantia ante creatum hominem condita fuisse [77] perhibeantur; in altero vero prius homo postea omnia animantia producta [78] tradu-

(75) Lev. cap. xxv. v. 8-15.
(76) Col. loc. cit. § 205.
(77) Genes. cap. i. v. 20-26.
(78) Genes. cap. ii. v. 7-19.

cantur: itemque quum in [79] altero omnia volatilia ex aquis, in [80] altero vero e terra edita fuisse narretur: praeterea quum in [81] altero homo ad imaginem et similitudinem Dei, in altero vero e limo terrae vivificato spiraculo vitae [82] efformatus existat: insuper quum in altero homo universae terrae dominus [83] constituatur, in altero vero in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum [84] collocetur: tandem quum in altero tum vir tum mulier simul a Deo efformati [85] videantur, in altero vero longe post conditum Adam primam mulierem efformatam fuisse [86] constet. At bona ejus pace reponimus apparentes non vere reales antilogias hisce in locis occurrere: nam **1.** Moyses exposito in primo Geneseos capite ordine rerum chronologico, in secundo, in quo hominis tantum historiam enarrandam suscipit, omnium fere historicorum more, quae antea ordinatim narraverat, nullo fere ad Chronologiam habito respectu, cum hac hominis historia conjunxit, atque aptavit. Praeterea **2.** in primo Geneseos capite Moyses minime volatile ex aquis aeque ac reptilia productum fuisse retulit, sed tantum ויאמר אלהים ישרצו המים שרץ נפש חיה ועוף יעופף על הארץ על פני רקיע השמים׃

(79) Genes. cap. i. v. 20.
(80) Genes. cap. ii. v. 19.
(81) Genes. cap. i. v. 27.
(82) Genes. cap. ii. v. 7.
(83) Genes. cap. i. v. 28.
(84) Genes. cap. ii. v. 8-15.
(85) Genes. cap. i. v. 28.
(86) Genes. cap. ii. v. 7-22.

"[87] Et dixit Deus reptificent aquae reptile animae viventis, et volatile volet super terram sub firmamento coeli:" at volatilium originem, quam heic praetermisit, Moyses tunc extulit cum dixit: "[88] Formatis igitur Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terrae, et universis volatilibus coeli, adduxit ea ad Adam:" non contradictio igitur sed major rerum jam narratarum explicatio heic occurrit. Pariterque 3. quando Moyses hominem e terra quoad corpus efformatum fuisse [89] retulit, nullo pacto quae de imagine et similitudine Dei, quae tantum de anima dicta accipi possunt, [90] negavit, sed ad hominis creationem tum quoad animam, tum quoad corpus uberius explicandam gradum fecit.

Haec eadem 4 sequentibus, quas urget Adversarius, antilogiis applicari possunt: ecqua enim antilogia serio graviterque urgeri deprehendique possit in eo, quod Moyses in secundo Geneseos capite totus in eo est, ut divinam curam ac solicitudinem adversus hominem recens conditum efferat, nobis enarrans quo modo praeter universae terrae dominium antea illi collocatum, etiam locum omnibus deliciis refertum tamquam aulam regiam principi universae terrae Dominus Deus [91] praeparaverat, vel in eo, quod hominis creationem prius confertim, ac summis, ut ajunt labiis [92] delibatam, modo ut mulieris praerogativas enumeraret, disertius de ejus a viro

(87) Genes. cap. i. v. 20.
(88) Genes. cap. ii. v. 19.
(89) Genes. cap. ii. v. 7,
(90) Genes. cap. i. v. 27.
(91) Genes. cap. ii. v. 8-15.
(92) Genes. cap. i. v, 28.

formatione egerit? Quae igitur in secundo Genesis capite Moyses retulit, eo tendunt inque id conspirant, ut majori luce nonnulla subobscure antea relata perfundant; at uberiores rerum illustrationes lucem potius quam contradictiones inducant necesse est. Colenso vero adhuc obgannit, nobisque tamquam contradictoria illa duo praecepta obtrudit, quorum altero Noe bina ex omnibus animantibus secum in arcam inducere [93] jussus; altero vero, quo ex animantibus mundis septena illi [94] suscipienda erant. At heic, uti scite animadvertit [95] Rosenmullerus, non de uno eodemque praecepto agitur, quo in casu aliqua antilogiae species vix et ne vix quidem declinari posset, sed duo distincta praecepta, universale unum, quod omnia animantia respicit, particulare alterum et tantum munda contemplatur, quin tamen priori derogaret, consignata occurrunt, seu pressius unum majori explicationi alteri esse contendimus. Perperam igitur Colenso tamquam sibi mutuo excludentia haec duo praecepta traducere se posse ratus. Tandem Colenso iisdem insistens vestigiis plures adhuc contradictiones inter ea, quae nonnullis Deuteronomii locis et aliis tum Numerorum tum Exodi libris consignata sunt, se reperisse [96] gloriatur. Ait enim, Moyses in Deuteronomio anno peregrinationis quadragesimo sese cum filiis Israel loquentem [97] inducit, qui tamen amplius non erant: tota enim eorum generatio, qui legem acce-

(93) Genes. cap. vi. v. 19-20.
(94) Genes. cap. vii, v. 2-3.
(95) Rosen. in hunc loc.
(96) Colen. par. tert. cap. iv. et sequ.
(97) Deut. cap. i. v. 6-46.

perunt in Horeb, in deserto antequam terram Chanaan potirentur diem suum obiit: prouti in Numeris legitur: "[98] Hic est numerus filiorum Israel, qui descripti sunt a Moyse, et Eleazaro sacerdote in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho: inter quos nullus fuit eorum, qui ante numerati sunt a Moyse, et Aaron in deserto Sinai:" ac proinde statuit nullo pacto illum agendi modum a Moyse, uti narratur, per illud tempus usurpatum cum Numerorum historia conciliari posse. At tota haec impossibilitas prorsus evanescit, ubi sedulo Numerorum verba considerentur: nam non tota generatio, quae legem accepit in Horeb, prouti commentus est Colenso, sed tantum ii omnes qui secundo peregrinationis anno censiti fuerunt, inter mortuos heic adnumerantur. Jam vero illo in censu adnumerati fuerunt qui vigesimum aetatis annum adepti erant: legitur enim: "[99] A vigesimo anno et supra omnium virorum fortium ex Israel, numerabitis eos per turmas suas . . . Fueruntque omnis numerus filiorum Israel per domos et familias suas, a vigesimo anno et supra, qui poterant ad bella procedere, sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta:" non modo igitur Josue et Caleb sed praeter mulieres etiam multi adhuc superstites erant, qui nondum vigesimo anno expleto non fuerunt ad radices Sinai censiti sed plane earum gnari erant, quae heic Moyses memorare aggressus. Imo quod capitalius, Moyses heic non ad singulos ex Hebraeis sed ad universum populum, qui moraliter

(98) Numer. cap. xxvi. v. 63-64.
(99) Numer. cap. i. v. 3 et 45.

semper perseverat verba dirigit, ubi igitur ne ullus quidem eorum, qui Dei mirabilia et in Aegypto et in Sina viderat, adhuc superstes erat, optimo tamen jure Moyses uno eodemque populo moraliter sibi identico verba dirigere poterat: nulla igitur contradictio graviter solideque hisce ex locis urgeri potest. At Colenso adhuc majorem in Deuteronomium exceptionem urgere se posse [100] contendit: quia heic populi tribunorum ac centurionum electio peracta [101] perhibetur paullo ante Hebraeorum discessu a monte Horeb, dum contra in [102] Exodo ante latam legem ad radices montis Sinai: imo haec duo Pentateuchi loca, prosequitur ille, prorsus discordant ab iis quae libris Numerorum [103] consignata sunt, quibus id postquam castra e monte Horeb mota contigisse edocemur. At turpiter hac in facti specie iterum se hallucinari passus: nulla enim Deuteronomium inter et Exodum contradictio intercedere deprehenditur; Moyses enim altero in loco minime tempus quo hujusmodi electio contigit, determinavit, sed [104] facta mentione ad radices Sinai stationis ubi ad hoc factum enarrandum venit hac generalissima forma " [105] Dixi vobis illo in tempore" usus est. Nec minori falsitate laborat quod ex libro Numerorum profert: heic enim de re toto coelo a praecedentibus diversa [106] agitur, uti scite ani-

(100) Col. loc. cit. cap. cit. § 205.
(101) Deut. cap. i. v. 9-15.
(102) Ex. cap. xviii. v. 25-26.
(103) Numer. cap. xi. v. 14-17.
(104) Deut. cap. i. v. 6.
(105) Deut. cap. cit. v. 6.
(106) Numer. cap. vi. v. 14 17)

madvertit A Lapide inquiens: "[107] Licet enim ex suggestione Jethro Moses in populo constituisset decanos et tribunos, qui lites populi deciderent, tamen ultima appellatio semper erat ad Moysen. Ad haec, majores caussae ad Mosen referebantur. Denique ea, quae Deum Deique cultum spectabant solus Moses decernebat, quare grave sustinebat onus: ad quod levandum Deus hic jubet deligi septuaginta viros, qui haec tria, aeque ut Moyses, praestarent." Omnes igitur contradictiones, quibus Adversarius suam sententiam constabilire enititur, non ex Pentateucho sed ex ejus superficiali examine, atque ex praejudicatis opinionibus, quibus ille heic indulget, dimanare deprehenduntur. Quae quum ita se habeant, optimo jure a quavis ulteriori harum contradictionum examine abstinemus: perpaucae enim [108] sunt, imo tales, quae perquam facile, uti videre est apud A Lapide et M. Poli, sequenti canone communiter a criticis recepto:" Distingue tempora et loca, et concertabit scriptura" enodari possunt; ac proinde ad ea quae secundo loco examinanda proposuimus accedamus oportet. Et sane: Colenso hoc argumento [109] conatur secundo loco evincere Pentateuchum longe post Moseos aetatem fuisse exaratum, quod sequenti formula proponi potest.

Liber, quo loquendi modi, locorum nomina, ac plura etiam historica facta occurrunt, quae aetate auctori recentiori obtinuerunt, nullo modo pro genuino est ha-

(107) A Lapide comment. in hunc loc.
(108) Colen. part. tert.cap. iv. § 589,
(109) Colen. part. sec. cap. v. § 238.

bendus: atqui in Pentateucho non modo dicendi [110] modi, qui posteriore aetate penes Hebraeos obtinuerunt, verum etiam nonnulla locorum [111] nomina, historica [112] facta, aliaque [113] id genus occurrunt, quae nullo modo a Moyse sed ab alio longe ab illo diverso post institutam Hebraeorum Rempublicam litteris mandari poterant. Nos vero dum Adversario ultro damus haud esse pro genuinis habendos illos libros in quibus primitus conscribendis dicendi modi usurpati fuerunt, ac quaedam loca iis donata nominibus occurrunt, quae nonnisi post mortem auctoris, cujus nomen in fronte gerunt, habuere, et commemorantur nonnulla facta historica ejusdem auctoris aevo recentiora, negamus tamen id ipsum de illis libris in quibus paucissima tantum additamenta ob bonum finem primo in margine scripta, quae tamen deinde in textum ab amanuensibus in lectorum commodum, atque ad majorem narrationis perfectionem atque expositionem inserta fuere, affirmari posse: nam ubi aliter res se haberet, ne ullus quidem liber antiquissimae aetatis tamquam genuinum auctoris, cui adtribuitur, opus suscipi posset. Hinc contendimus non ideo quod

---

(110) Ex. cap. x. v. 19. Gen. cap. xxxvi. v. 31, Gen cap, xx v. 7: Ex cap. vii v. 1. cap. xv. v. 20: Num. xi: v, 29 etc.

(111) Deut. cap. xi. v, 29-30: Gen: cap: xiv: v: 14. Deut. cap. xxxiv. v. 1: Gen. cap. xiii, v. 18: Gen. cap. xii. v. 8. Gen. xxiii. v. 2. Gen. cap. xxxv. v. 19-27 etc.

(112) Gen. cap. xii. v. 6. Ex. cap. xvi. v. 35. Lev. xviii. v. 28. Numer. xv. v. 32. Deut. cap. iii. v. 9-11: et Deut. cap. xxxiv.

(113) Deut. cap. i. v. 2: Deut. cap. ii. v. 9-12-19-23. Numer. xxi. v. 13-15. Deut. xxx. v. 1, Ex, xi. v. 3, Numer. xii. v. 3. Ex. vi. v. 26-27. et Num. xv. v. 22-23.

nonnulla recentiorem aetatem prodere in Pentateucho Colenso visa, ex hoc ipso libros,* qui Moysis nomine circumferuntur absolute inter spurios amandare posse: etenim non aliqua lex aut nova institutio, aut ritus aliquis, vel dogma, vel miraculum, vel tandem aliud id genus addita sunt, sed tantum ipsius Moseos mortis [114] descriptio, et brevis eximii viri laudatio, ut in infinitis aliis factum vidimus, adjecta fuit, nec non loco dicendi modorum, ac nominum civitatum, quae omnia obsoleta evaserant, quae recentioribus temporibus obtinuerunt, suffecta. Imo, quod capitalius, mihi in animo est evincere ea fere omnia, quae urget Adversarius Pentateuchi loca tamquam Moysis aevo recentiora, vere ac realiter potuisse ab ipso Moyse describi. Et sane: Colenso serio contendit nullo modo haec Moysen scribere potuisse: "[115] Reges autem, qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Israel, fuerunt ibi:" quia haud obscure haec phrasis innuere illi visa tempore, quo haec scripta sunt, aliquem jam super Israel regnasse regem. At falso: nam Moyses heic totus in eo est, ut ostendat Dei promissionem Jacobo [116] factam quod ex lumbis ejus reges egredientur, de qua jam capite praecedenti verba fecerat, nondum suo eventu completam fuisse, quando filii Esau plures reges [117] habuerunt. Falso item contendit longe post aetatem, qua scripta perhibentur, haec Josephi verba

---

(114) Deut. cap. xxxiv. v. 5-12.
(115) Genes. cap. xxxvi v, 31.
(116) Genes. cap. xxxv. v. 11.
(117) Genes. cap. xxxvi. v. 31.

juxta rei veritatem usurpari potuisse: [118] "Quia furto sublatus sum de terra Hebraeorum:" vel ideo quod tempore, quo id contigisse narratur, nondum Hebraei terra Chanaan, a qua Joseph sublatus, potiti erant: nam licet Hebraei in terra Chanaan per illud tempus extranei erant, tot vero tantaque bona et fortunas heic habebant, ut filii Heth sequentibus Abraham adlocuti sint: "[119] Audi nos, domine: princeps Dei es apud nos: etc. imo et ipse Abraham [120] bellum cum quatuor regibus fortiter gessisse, ac societatem cum nonnullis illius terrae regibus [121] iniisse perhibetur; pariterque filii Jacob, qui Josephi fratres erant, perhibentur etiam civitates [122] debellasse. Quae quum ita se habeant, nihil prohibet, quominus illam Chanaan partem, quam Hebraei tenebant, terram Hebraeorum vocatam fuisse credamus. Nec minori falsitate laborat, dum illud urget: "[123] Haec sunt verba, quae locutus est Moyses ad omnem Israel trans בעבר Jordanem in solitudine campestri:" vel ideo quod Moyses numquam Jordanem transfretavit: nam prouti verum sit, Moysen citra Jordanem suum obiisse diem, sic eadem certitudine gaudet quod communiter Interpretes docent, huic voci בְּעֵבֶר duplicem esse potestatem, ac proinde tum loco "trans," tum loco "citra" sufflci posse: quod quidem tum ex [124] disertis hac de

(118) Genes. cap. xl. v. 15.
(119) Genes. cap. xxiii. v. 6.
(120) Genes. cap. xiv. v. 14-16.
(121) Genes. cap. xxi. v. 32.
(122) Genes.c ap. xxxiv. v. 25-29.
(123) Deut. cap. i. v. 1.
(124) Conf. Winer. lex. man.

re linguae hebraicae peritorum testificationibus, tum etiam ex eodem [125] Deuteronomio erui atque constabiliri potest: nullum igitur ex hoc loco depromere potest Adversarius contra genuinitatem Pentateuchi argumentum.

Nullum pariter nobis facessit negotium illa Adversarii exceptio ex illo dicendi modo a Moyse suis in historiis conscribendis usurpato: " [126] usque in praesentem diem:" desumpta: nam praeterquam quod nihil prohibet quominus heic alterius scriptoris additamentum accessisse credamus, tamen possumus insuper contendere optimo jure Moysen hac phrasi usum esse, quia a rebus gestis usque ad ejus mortem jam aliquod tempus intercesserat. Pariterque nullius roboris est illa exceptio ex Deuteronomio desumpta, in quo legitur " [127] Tulimusque illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhaeorum, qui erant trans Jordanem, a torrente Arnon usque ad montem Hermon, quem Sidonii Sarion vocant, et Amorrhaei Sanir: " nam plane ex antiquis historiis [128] compertum Sidonem antiquissimam fuisse civitatem, ac proinde valde probabiliter contendimus non temporibus Davidis tantum sed etiam Moseos aetate hanc civitatem hoc nomine donatam extitisse. Pariterque vana sunt, quae ex vocis נביא usu communiter in Pentateucho [129] usurpato, et ex illa phrasi [130] רוח-ים

(125) Deut. cap. iii. v. 8.

(126) Deut. cap. iii. v. 14.

(127) Deut. cap. iii. v. 8-9.

(128) Conf. Calmet. dictionar. Sacr. Script.

(129) Genes. cap. xx. v. 7. Ex. cap. vii. v. 1. Numer. cap. xi. v. 29. etc.

(130) Ex. cap. x. v. 19.

"ventum maris" se urgere posse sibi gloriatur. Nam licet nobis ex iis, quae in libris Regum [131] occurrunt, compertum sit, Prophetas, temporibus antiquioribus ראה "Videntes" non vero נביא "Prophetas vocari soltos; tamen optimo jure adhuc contendere possumus Moseos temporibus postremam tantum usitatam fuisse, quae tamen Judicum aetate desiit, inque ejus locum ראה suffecta, postea vero iterum usurpata. Ad phrasim "ventum maris" quod adtinet, quum et ipse Colenso testetur haud esse incredibile Hebraeos in Aegypto dicendi modos in Chanaan usurpatos retinuisse, nonnisi summa impudentia inde argumentum contra genuinitatem Pentateuchi urgere potuit. Tandem ut silentio ea, quae ex siclo sanctuarii, de quo jam alibi fuse [132] egimus, vel quae ex aliis Pentateuchi locis parum scite Colenso ad rem suam constabiliendam [133] urget nobisque obtrudit argumenta, praetereamus, illa locorum nomina, quae aetati Moysi posteriora esse contendit, examinanda suscipimus. Et sane: Colenso illud Deuteronomii urget, quo habetur: " [134] Pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebel. Qui sunt trans Jordanem, post viam, quae vergit ad solis occubitum, in terra Chananaei, qui habitat in campestribus contra Galgalam:" contendit enim prorsus mirum esse quod Moyses, qui numquam in Chanaan moratus tam distincta locorum illorum cognitione donatus: imo quod capitalius,

---

(131) I. Reg. cap. ix. v. 9.
(132) Conf. cap. vi. hujus oper. n. 47.
(133) Colen. part. sec. § 249-275.
[134] Deut. cap. xi. v. 29-30.

quod Moyses etiam Galgala memoravit, qui locus testante [135] Josue post Hebraeorum in terra Chanaan ingressum hoc nomine donatus fuit. At Colenso minime advertit Moysen, testante [136] Stephano, eruditum fuisse in omni scientia Aegyptiorum, et Galgala, quam nobis heic Moyses describit, longe ab illa Galgala diversam esse, de qua [137] Josue agit: imo quod capitalius in ipso Josue libro haec duorum locorum distinctio diserte constabilitur, dum legitur: " [138] Rex Dor, et provinciae Dor unus, rex gentium Galgal unus." Colenso vero adhuc urget illud Geneseos: " [139] Persecutus est usque Dan," et illud Deuteronomii: " [140] Ascendit Moyses de campestribus Moab super montem Nebo in verticem Phasga contra Jericho: ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan:" quia [141] Josue innixus contendit post mortem Moseos hoc nomen unae Chanaan parti adtributum fuisse. At multi eruditi adhuc [142] contendunt hoc nomine fuisse donatam illam terrae partem Jordano propriorem, ac proinde ab hoc loco ipsum fluminis nomen derivatum rentur. Nec est cur diutius immoremur in aliorum locorum a Colenso nobis [143] impactorum explicatione, quum nemini dubium esse possit ab

[135] Jos. cap. v. v. 9.
[136] Actor. cap. vii. v. 22.
[137] Josue loc. cit.
[138] Josue cap. v. v. 9.
[139] Gen. cap. xiv: v: 14:
]140] Deut. cap. xxxiv. v. 1.
[141] Josue cap. xix. v. 47.
[142] Conf. Calmet. diction. Sacr. Script.
[143] Col. part. sec. § 271-272.

alio Scriptore adjecta fuisse: ad cujus rei veritatem constabiliendam sat est unum vel alterum in medium proferre: sic Geneseos legitur: "[144] Mortua est (Sara) in civitate Arbec, quae est Hebron, in terra Chanaan:" et alibi: "[145] Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mambre, civitatem Arbee, haec est Hebron, in qua peregrinatus est Abraham, et Isaac." Ubi manifestum est haec nomina vel ideo fuisse Pentateucho consignata, atque antiquis adjecta, quia hisce jam obsoletis, nullum inde sensum lectores haurire poterant. Tandem ad illa eventa devenimus, quae longo post Moysen tempore Colenso evenisse contendit. Ipse enim contendit ex illa Geneseos parte: "[146] Chananaeus autem tunc erat in terra:" se evincere posse tempore quo haec fuerant exarata, Chananaeos jamdiu e suis sedibus deturbatos fuisse; at falso: ideo enim contendo, Moysen explicitam de Chananaeis terram illam habitantibus mentionem fecisse, ut in tota sua magnitudine elucesceret Dei promissio, quae hunc locum excipit: "[147] Apparuit autem Dominus Abram, et dixit ei: semini tuo dabo terram hanc:" quasi diceret non terram inhospitam, atque desertam Deus Abramo se daturum promisit, sed illam, quam Chananaei strenui atque potentes adhuc tenebant. Pariterque quando Moyses de Abram et Lot substantia verba seruit, vel ideo subdidit: "[148] Eo autem tempore Chananaeus et Pherezaeus habitabant in terra

---

[144] Gen. cap. xxiii. v. 2.
[145] Gen. cap. xxxiv. v. 27.
[146] Gen. cap. xii. v. 6.
[147] Gen. cap. xii. v. 7.
[148] Gen. cap. xiii. v. 7.

illa:" quia totus in eo erat ut ostenderet non ideo terram illam eos [149] capere haud potuisse, quia nimis augusta, sed quia undique a Chananaeis et Pherezaeis circumsepta erat. Haec Pentateuchi loca igitur ex contexta oratione inspecta nullam recentioris aetatis speciem prodere possunt. At Colenso instat, illudque nobis obtrudit: " [150] Filii Israel comederunt man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti sunt, usquequo tangerent fines terrae Chanaan:" contendit enim hoc postquam filii Israel de [151] frugibus terrae Chanaan, quam numquam ingressus est Moyses, comederunt, tantum describi potuisse: imo vel ideo hanc difficultatem urget, quia [152] contendit vocem קצה numquam extra terminum sed intra terminum significare. At hallucinatur: nam Moyses, qui populum usque ad confines Chanaan perduxit, optimo jure potuit propria manu haec libro Exodi adjicere. Praeterea vocem קצה etiam extra terminum significare posse ex eo constat, ubi legitur: " [153] Constitues terminos populo per circuitum, et dices ad eos: cavete ne ascendatis in montem, nec tangatis בקצהו fines illius: omnis qui tetigerit montem, morte morietur:" quo praecepto, ut cuique patet, Hebraei non intra, sed extra montis terminum consistere jussi: ac proinde tota Adversarii conclusio proprio veluti gravata pondere corruat necesse est. Falso pariter se habet Co-

---

[149] Gen. cap. xiii. v. 6.
[150] Exod. xvi. v. 35.
[151] Josue cap. v. v. 12.
[152] Col. sec. part. cap. vi. § 261.
[153] Exod. cap. xix. v. 12.

lenso, dum ex hoc Levitici loco: "[154] Cavete ergo ne et vos similiter evomat, cum paria feceritis, sicut evomuit gentem, quae fuit ante vos:" evincere enititur jam Chananaeos deletos quando haec Pentateuchi pars litteris fuit consignata: nam ut nihil dicam de illo usu penes Hebraeos [155] recepto, praeteritum prae futuro usurpandi, sat mihi est in lucem inque medium edere, quae paullo antea hoc in capite habentur: "[156] Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatae sunt universae gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum: et quibus polluta est terra: cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos:" ubi clare ac diserte innuitur nondum Chananaeos propriis e sedibus esse deturbatos. Praeterea falso recentiorem Pentateuchi aetatem evincere se posse retur ex illo Deuteronomii loco: "[157] In Seir autem prius habitaverunt Horrhaei quibus expulsis atque deletis, habitaverunt filii Esau, sicut fecit Israel in terra possessionis suae, quam dedit illi Dominus:" parum scite contendendo in Deuteronomio per illa verba: "[158] terra possessionis suae" terram Chanaan tantum designari: nam ex eo quod haec etiam in Deuteronomio per illa verba indicatur, nullo pacto, nulloque jure sequitur terram regis Sehon atque Og, quam jam Hebraei potiti erant, ac de qua heic agitur haud potuisse Moysen iisdem verbis cohonestare: et hoc praesertim quum Deus tempora futura Abrahamo rete-

(154) Lev. cap. xviii v. 28.
(155) Conf. Ges. § 124.
(156) Lev. cap. xviii. v. 24.
(157) Deut. cap. ii. v. 12.
(158) Deut. cap. iv. v. 1.

gens promiserit: "[159] Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Aegypti, usque ad fluvium magnum Euphratem."

140. At Colenso haud hisce contentus praeter nonnulla recentioris aetatis signa ex illis Pentateuchi locis deprompta, in quibus historia illius qui [160] ligna die sabbati colligebat, et regis Og [161] lectuli, aliorumque id generis delibatur, summa prorsus inscitia adhuc alia urget argumenta illis ex locis desumpta, in quibus uberior nonnullorum locorum descriptio, nec non ellogia, quibus Moysis indoles atque virtutes celebrantur occurrunt. Ingenue enim profitetur nullo modo sibi persuadere potuisse Moysen in nonnullis locorum atque rerum descriptionibus, quae nihil utilitatis praeferre poterant, plus aequo indulsisse. Eequid enim utilitatis praefert, ait ille, situs Arnon descriptio sequentibus expressa: "[162] Quem relinquentes castrametati sunt contra Arnon, quae est in deserto, et prominet in finibus Amorrhaei: siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas, et Amorrhaeos:" vel altera huic similis: "[163] Undecim diebus de Horeb per viam montis Seir usque ad Cadesbarne:" quum loca, quae graphice heic Moyses describit prorsus Hebraeis cognita fuerint? Itemque nullius frugis esse contendit Adversarius et alias descriptiones, quae in Deuteronomio occurrunt, ex: gr: illa in qua legitur: "[164] Dixitque Dominus ad me: non

(159) Genes. cap. xv. v. 18.
(160) Numer. cap. xv. v. 23.
(161) Deut. cap. iii. v. 11.
(162) Numer. cap. xxi, v. 10-15.
[163] Deut. cap. i, v. 2.
(164) Deut. cap. ii. v. 9-12.

pugnes contra Moabitas, nec ineas adversus eos praelium: non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Lot tradidi Ar in possessionem. Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus et validus, et tam excelsus, ut de Enacim stirpe quasi gigantes crederentur, et essent similes filiorum Enacim. Denique Moabitae appellant eos Emim. In Seir autem prius habitaverunt Horrhaei quibus expulsis atque deletis, habitaverunt filii Esau, sicut fecit Israel in terra possessionis suae:" vel altera huic similis: "[165] Et accedens in vicina filiorum Ammon cave, ne pugnes contra eos, nec movearis ad praelium: non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Lot dedi eam in possessionem. Terra Gigantum reputata est: et in ipsa olim habitaverunt gigantes, quos Ammonitae vocant Zomzommim, populus magnus, et multus, et procerae longitudinis, sicut Enacim, quos delevit Dominus a facie eorum, et fecit illos habitare pro eis, sicut fecerat filiis Esau, qui habitant in Seir, delens Horrhaeos, et terram eorum illis tradens, quam possident usque in praesens. Hevaeos quoque, qui habitabant in Haserim usque Gazam, Cappadoces, expulerunt: qui egressi de Cappadocia deleverunt eos, et habitaverunt pro illis." Ad haec, praeter Moseos obitus[166] historiam, quam omnes, Josepho et Philone exceptis, prouti ipse[167] Adversarius testatur, a recentiore Moysi scriptore Pentateucho insertam esse docent, et alia permulta in-

---

(165) Deut. cap. ii. v. 19-23.
(166) Deut. cap. xxxiv. v. 1 et seq.
(167) Colen. sec. par. cap. vi. § 279.

venit, quae nullo modo de se ipso Moysen scribere potuisse contendit, illa scilicet ellogia, quibus Moysis virtutes celebrantur: cujusmodi sunt: "[168] Fuit Moyses vir magnus valde in terra Aegypti coram servis Pharaonis et omni populo:" vel illa: "[169] Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra:" vel illa: "[170] Iste est Aaron, et Moyses, quibus praecepit Dominus, ut educerent filios Israel de terra Aegypti per turmas suas. Hi sunt qui loquuntur ad Pharaonem regem Aegypti: ut educant filios Israel de Aegypto: iste est Moyses et Aaron:" tandemque illa: "[171] Quod si per ignorantiam praeterieritis quidquam horum, quae locutus est Dominus ad Moysen, et mandavit per eum ad vos a die, qua coepit jubere et ultra:" vel ideo quod nullo modo, Moysen captandae gloriae studio in hisce conscribendis actum fuisse, credibile videtur: imo idipsum Colenso ulterius urgere videtur ex eo, quod heic scriptor in tertia persona loquitur quod dubio procul non fecisset Moyses.

141. At in hisce omnibus actum egit Colenso, et oleum operamque insumpsit: quum enim Moyses Hebraeorum historiam non ad eorum institutionem tantum exarasset, qui magna eorum quae heic narrantur, pars fuerunt, sed etiam posteriorum aetatum in commodum, quod clare innuit illo praecepto: "[172] Convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei

(168) Exod. cap. xi. v. 3.
(169) Num. cap. xii. v. 3.
(170) Ex. cap. vi. v. 26-27.
(171) Num. cap. v. v. 22-23.
(172) Deut. cap. xxxi. v. 11.

tui, in loco, quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israel: " ecquis contendat, Moysen in hisce omnibus conscribendis oleum operamque perdidisse, insipienterque sese gessisse? Neque tandem minus genuinus evadit Pentateuchus, quia nonnullis in locis Moseos virtutes celebrantur: Moyses enim totam gloriam non sibi sed soli Deo, qui magnum illum fecit, adtribuit, inquiens: " [173] Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Aegyptiis: " praeterea Moyses adeo humilis erat, ut propria peccata scriptis consignare non erubesceret: tandem in talibus rerum adjunctis versabatur, prouti ex contextu [174] patet, in quibus et ipse Paulus [175] constitutus praecipua suae vitae facta, divinaque charismata, quibus cumulatus, [176] enarravit. Nullum igitur praesidium ad suam sententiam constabiliendam ex his omnibus, quae hucusque refutavimus, Colenso esse potest.

142. At Colenso adhuc instat, nobisque et illum peculiarem divinorum nominum אלהים et יהוה usum tertio loco [177] obtrudit. Ipse enim recentiorum Rationalistarum placitis innixus nobis venditare enititur Pentateuchum non a Moyse sed a duobus saltem scriptoribus longe ab ipso diversis, quorum alteri nomen Dei אלהים a iaeque [speciales locutiones, alteri vero nomen יהוה aliique dicendi modi familiares erant, fuisse conscriptum. Nos vero, dum hunc diversum divinorum nominum usum

(173) Ex. cap. xi. v. 3.
(174) Num. cap. xii. v. 1-2.
(175) 2. Cor. cap. x. v. 10.
(176) 1. Cor. cap. ii. v. 11.
(177) Colen. part. sec. cap. ii, § 211. et seq.

agnoscimus, absolute tamen negamus alios et non Moysen Pentateucho conscribendo suas admovisse manus. Et sane: praetermissis, quae nullius frugis nobis videntur, quaeque nimis a nostro proposito distraherent, disputationibus, quod proposuimus evincimus 1°, ex diserta Christi testificatione. Christus enim uno eodemque auctori, Moysi nempe, tum Pentateuchi loca, in quibus nomen אלהים tum ea, in quibus nomen יהוה occurrit, adtribuit: apud Marcum enim dixit: " Non [178] legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? " quae postrema verba ita jacent in Pentateucho [179] ויאמר אנכי אלהי אביך אלהי אברהם אלהי יצחק ואלהי יעקב Et dixit: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob: " et apud Mathaeum haec illi, quem a lepra sanarat, praecepit: " [180] Vide, nemini dixeris; sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod praecepit Moyses, in testimonium illis: " at hujusmodi praeceptum in illa Pentateuchi parte consignatum est, in qua nomen Dei יהוה plus vice simplici repetitum [181] occurrit. Non modo praepostere igitur, verum impie Colenso Rationalistarum more ex divinorum nominum, quae ad quaedam intervalla in Pentateucho occurrunt, usu ipsius Pentateuchi genuinitatem negare ausus est.

Idipsum evincimus 2, ex ipsa perplexitate, in qua

(178) Mar. cap. xii. v. 26.
(179) Ex. cap. iii. v. 6.
(180) Math. cap. viii. v. 4.
(181) Lev. cap. xiv. v. 1-33.

fautores theoriae a Colenso proclamatae miserrime versantur. Adversarius enim contra universalem atque constantem omnium aetatum fidem in Pentateuchi genuinitatem non modo recentiorem verum etiam summis tricis, summaque confusione involutam theoriam invexit: ita ut et ipse Rationalista Nicolas suam hac de re perplexitatem sequentibus efferre haud dubitaverit, inquiens: "[182] Haec confusio circa Pentateuchi compositionem . . . vitio radicali afficit majorem criticorum partem, qui in Germania Pentateuchi originem atque compositionem investigare susceperunt." Quae quum ita se habeant ecquis adeo hisce cerebrosis atque sibi mutuo excludentibus commentis deferre velit, ut parvi imo despectui quod tum Synagoga, tum Christi Ecclesia semper quoad Pentateuchi genuinitatem docuit, habere non erubescat?

Idipsum tandem 3. evincimus ex absurdis, quae ex critices principio a Colenso jacto profluere deprehenduntur. Quidquid enim de potestate hisce duobus divinis nominibus subjecta dicant Adversarii, velint nolint, id unum nobis concedere tenentur, haec duo divina nomina in Pentateucho de Supremo Numine praedicari, et praeter ideas secundarias, quas praeferunt, in unam tantum principaliorem conspirare, ac proinde tamquam duo perfecta synonima accepienda esse. Ubi igitur ex diverso harum vocum usu diversitatem auctoris, prouti fingit Colenso, arguere debemus, nullus procul dubio liber, qui ab antiquis temporibus ad nos usque devenit, tamquam genuinum auctoris, cui communiter adtribuitur, opus haberi posset, quum in omnibus synonimorum diversitatem

---

(182) Nicol. etud. Critiq. sur la Bib. p. 27.

invenire est datum: quod est absurdum. Irrito conatu igitur diversitatem auctoris Adversarius noster urgere praesumpsit, partesque, quas hisce competere finxit, indicare.

143. Colenso tandem suam sententiam constabilire [183] enititur ex eo, quod dum in prioribus Pentateuchi libris nonnisi protracta rerum historia, minutaeque tum Tabernaculi, tum etiam sacrificiorum descriptiones simplici ac rudi stylo exaratae occurrunt, Deuteronomium vero magnifici poematis sublimi dicendi modo conscripti speciem praeferre videtur. At actum heic, prouti in superioribus disputationibus, egit, tempusque frustra insumpsit: nam etiam in libris profanis juxta rerum narratarum indolem atque naturam unius ejusdemque auctoris stylum differre perspicimus. Imo quod capitalius, Adversarius non ideo hanc styli diversitatem contra Pentateuchi genuinitatem urget, quia illi impossibile videtur, Moysen potuisse sublimiori stylo Deuteronomium conscribere, sed quia historiam in libro Exodi narratam prorsus esse falsam, aliosque Pentateuchi libros longe post Moysen exaratos fuisse invicte demonstrasse [184] contendit. At quum haec sint in caussa, nos, qui prorsus vana, prorsusque imbecilla esse argumenta ab Adversario contra Pentateuchum prolata ostendimus, optimo jure hanc styli diversitatem a Moyse factam esse contendimus. Quum igitur ea omnia, quae Adversarius ex apparentibus antilogiis, ex signis recentioris aetatis, ex divinorum nominum אלהים et יהוה usu, tandem ex styli diver-

(183) Colen part. tertia cap. i. § 538-555.
(184) Colen. loc, cit. § 541.

sitate, contra Pentateuchi genuinitatem in medium inque lucem protulit, vana esse constet, tandem aliquando fas licitumque est asserere Pentateuchum ex characteribus sibi intrinsecis inspectum non alium quam Moysen tamquam scriptorem sibi vindicare.

CAPUT II.

Eadem Pentateuchi genuinitas argumentis extrinsecis comprobatur:—Et in primis Hebraeorum hac de re traditio constans ac universalis perhibetur 1. tempore Judicum:—2, tempore Regum: 3, tempore captivitatis Babylonicae: 4, tandem post hanc captivitatem usque ad novissimam Judaicae Reipublicae eversionem.

144. Quum heic agatur de quaestione facti, deque re historica, ac proinde de re, quae tantum testibus ac legitimis instrumentis vere solideque dirimi potest, proposito argumento interno, ad argumenta, quae externa audiunt, animum sedulo convertamus oportet. Ne vero numero et quantitate testium, qui hac in disputatione proferri possent, obruamur, singulos singulis disputationibus examinandos esse ducimus. Jam vero primo loco sese prodit constans atque universalis totius Hebraicae gentis hac de re testificatio, quae per omnes Reipublicae aetates haud parvum genuinitati Pentateuchi suffragium edidit.

145. Et sane: constans atque universalis sensus Hebraeorum fuit tempore Judicum, quando scilicet adhuc

in vivis agebat[1] Phinees Aaroni nepos ac Moysi[2] coaevus. Nam omissis, quae ex libro[3] Josue urgeri possent, testimoniis, in libris, qui gesta factaque hujus temporis nobis referunt, unde Judicum nomen hisce libris datum, clare distincteque praecepta Moseos commemorantur: legitur enim: " [4] Dimisitque eos, ut in ipsis experiretur Israelem, utrum audiret mandata Domini, quae praeceperat patribus eorum per manum Moysi, an non." Ad haec, praeter nonnulla Pentateuchi[5] praecepta in particulari commemorata, passim occurrit mentio[6] domus Dei, [7] arcae foederis, [8] Sacerdotum ac Levitarum Dei tabernaculo inservientium, [9] vestium Sacerdotalium, [10] sacrificiorum, [11] solemnitatum anniversariarum etc. heic etiam populus Dei tabernaculum consultum[12] petens, idolorum altaria[13] evertens, voto nazaraeatus sese[14] obtringens, aliosque id genus religiosos actus exercens exhibetur. Quae omnia, sublata Pentateuchi genuinitate, prorsus inexplicabilia evaderent. Hisce similia occurrunt etiam

---

(1) Jud. cap. xx. v. 28.
(2) Ex. cap. vi. v. 25.
(3) Jos. cap. iv. v. 12. viii. v. 31-35 et alibi.
(4) Jud. cap. iii. v. 4.
(5) Jud. cap. vi. v. 28. xi. v. 35. xiv. v, 3-9.
(6) Jud. cap. xi. v, 18.
(7) Jud. cap. cit. v. 27.
(8) Jud. cap. cit. v. 28. vii. v. 13.
(9 Jud. cap. xvii. v. 5.
(10 Jup. cap. xx. v. 26.
(11) Jud. cap. xxi. v. 19.
(12) Jud. cap. xi. v. 18-29.
(13) Jud. cap. vi. v. 28.
(14) Jud. cap. xiii. v. 5.

in libro nomine Ruth [15] designato. Clare igitur constat constantem fuisse prima Hebraeorum Reipublicae aetate penes Hebraeos de Pentateuchi genuinitate persuasionem.

146. Judicum aetatem immediate illa excepit, qua filii Israel sibi regem expostularunt, quo tempore universalis sibique constans etiam fuit hac de re Hebraeorum sensus. Nam in libris, qui historiam 614 fere annorum complectuntur, a pontificatu nempe Heli, qui fuit quartus post Phinees Summus Sacerdos usque ad quadragesimum quintum annum captivitatis Babylonicae, haud obscura hujus persuasionis occurrunt indicia. Heic enim ita Samuelem Saul regem recens jussum adlocutum invenimus: " [16] Haec dicit Dominus exercituum: recensui quaecumque fecit Amalec Israeli: quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Aegypto. Nunc ergo vade et percute Amalec, et demolire universa ejus: non parcas ei, et concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum, atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum: " Saul vero, paratis omnibus ad bellum gerendum necessariis, ita Cinaeum hortatum fuisse legimus: " [17] Abite, recedite, atque descendite ab Amalec: ne forte involvam te cum eo: tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de Aegypto. " Atqui haec omnia cum iis, quae in Pentateucho consignata sunt, apprime concordant atque cohaerent. Pariterque haec de peccato a filiis Heli admisso scripta inveniuntur:

(15) Ruth cap. iv. v. 7-12.

(16) 1 Reg. c. xv. v. 2-3. col. Ex. xvii. v. 8.

(17) 1 Reg. cap. cit. v. 6.

"[18] Filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum: sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua: et mittebant eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum: et omne quod levabat fuscinula tollebat sacerdos sibi: sic faciebant universo Israeli venientium in Silo. Etiam antequam adolerent adipem veniebat puer sacerdotis, et dicebat immolanti: da mihi carnem ut coquam sacerdoti: non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam: dicebatque illi immolans: incendatur primum juxta morem hodie adeps, et tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens ajebat ei: nequaquam, nunc enim dabis, alioquin tollam vi." At filii Heli non alia de caussa in hisce omnibus damnantur, ac tum Dei, tum proprii officii immemores traducuntur, nisi quia in Pentateucho praeceptum erat, ut [19] offerens Sacerdoti armum et ventriculum daret, ac proinde injuste Sacerdos quidquid ei libuerit sibi sumere audebat, itemque quia in hostiis pacificorum caro cocta non vero adhuc cruda Sacerdotum in commodum cedere [20] poterat. Igitur per illud tempus praecepta caeremonialia Pentateucho consignata non modo Sacerdotibus, sed etiam universo populo comperta fuerunt, licet ausu temerario imo nefando ea filii Sacerdotis temerare non erubescerent, unde summum illud malum enatum, quod populus sese a sacrificio Domini retrahebat.

(18) 1 Reg. cap. ii. v, 12-17.
(19) Deut. cap. xviii. v. 3.
(20) Lev. cap. iii. v. 3-5.

Post ea, quae ex primo Regum libro in lucem inque medium protulimus haud necessum est omnia loca persequi, in quibus diserta de [21] religioso cultu, de [22] arca foederis Domini exercituum, de [23] Sacerdotibus ac [24] Levitis, quibus res sacra commissa, deque [25] pluribus aliis id generis mentio occurrit: quum ea, quae de filiis Heli narrantur, clare innuant totum sacrificiorum systema Pentateucho consignatum jamdiu executioni demandatum fuisse. Praeterea hisce prorsus consona sunt, quae in reliquis Regum libris [26] occurrunt. Ne vero plus quam par est in scriptura ex hisce libris alleganda excurramus, sat nobis erit innuisse in secundo et tertio Regum libro [27] David et [28] Salomonem reges commemorari, quorum alter in Psalmis a se conscriptis totus in eo est ut Moysen, sanctamque legem ab illo traditam [29] celebret; alter vero ne latum quidem unguem in splendido Templo [30] excitando, et in suis subditis recte informandis a Mosaicis praeceptis discedere voluit, imo explicitis Pentateuchi sententiis in suis Proverbiis [31] exarandis usus est. Imo in tertio et quarto Regum libro praeter multas

(21) 1 Reg. cap. ii. v. 12-17.
(22) 1 Reg. cap. iii, v. 3, et cap. iv. v. 3-4.
(23) 1 Reg. cap. ii. v. 12-17.
(24) 1 Reg. cap. vi. v. 13.
(25) 1 Reg. cap. i. v. 3-7.
(26) 2 Reg. cap. ii. v. 4. cap. vii. v. 6. cap. xxii. v. 1. et alibi.
(27) 2 Reg. cap. v. v. 4. et alibi passim.
(28) 3 Reg. cap. i. v. 39. et alibi.
(29) Psalm. lxxvii-civ-cvi-cxiii-cxiv.
(30) 3 Reg. cap. vi. v. 1-38.
(31) Prov. cap. x. v. 27. cap. xi. v.1. cap. xiii. y. 13. cap. xix. v. 16. cap. xx. v. 20-23.

ad Pentateuchum [32] allusiones explicitis verbis legem Moseos celebratam invenimus: David enim aetate confectus, quum sibi finem vitae adesse intelligeret, haec cum Salomone verba habuisse in tertio Regum libro perhibetur: "[33] Observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut custodias caeremonias ejus, et praecepta ejus, et judicia et testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi; ut intelligas universa, quae facis, et quocumque te verteris:" et in quarto libro vel ideo prae ceteris laudatur Amasias quia, quum ultionem sumpsisset de iis, qui regem patrem suum necarant: "[34] Filios autem eorum, qui occiderant, non occidit, juxta quod scriptum est in libro legis Moysi, sicut praecepit Dominus, dicens: non morientur patres pro filiis, neque filii morientur pro patribus: sed unusquisque in peccato suo morietur;" itemque ideo Ezechiae virtutes heic celebrantur, quia: "[35] Adhaesit Domino, et non recessit a vestigiis ejus, fecitque mandata ejus, quae praeceperat Dominus Moysi:" tandem ita Dominus Davidi atque Salomoni promittens inducitur: "[36] Ultra non faciam commoveri pedem Israel de terra, quam dedi patribus eorum si tamen custodierint opera omnia, quae praecepi eis, et universam legem, quam mandavit eis servus meus Moyses." Ubi igitur libros regum tantum perlustrare velimus, jam satis firmum argumentum pro

[32] 3 Reg. cap. xii. v. 28: vi. v. 32: 4 Reg. cap. xi. v. 12: xii. v. 4-5. et alibi.

(33) 3 Reg. cap. ii. v. 3.

(34) 4 Reg. cap. xiv. v. 6.

(35) 4 Reg. cap. xviii. v. 5.

(36) 4 Reg. cap. xxi. v. 8.

Hebraeorum persuasione quoad Pentateuchi genuinitatem tempore Regum asserenda obtrudere possimus; sed ad majorem hujus veritatis confirmationem Prophetarum, qui per illud tempus floruere, hac de re testimonia in medium inque lucem edere optimum factum ducimus.

147. Et sane: regnantibus Ozia, Joathan, Achaz, et Ezechia munus propheticum Isaias [37] perfunctus est. Iste vero plura facta historica ex Pentateucho desumpta suis in scriptis memoravit: sic Hebraeorum transitum siccis per medium erythraeum vestigiis [38] commemoravit; pariterque et diluvium [39] Noeticum et Iacobi cum suis [40] ingressum in Aegyptum allegavit: imo quod capitalius ita populum Israel variis malis conflictatum gementem lacrimantemque inducit: " [41] Et recordatus est dierum saeculi Moysi, et populi sui: ubi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? Ubi est qui posuit in medio ejus spiritum sancti sui? Qui eduxit ad dexteram Moysen brachio majestatis suae, qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum? Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem." Pariterque Ezechiel praeter nonnulla praecepta manifeste ex Pentateucho [42] desumpta, ea fere omnia, quae Habraeis in deserto contigisse in Pentateucho narrantur, compendio sequentibus extulit, inquiens: " [43] Ejeci

[37] Is. cap. i. v. 1.
[38] Is. cap. li. v. 10.
[39] Is. cap. li. v. 9.
[40] Is. cap. lii. v. 4.
[41] Is. cap. lxiii. v. 11-13.
[42] Ezech. cap. iv. v. 6: xliv. v. 22-31. et cap. xlv. v. 12.
[43] Ezech. cap. xx. v. 10-14.

ergo eos (ait Dominus) de terra Aegypti, et eduxi eos in desertum. Et dedi eis praecepta mea, et judicia mea ostendi eis, quae faciens homo, vivet in eis. Insuper et sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me et eos, et scirent quia ego Dominus sanctificans eos. Et irritaverunt me domus Israel in deserto, in praeceptis meis non ambulaverunt, et judicia mea projecerunt, quae faciens homo vivet in eis: et sabbata mea violaverunt vehementer: dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos in deserto, et consumerem eos. Et feci propter nomen meum, ne violaretur coram gentibus, de quibus ejeci eos in conspectu eorum." Quo ex testimonio praeter Hebraeorum praevaricationes in deserto, de quibus fuse egit Moyses in suo Pentateucho, clare eruitur praecepta, quae posterioribus aetatibus Hebraei quandoque transgressi sunt, ipso peregrinationis tempore, ac proinde a Moyse fuisse in lucem inque medium edita. Nec ab hisce Prophetis Ieremias dissentit sed, ut scite animadvertit Augustus [44] Kueper contra [45] Bohlen agens, qui Deuteronium tempore Iosiae a Ieremia exaratum fuisse contendebat, uberiores quidem suis in scriptis ex Pentateucho allegationes protulit. Ne vero in horum locorum enumeratione plus quam par est excurramus, nonnulla, quae praestantiora atque selectiora nobis videntur, urgemus. Et sane: Ieremias de servitute, qua Hebraei alios Hebraeos opprimebant, agens, ita Dominum

[44] Aug. Kuep. Jer. libr. sacr. interpr. atque vindex pag. 1, et sequ.

[45] Bohl. comment. in Genes.

loquentem inducit: " [46] Haec dicit Dominus Deus Israel: Ego percussi foedus cum patribus vestris, in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de domo servitutis, dicens: Cum completi fuerint septem anni, dimittat unusquisque fratrem suum Hebraeum, qui venditus est ei, et serviet tibi sex annis: et dimittes eum a te liberum: et non audierunt patres vestri me, nec inclinaverunt aurem suam: " itemque Jeremias Deum deprecans illa ipsa verba usurpavit, quibus Moyses in similibus rerum adjunctis usus est, inquiens: " [47] Domine Deus . . . qui facis misericordiam in millibus, et reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post eos: fortissime, magne, et potens, Dominus exercituum nomen tibi. " Hisce testimoniis optimo quidem jure ea, quae in eamdem sententiam Barùch immediatus Jeremiae discipulus protulit, adjicimus. Ipse enim de captivitate, deque ceteris malis ab Hebraeis perpessis agens, ingenue profitetur ea omnia, quae Deus per Moysen minatus, adimpleta, inquiens: " [48] Ut adduceret Dominus super nos mala magna, quae non sunt facta sub coelo, quemadmodum facta sunt in Jerusalem, secundum quae scripta sunt in lege Moysi: " et alibi Deum deprecans, ut tot tantisque malis finem facere dignetur, ait: " [49] Sicut locutus es in manu pueri tui Moysi, in die qua praecepisti ei scribere legem tuam coram filiis Israel. " Hisce consona tandem sunt, quae ex Prophe-

---

[46] Jer. cap. xxxiv. v. 13-14.
(47) Jer. cap. xxxii. v. 17-18.
[48] Bar. cap. ii. v. 2.
(49) Bar. cap. cit. v. 28.

tis, qui minores audiunt: cujusmodi sunt [50] Oseas, [51] Amos, [52] Abdias, [53] Micheas, aliique, qui tunc temporis floruerunt, nec non ex libris [54] Paralipomenon ad rem nostram in medium inque lucem edere possumus. Quae quum ita se habeant, nemini dubium esse potest, constantem atque universalem a temporibus Judicum usque ad captivitatem Babylonicam fuisse Hebraeorum quoad Pentateuchi genuinitatem persuasionem.

148. At constans etiam atque universalis fuit hac de re Hebraeorum sensus tempore captivitatis Babylonicae. Daniel enim in captivitate constitutus super hujusmodi mala ingemiscens, ac pectore ab imo suspiria ducens sequentibus divinam indignationem placare satagebat, inquiens: " [55] Tibi autem Domino Deo nostro misericordia et propitiatio, quia recessimus a te . . Omnis Israel praevaricati sunt legem tuam, et declinaverunt ne audirent vocem tuam, et stillavit super nos maledictio, et detestatio, quae scripta est in libro Moysi servi Dei, quia peccavimus ei." Et delibatis gravioribus malis subdit: " [56] Sicut scriptum est in lege Moysi, omne malum hoc venit super nos: et non rogavimus faciem tuam, Domine Deus noster." Pariterque de optima Susannae educatione agens, haec ad rem nostram habet: " [57] Parentes illius,

[50] Os. cap. xii. v. 1-14.
(51) Am. cap. ii. v: 9-10: cap. iv. v. 1.
[52] Abd. cap. i. v. 10.
(53) Mich. cap. vi. v. 4-5-15.
(54) 1 Paral. cap. vi. v. 49: cap. xv. v: 15: cap. xxii. v. 13: 2 Par. cap. xxiv. v. 6. et alibi.
[55] Dan. cap. xi. v. 9-11.
[56] Dan cap. cit. v. 13.
(57) Dan. cap. xiii. v. 3.

cum essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi: " tandem, de mendacio convictis duobus senibus ac populi judicibus, sequentibus hanc historiam absolvit: "[58] Et consurrexerunt adversus duos presbyteros . . . feceruntque eis sicut male egerant adversus proximum: ut facerent secundum legem Moysi, et interfecerunt eos: et salvatus est sanguis innoxius in die illa." Praeterea, eadem captivitate durante, haec Raguel in adventu Tobiae similiter protulit: "[59] Non dubito, quod Deus preces, et lacrymas meas in conspectu suo admiserit. Et credo, quoniam ideo fecit vos venire ad me, ut ista conjungeretur cognationi suae secundum legem Moysi." Ex quibus testimoniis liquido patet etiam captivitatis tempore fidem in Pentateuchi genuinitatem inviolabiliter penes Hebraeos perseverasse, quae postea de aetate in aetatem veluti per manus tradita ad nos usque certa atque rata pervenit.

149. Et sane: immediate post reditum ab hac captivitate, mense ab eorum liberatione septimo: "[60] Surrexit Josue filius Josedec, et fratres ejus sacerdotes . . . aedificaverunt altare Dei Israel, ut offerrent in eo holocaustomata, sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei." Praeterea praeter alia multa, quae juxta hujus legis praescriptiones [61] fecerunt, excitato e fundamentis Templo, ac solemni ritu dedicato, "[62] Statuerunt sacerdotes in ordinibus suis, et Levitas in vicibus suis super opera

(58) Dan. cap. cit. v. 61-62.
[59] Tob. cap. vii. v. 13-14.
[60] 1 Esdr. cap. iii. v. 2.
[61] 1 Esdr. cap. cit. v, 4-10-11: et alib.
[62] 1 Esdr.cap. vii. v. 18.

Dei in Jerusalem, sicut scriptum est in libro Moysi." Rursus post aliquot annos Esdras [63] scriba velox in lege Moysi in patriam reversus in universo populo ad recte facta informando sedulam collocavit operam: legitur enim: "[64] Congregatus est omnis populus quasi vir unus, ad plateam, quae est ante portam aquarum, et dixerunt Esdrae scribae, ut afferret librum legis Moysi, quam praeceperat Dominus Israeli." Eodem tempore Nehemias veniam peccatorum populi Deum oraturus accedens, haec habuit: "[65] Vanitate seducti sumus, et non custodivimus mandatum tuum, et caeremonias, et judicia, quae praecepisti Moysi famulo tuo. Mementote verbi, quod mandasti Moysi servo tuo, dicens: cum transgressi fueritis, ego disperdam vos in populos: et si revertamini ad me . . . congregabo vos, et reducam in locum, quem elegi, ut habitaret nomen meum ibi . . . obsecro, Domine, sit auris tua attendens ad orationem servi tui." Quae testimonia adeo clara sunt, ut a singulis tum Esdrae tum Nehemiae gestis, quae nostram sententiam ulterius collustrant, comprobantque, enumerandis prorsus abstinendum ducamus. Non est tamen silentio praetereundum sicut et alia multa Prophetarum, qui per illud tempus floruerunt, [66] Aggaeus nempe et [67] Zaccarias, oracula, illud celeberrimum nostrae sententiae testimonium a postremo Prophetarum, Malachia nempe, nobis exhibitum. Hic enim ita Deum Hebraeos commonentem

---

[63] 1 Esdr. cap. cit. v. 7.
[64] 2 Esdr cap. viii. v. 1.
[65] 2 Esdr. cap. i: v: 7-11.
[66] Agg. cap. i. v. 6.
[67] Zacc. cap. vii. v. 10.

inducit: "[68] Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, praecepta et judicia.". Quae cum ita se habeant, optimo jure cum Kueper concludimus: "[69] Omnes libri prophetici vestigiis Pentateuchi abundant, et sola haec ratio diligentius perpensa . . . ad eos refutandos sufficit, qui Pentateuchum Prophetarum tempore nondum redactum fuisse statuant."

150. Praeterea quod longe post captivitatem Babylonicam semper sibi constans, sibique cohaerens fuerit Hebraeorum de Pentateuchi genuinitate persuasio, evincitur a solemni hac de re Magnae Synagogae judicio lato in canone librorum, quem Esdrinum vocant, conficiendo. Ex his enim, quae de hoc librorum canone [70] Josephus Flavius, [71] et Thalmudistae referunt, conjicere possumus Prophetas, qui post captivitatem vixerunt, et praesertim Esdram singulos, qui tunc exstabant, libros recognovisse, repurgasse, et cuilibet fere volumini proprii auctoris apposuisse nomen, quo facto, accedente magnae Synagogae auctoritate, hos libros in canonem redactos tamquam genuinos et divinitus inspiratos toti Judaeorum genti exhibitos fuisse. At hoc in canone nobis a Josepho relato primum atque principem libri Moseos obtinent locum: legitur enim: "[72] Infiniti libri non sunt apud nos discordantes et sibimet repugnantes, sed solummodo viginti duo habentes temporis totius descri-

(68) Mal. cap. iv. v. 4.
(69) Kuep. oper. cit. pag. 48.
[70] Joseph. contr. Apion. lib. I. § 8.
[71] Thalm. Babyl. trac. Baba Bat.
[72] Joseph. loc. cit.

ptionem, quorum juste fides admittitur. Horum quinque sunt Moseos, qui nativitatem continent, et humanae generationis traditionem usque ad ejus mortem." Hinc factum est, ut tempore Antiochi Epiphanes, licet Judaei ut plurimum vitam dissolutam [73] agerent, tamen eorum plerique impiis hujus regis [74] jussionibus, cujusmodi et illa erat librum legis concremandi, non modo non paruerint, verum mortem gloriosam oppetere [75] maluerint. Jam vero haec omnia, sublata persuasione de Pentateuchi genuinitate atque divina inspiratione, prorsus inexplicabilia evaderent.

Haec eadem persuasio viguit seculis insequentibus uti constat ex historia Versionis Alexandrinae. Ex [76] Josepho enim Flavio, [77] Philone, multisque Ecclesiae [78] Patribus pro comperto habemus, Ptolemaeum Philadelphum, magna bibliotheca excitata, legationem ad Eleazarum Judaeorum Summum Sacerdotem misisse, eumque rogasse, ut libros legis hebraica lingua conscriptos, et idoneos viros, qui hos possent in graecam linguam recte transferre sibi mitteret. Regis genio indulgens Eleazarus misisse fertur duos et septuaginta viros, sex nempe ex unaquaque Tribu, secum ferentes Scripturae exemplar aureis litteris descriptum, qui spatio duorum et septuaginta dierum versionem hanc, Alexandrinam dictam, perfecerunt. Qua versione tandem omnes

---

[73] I Macab. cap. i. v, 16.
(74) I Macab cap. cit. v. 43-60.
(75) I Macab. loc. cit.
[76] Josep. lib. xxii Antiq. cap. 2.
[77] Phil. lib. 2. de Vit. Moys.
[78] Just. Tertul. Hilar. aliique.

Hebraei Hellenistae per universam Asiam, Aegyptum dispersi utebantur. Hinc clare constat etiam per hanc aetatem persuasionem quoad Pentateuchi genuinitatem constantem atque universalem penes omnes Hebraeos sive Palaestinenses sive Hellenistas fuisse.

151. Constans tandem atque universalis erat hac de re persuasio novissimis Hebraeorum Reipublicae temporibus. Nimis aperte praeter Rabbinorum deliria tum in utroque Thalmud, tum in suis sacrae Scripturae commentariis exarata Philo et Josephus certiores hac de re nos faciunt. Isti enim non modo testantur hisce splendidis appellationibus " [79] Divina lex, lex Dei, divina legislatio," libros Moysis cohonestari solitos, sed diserte et ipsi eos pro divinis sese habere profitebantur, illos vocantes " divinos [80] libros, divinum [81] verbum, [82] oracula:" et populares suos pari veneratione suscepisse narrabant. Speciminis gratia audiatur Philo Judaeus, qui apud Eusebium haec ad rem nostram habet: " [83] Quippe virum illum (Mosen), quiqui demum is fuerit, usque adeo suspexere, ut quidquid ipsi visum est, probarint universi; atque ita; sive hanc Reipublicae formam, suo ipse sensu arbitrioque descripserit, sive divinitus illam acceperit, eam certe non alteri quam Deo acceptam tulerint totque annorum spatio (certum equidem numerum definire non possum, sed tamen amplius bis mille) ne vocem

[79] Phil. de vita Moys: lib. ii. pp. 656-658: et Joseph. Mach. n.n, 1-9 10 11-13-16

[80] Josep. contr, Ap. lib. i. n. 8.

[81] Phil. de migrat. Abrah. p. 408. et Joseph. Machab. n. 7.

[82] Phil. de vita Moy. lib. ii. p. 662.

[83] Euseb. praep. evang. lib. viii. § 6.

quidem unam in iis, quae scripta reliquit, immutarint: milliesque potius emori, quam legibus aliis vivere moribusque maluerint." Hisce similia habet Josephus, qui postquam plura de legis sibi a Moyse datae origine, deque ejus prae ceteris legibus a graecis sapientibus editis praestantia, in medium inque lucem [84] protulit, tandem concludit: "[85] Nos qui hanc primam legem ex divinae voluntatis arbitrio latam fuisse credimus, eam deinceps violare sine impietate non possumus."

152. Iam vero ea omnia, quae de Hebraeorum sensu sparsim attulimus in unum colligentes hoc argumento Adversarium urgemus. Omnes Hebraei cujusque aetatis et conditionis per omnes, quibus eorum Respublica stetit, aetates in ea constantissma persuasione erant, ut Pentateuchum a Moyse exaratum fuisse crederent; ni igitur turpiter deceptos hac in re eos fuisse dicere velimus, quod tamen est impossibile, et nos Pentateuchum tamquam genuinum Moseos opus suscipiamus oportet.

---

[84] Joseph. Antiq. lib. iii. cap. 8. § 6-9.
[85] Joseph. loc. cit: § 10.

CAPUT III.

Pentateuchi genuinitas ulterius comprobatur ex innumeris Scriptorum Novi Testamenti testificationibus:—Harum summa ad quadruplicem classem redit—Prima illa omnia complectitur loca, in quibus Pentateuchus nomine legis cohonestatur:—ad secundam revocantur illa omnia, in quibus divina ei auctoritas tribuitur:—tertia continentur illa, in quibus explicite Moyses Pentateuchi scriptor declaratur:—quarta tandem varia allegationis genera ex eodem deprompta complectitur.

153. Constans atque universalis semper fuit, prouti superiore disputatione vidimus, Hebraeorum de Pentateuchi genuinitate persuasio: at si non rei veritati sed praejudicatis opinionibus haec innixa fuisset, Christus a Patre missus, ut omnes ignorantiae tenebras in iis, quae ad religionem pertinent, discuteret, divinaque luce hominum mentes collustraret, atque Apostoli, qui eadem mente eodemque consilio ab ipso in Galilaeam primum, postea in universum mundum missi, dubio procul hanc persuasionem emendassent, omnibusque persecutionis generibus spretis, prouti in ceteris doctrinae capitibus ab ipsis factum vidimus, hominum mentes etiam quoad hanc facti speciem ad saniora revocassent. At longe aliter res se habuit: Christus enim atque Apostoli toti in eo erant, ut praejacta Pentateuchi genuinitate, argumenta inde desumerent ad nonnulla, eaque principaliora Christianae religionis capita comprobanda, ita ut innumera in Novi Testamenti scriptis occurrant loca ex Pentateucho desumpta. Hinc ut ordini rerum consulamus, nos haec omnia ad quadruplicem redigimus classem.

154. Et sane: ad primam classem commode revocari

possunt illa loca, in quibus Pentateuchus, prouti Judaeorum in more [1] positum erat, legis nomine cohonestatur. Sic Christus suam a quavis violatae legis suspicione praedicationem vindicabat inquiens: "[2] Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut prophetas: non veni solvere sed adimplere." Itemque mutui amoris, mutuaeque misericordiae praecepta inculcans, ait: "[3] Omnia ergo quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Haec est enim lex, et prophetae." Pariterque Pharisaeorum querelis occurrens discipulos ejus violatae legis accusantium, dixit: "[4] Non legistis in lege, quia Sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt:" itemque sequentibus Scribarum et Pharisaeorum hypocrisim retegit, fortiterque damnavit, inquiens: "[5] Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae: qui decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquistis, quae graviora sunt legis, judicium et misericordiam et fidem." Plura rursus a legis doctoribus sibi proposita juxta legis sententiam solvit atque enodavit: sic speciminis gratia apud Mathaeum invenimus: "[6] Interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum. Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum, et primum mandatum. Secundum

---

(1) Phil. tom. ii. pag. 475 et Joseph. contr. Ap. lib. i. § 8.
(2) Math. cap. v. v. 17.
(3) Math. cap. vii. v. 12.
(4 Math. cap. xii. v, 5.
(5) Math. cap. xxiii. v. 23.
(6] Math. cap. xxii, v. 35-40.

autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetae." Pari modo tandem sese gessit in sua divina missione asserenda: sic quando suorum operum testem habere Patrem ostendere voluit, inquit: "[7] In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso: et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater:" et quando omnes prophetias in seipsum adimpletas fuisse ostendere voluit, dixit: "[8] Omnes enim prophetae, et lex usque ad Joannem prophetaverunt:." et alibi: "[9] Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, dum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in Lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me."

Christi exemplum secuti sunt Apostoli et discipuli. Nam Iohannes Christi prae Moyse excellentiam celebrans dixit: "[10] Lex per Moysen data est; gratia, et veritas per Jesum Christum facta est:" et praeter alia plurima, quae adhuc urgeri [11] possent, ita Philippum Nathanaelem loquentem inducit: "[12] Invenit Philippus Nathanael, et dicit ei: quem scripsit Moysen in lege, et prophetae, invenimus Iesum filium Ioseph Nazareth." Pariterque Lucas de Christi oblatione juxta legis praescriptum peracta agens, haec ad rem nostram habet:

(7) Joh. cap. viii. v. 17-18.
(8) Math. cap. xl. v. 13.
(9) Luc. cap. xxiv. v. 44.
(10) Joh. cap. i. v. 17.
[11] Joh. cap. vii. v. 19-23. viii. v. 5-17. et alibi.
(12) Joh. cap. i. v. 45.

"[13] Postquam impleti sunt dies purgationis ejus (Mariae) secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino." Stephanus etiam Hebraeorum pervicaciam retundens, inquit: "[14] Qui accepistis legem in dispositione angelorum, et non custodistis." Sed quid plura persequar? Omnes enim fere Novi Testamenti Scriptores explicitam de lege Moseos mentionem fecere. Nomine omnium audiatur Paulus, qui non modo in omnibus fere suis [15] epistolis, verum etiam in concionibus a se habitis et in Actis Apostolorum relatis disertam de Moseos lege mentionem fecit: dixit enim: "[16] Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hanc vobis remissio peccatorum annuntiatur, et ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari:" et alibi: "[17] Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt haeresim, sic deservio Patri, et Deo meo, credens omnibus, quae in lege, et prophetis scripta sunt:" tandem alibi: "[18] Exponebat testificans regnum Dei, suadensque eis de Iesu ex lege Moysi, et prophetis, a mane usque ad vesperam." Ex quibus omnibus plane liquet perquam familiare Christo ejusque discipulis fuisse Moysis libros nomine "legis," cohonestare, illisque eorum genuinitatem ratam ac compertam fuisse.

155. Secunda testimoniorum classis illa Novi Testa-

---

(13) Luc. cap. ii. v. 22

(14) Act. cap. vii. v. 53.

(15) Rom. cap. iii. v. 21: 1 Cor. ix. v. 9. Gal. iii. v. 20: Heb. x. v. 28 et alibi.

(16) Actor. cap. xiii. v. 38.

(17) Actor. cap. xxiv. v. 14.

(18) Actor. cap. xxviii. v. 23.

menti loca complectitur, quibus divina Pentateucho auctoritas tribuitur. Huc revocantur 1°. illa loca, in quibus Moseos libri diserte Lex Domini vel mandatum Dei vocantur. Sic Lucas de Christi oblatione, deque ejus intemeratae genitricis purificatione agens sequentibus totam rem absolvit: "[19] Tulerunt illum (Iesum) in Jerusalem ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: [20] quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur: et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini; [21] par turturum aut duos pullos columbarum . . . et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaeam in civitatem suam Nazareth." Pariterque Christus Pharisaeos exprobrans dixit: "[22] Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: honora patrem et matrem, et qui maledixerit patri vel matri, morte morietur. Vos autem . . . irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram." Huc pariter revocantur 2 illa loca, quae hujus legis immutabilitatem efferunt atque extollunt. Christus enim apud Lucam docet: "[23] Lex et Prophetae usque ad Ioannem: ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit. Facilius est autem coelum et terram praeterire, quam de lege unum apicem cadere:" et alibi: "[24] Amen quippe dico vobis,

---

(19) Luc. cap. ii. v. 22-39.
(20) Ex. cap. xiii. v. 3: Numer. viii v. 16.
(21) Lev. cap. xii v. 8.
(22) Math. cap. xv. v. 3-6.
(23) Luc. cap. xvi. v. 16-17.
(24) Math. cap. v. v. 18.

donec transeat coelum et terra, jota unum, aut unus apex non praeteribit a lege donec omnia fiant." At haec omnia nullo modo de Pentateucho praedicari possent, ubi haud esset divinitus conscriptus, ac proinde genuinum Moseos opus.

156. Quod quidem invicte adhuc ostenditur ex tertia illa testimoniorum classe, quibus explicitis verbis edocemur, Moysen esse legis auctorem, eumque Pentateuchum exarasse. Evangelistae enim nobis referunt Christi hostes, ceterosque populares plures quaestiones ex Pentateucho Christo dirimendas proposuisse hac solemni formula usurpata: "[25] Magister Moyses nobis scripsit:" vel illa: "[26] In lege Moyses mandavit:" vel haec altera hisce similis: "[27] Moyses scripsit nobis:" Christumque inducunt hanc persuasionem ulterius comprobantem ac varia argumenta ex iisdem libris depromentem. Et sane: ita exhibetur Christus de resurrectione mortuorum cum Sadducaeis disputans: "[28] Non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob?" et cum Pharisaeis de libello repudii: "[29] Moyses ad duritiam cordis vestris permisit vobis dimittere uxores vestras." Sed quod capitalius, eadem veneratione Moseus scripta prosequenda esse dictitabat, qua sui ipsius verba digna sunt, inquiens: "[30] Si crederetis Moysi,

(25) Marc. cap. xii. v. 19.
(26) Joh. cap. viii. v. 5.
(27) Luc. cap. xx. v. 28
(28) Marc. cap. xii. v. 26.
(29) Math. cap. xix. v 8.
(30) Joh. cap. v. v. 46.

crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit." Hinc factum est, ut quoties auctores Novi Testamenti legem meminerint toties soli Moysi et non alteri adtribuerint. Hoc modo sese gessit Iohannes quando legis Christi excellentiam prae Mosaica [31] exstulit: vel verba Philippi ad Nathanael [32] retulit: vel de circumcisione die Sabbati conferenda [33] egit, vel tandem, ne plura persequar, dum factum adulterae ad Christum adductae nobis narrandum [34] suscepit. Pari modo sese gessit Lucas qui Christi colloquium cum duobus discipulis, qui Emmaus petebant, nobis referens sequentibus verba, quibus eorum incredulitatem exprobravit, suaeque gloriosae resurrectionis veritatem constabilivit, retulit: "[35] O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt prophetae! Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse, et omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis quae de se ipso erant." Pari modo sese gesserunt et reliqui Scriptores, quorum testimonia jam supra retulimus. Ni igitur impii esse velimus, nullo modo post tot tantaque Christi atque Apostolorum testimonia Pentateuchi genuinitatem in discrimen vocare possumus.

157. Quod quidem postremo loco evincimus ex illa locorum classe, in quibus nonnullae Pentateuchi senten-

---

[31] Joh. cap. i: v: 17.
[32] Joh. cap. cit. v. 46.
[33] Joh: cap. vii: 22-23.
[34] Joh: cap: viii: v: 5.
[35] Luc. cap. xxiv. v: 25-27.

tiae nominatim, aliae generatim, aliae tandem aequivalenter a scriptoribus Novi Testamenti allegatae occurrunt.

Et sane: tum Christus tum Apostoli verba Pentateuchi nominatim allegarunt, adjecto scilicet Moseos auctoris nomine. Christus enim violatae legis Judaeos incusans, inquit: " [36] Moyses dixit: honora patrem tuum et matrem tuam. " Petrus item Christi divinitatem coram Hebraeis testificans, dixit: " [37] Moyses quidem dixit: quoniam prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tamquam me: ipsum audietis juxta omnia quaecumque locutus fuerit vobis. " Paulus tandem de gentium vocatione agens haec ad rem nostram habet: " [38] Moyses dicit: ego ad aemulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam. "

Praeterea Pentateuchum adhuc frequentius generatim allegarunt adhibita solemni atque generaliori formula: " Scriptum est Deus loquitur, Deus dicit, Scriptura dicit: " aliisque id genus. Christus enim, peracto quadraginta dierum jejunio, ita Satan, qui eum tentaturus accesserat, exprobravit: " [39] Scriptum est:" et sequuntur verba Deuteronomii: " [40] Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei: " rursus eadem formula: " [41] Scriptum est: " verba Deuteronomii allegavit:

---

(36) Marc. cap. vii. v. 10: coll. cum Exod. cap. xx. v. 12: Deut. v. v. 16.

[37] Act. cap. iii. v. 22. coll. cum Deut. cap. xviii. v. 15.

(38) Rom. x. v. 19: coll. cum Deut. xxxii. v. 21.

[39] Math. cap. iv. v. 4.

(40) Deut. cap. viii. v. 3.

[41] Math. cap. iv. v. 7.

"[42] Non tentabis Dominum Deum tuum:" tandem praemissa eadem formula: "[43] Scriptum est:" Deuteronomium allegavit: "[44] Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies." Imo quod capitalius, non modo Deuteronomium, verum omnes Pentateuchi libri generatim a Scriptoribus Novi Testamenti allegati occurrunt. Sic Paulus praemissa formula. "[45] Scriptum est:" verba Exodi citavit: "[46] Principem populi tui non maledices:" et alibi praemissa formula: "[47] Dicit Scriptura:" verba Geneseos protulit: "[48] Credidit Abraham Deo: et reputatum est illi ad justitiam:" demum, ne omnia loca consecter, sub solemni formula: "[49] Sicut dicit Deus:" verba Levitici allegavit: "[50] Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus."

Tandem tum Christus tum Apostoli Pentateuchum aequivalenter, nulla scilicet injecta Moseos mentione, aut praemissa formula ex recensitis, sed vel iisdem verbis vel vocibus aliquantisper temperatis, allegarunt. Sic Christus Dominus de extremo judicii die agens haec ad rem nostram habuit: "[51] Sicut in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus

(42) Deut. cap. vi. v. 16.
[43] Math. cap. iv. v. 10.
(44) Deut. cap. vi. v. 13.
(45) Act. cap. xxiii. v. 5.
(46) Ex. cap. xxii. v. 28.
(47) Rom. cap. iv. v. 3.
(48) Genes. cap. xv. v. 6.
(49) 1 Cor. cap. vi. v. 16.
(50) Lev. cap. xxvi. v. 12.
[51] Math. cap. xxiv: v. 37-39: coll. cum Genes. cap. vii. v. 7.

ante diluvium comedentes, et bibentes, nubentes, et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt, donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit et adventus Filii hominis:" itemque hujus judicii veritatem et alia similitudine ex ipso [52] Genesi desumpta confirmavit, inquiens: " [53] Similiter sicut factum est in diebus Lot: edebant et bibebant: emebant et vendebant: plantabant et aedificabant. Qua die autem exiit Lot a Sodomis pluit ignem et sulphur de coelo, et omnes perdidit: secundum haec erit, qua die Filius hominis revelabitur. " Tandem, ne plus quam par est in omnium, quae ab [54] Evangeliis reliquisque Novi Testamenti [55] libris urgeri possent, locorum enumeratione excurram, sat mihi est Beati Stephani orationem in concilio habitam in medium inque lucem edere. Ipse enim ad Hebraeorum incredulitatem exprobrandam non aliis argumentis, quam historicis ex Pentateucho desumptis usus est, inquiens: " [56] Viri fratres, et patres, audite: Deus gloriae apparuit patri nostro Abrahae, cum esset in Mesopotamia, prius quam moraretur in Charran, et dixit ad illum: [57] exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram, quam monstravero tibi. Tunc exiit de terra Chaldaeorum et habitavit in Charran. Et inde, postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum

---

(52) Genes. cap. xix v, 18.

(53) Luc cap. xvii. v. 28.

(54) Joh. cap. iii: v. 14: cap. vi: v. 49 et alibi.

(55) Act. cap. xiii. v. 17. 1. Cor. cap. x. v. 1-5. Galat. cap. iv. v. 22. et alibi.

(56) Act. cap. viii. v. 2-49.

(57) Genes. cap. xii. v. 1.

in terram istam, in qua nunc vos habitatis. Et non dedit illi haereditatem in ea, nec passum pedis, sed [58] repromisit dare illi eam in possessionem, et semini ejus post ipsum, cum non haberet filium. Locutus est autem ei Deus: [59] quia erit semen ejus accola in terra aliena, et servituti eos subjicient, et male tractabunt eos annis quadringentis: et gentem, cui servierint, judicabo ego, dixit Dominus: et post haec exibunt, et servient mihi in loco isto. Et dedit illi [60] testamentum circumcisionis: et sic [61] genuit Isaac et circumcidit eum die octavo: et Isaac [62] Jacob, et Jacob [63] duodecim patriarchas. Et patriarchae aemulantes Joseph [64] vendiderunt in Aegyptum: et erat Deus cum eo: et eripuit eum ex omnibus tribulationibus ejus: et [65] dedit ei gratiam, et sapientiam in conspectu Pharaonis regis Aegypti, et constituit eum praepositum super Aegyptum, et super omnem domum suam. Venit autem fames in universam [66] Aegyptum, et Chanaan, et tribulatio magna: et non inveniebant cibos patres nostri. Cum audisset autem [67] Jacob esse frumentum in Aegypto, misit patres nostros primum: et in secundo [68] cognitus est Joseph a

---

(58) Genes. cap. cit. v. 7.
(59) Geues. cap. xv. v. 13.
[60] Genes. cap, xxi. v. 24.
[61] Genes. cap. vi. v. 10.
(62) Genes. cap. xxv. v, 24.
(63) Genes. cap. xxxv. v. 23-26.
(64) Genes. cap. xxxvii. v. 24.
(65) Genes. cap. xli. v. 37.
(66) Genes. cap. xli. v. 54.
(67) Genes cap. xlii, v. 2.
(68) Genes. cap. xlv, v. 3.

fratribus suis, et manifestatum est Pharaoni genus ejus. Mittens autem Ioseph accersivit Iacob patrem suum, et omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque. Et [69] descendit Iacob in Aegyptum, et [70] defunctus est ipse et patres nostri. Et translati sunt in Sichem et positi sunt in sepulchro, quod [71] emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem. Cum autem appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat Deus Abrahae, crevit [72] populus et multiplicatus est in Aegypto. Quoadusque surrexit alius rex in Aegypto qui non [73] sciebat Ioseph. Hic circumveniens genus nostrum, afflixit patres nostros, ut [74] exponerent infantes suos, ne vivificarentur. Eodem tempore [75] natus est Moyses, et fuit gratus Deo, qui nutritus est [76] tribus mensibus in domo patris sui. Exposito autem illo, [77] sustulit eum filia Pharaonis, et nutrivit eum sibi in filium. Et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum, et erat potens in verbis et in operibus suis. Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor ejus, ut [78] visitaret fratres suos filios Israel. Et cum [79] vidisset quemdam

(69) Genes. cap. xlvi. v. 6.
(70) Genes. cap. xlix. v. 32.
(71) Genes. cap. xxiii: v. 16,
(72) Exod. cap. i: v. 7.
[73] Exod. cap. cit. v. 8.
(74) Exod. cap. cit. v. 22.
(75) Exod. cap. ii: v. 2.
[76] Exod. loc. cit.
(77) Exod. cap. cit. v. 5.
[78] Exod. cap. cit. v. 11.
(79) Exod. cap. ii: v. 12.

injuriam patientem, vindicavit illum: et fecit ultionem ei, qui injuriam sustinebat, percusso Aegyptio. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manus ipsius daret salutem illis: at illi non intellexerunt. Sequenti vero [80] die apparuit illis litigantibus: et reconciliabat eos in pace dicens: viri, fratres estis; ut quid nocetis alterutrum? Qui autem injuriam faciebat proximo, repulit eum dicens: quis te [81] constituit principem et judicem super nos? Numquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecistis heri Aegyptium? Fugit autem [82] Moyses in verbo isto: et factus est advena in terra Madian, ubi [83] generavit filios duos. Et expletis annis quadraginta, [84] apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammae rubi. Moyses autem videns, admiratus est visum: et accedente illo, ut consideraret, facta est ad eum vox Domini dicens: [85] Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob. Tremefactus autem Moyses non audebat considerare. Dixit autem illi Dominus: [86] solve calceamentum pedum tuorum: locus enim, in quo stas, terra sancta est. Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Aegypto, et gemitum eorum audivi, et descendi liberare eos. Et nunc veni, et mittam te in Aegyptum. Hunc Moysen, quem negaverunt, dicentes:

(80) Exod. cap. ii: v. 13.
[81] Exod. cap. ii: v. 14.
[82] Exod. cap. cit. v. 15.
[83] Exod. cap. cit. v. 22.
[84] Exod. cap. iii: v. 2.
[85] Exod. cap. cit. v: 6.
[86] Exod. cap. cit. v: 5.

quis te constituit principem et judicem? hunc Deus principem, et redemptorem misit cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo. Hic [87] eduxit illos, faciens prodigia, et signa in terra Aegypti, et in [88] rubro mari, et in deserto annis quadraginta Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel: [89] Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquam me, ipsum audietis. Hic [90] est qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, et cum patribus nostris; qui accepit verba vitae dare nobis, cui noluerunt obedire patres nostri: sed repulerunt, et aversi sunt cordibus suis in Aegyptum, dicentes ad Aaron: fac [91] nobis deos, qui praecedant nos, Moyses enim hic, qui eduxit nos de terra Aegypti, nescimus, quid factum sit ei. Et vitulum [92] fecerunt in diebus illis, et obtulerunt hostiam simulacro, et laetabantur in operibus manum suarum." Quibus omnibus allegatis tandem concludit: "[93] Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis: sicut patres vestri, ita et vos."

Quae quum ita se habeant, ecquis sanae mentis homo Pentateuchi genuinitatem tot tantisque Christi atque discipulorum ejus testificationibus immixam repudiet? nisi tamen dogmaticam Christo ejusque discipulis accommodationem hac in facti specie adtribuere, vel quod capi-

---

[87] Exod. cap. vii. v. 8.
[88] Exod. cap. xiv: v: 27-28.
(89) Deut. cap. xviii. v. 15.
[90] Exod. cap. xix. v. 3.
[91] Exod. cap. xxxii. v. 1.
(92) Exod. cap. cit. v: 4.
[93] Actor. cap. vii. v. 51.

talius, eos ignorantiae labe inurere velit contra ea, quae [94] superius disputavimus.

CAPUT IV.

Genuinitati Pentateuchi ulterius suffragatur Catholicae Ecclesiae constans atque universalis traditio:—Patrum hac de re testimonia:—accedit suffragium versionum antiquissimarum:—codicum:—librorum liturgicorum:—nec non aliorum monumentorum ecclesiasticorum.

158. Ecclesia Christiana super fundamentum Apostolorum et Prophetarum [1] aedificata, quum in omnia repudiatae synagogae jura intrasset, etiam libros, quos tempore veteris oeconomiae homines divinitus acti impulsique conscripserant, tamquam praetiosam haereditatem sibi vindicavit, illosque omni, quae fingi potest, veneratione prosequi coepit: hinc postquam de Hebraeorum synagagae, deque Christi atque Apostolorum quoad Pentateuchi genuinitatem sensu abunde egimus, ordo rerum nos ducit, impellitque ad Ecclesiae sensum hac de re rite enucleandum, callideque evolvendum. Iam vero omnia monumenta ecclesiastica a primis christianismi exordiis eo tendunt, inque id conspirant, ut Pentateuchi genuinitatem in tuto collocent, illamque pro virili tueantur.

---

[94] Conf lib. i. hujus oper. cap. ii. et iii.
[1] Ad Ephes. cap. ii. v. 23.

159. Et sane: eo tendunt Patrum scripta, qui a primis ecclesiae seculis ad nos usque floruerunt. Primo enim ecclesiae seculo Ignatius Martyr haec de Docetis scripsit: "[2] Quem quidem, (intellige Christum) ignorantes abnegant, magis autem abnegati sunt ab ipso: patroni mortis magis quam veritatis. Quibus nec Prophetiae persuaserunt, nec Moysi lex, sed nec Evangelium in hunc usque diem." Cui consentit Clemens Romanus, qui Corinthios quadam de episcopatu contentione inter se scissos sequentibus urget: "[3] Quandoquidem et beatus Moyses fidelis famulus in tota domo: qui omnia, quae ipsi mandata erant, in sacris libris annotavit: quemque secuti sunt reliqui prophetae, testimonium pariter legibus illius praebentes, ille namque cum aemulatio pro Sacerdotio incidisset, ac tribus inter se dissentirent, quaenam illarum glorioso eo nomine ornata esset: jussit ut duodecim principes tribuum afferrent sibi virgas, quae uniuscujusque tribus virgae nominatim essent inscriptae: hasque acceptas legavit, et annulis eorum principum obsignavit: atque illas deposuit in tabernaculo testimonii super mensam Dei" etc. Ratam compertamque igitur Patres, qui Apostolici audiunt, habuerunt Pentateuchi genuinitatem.

Id ipsum docuerunt, qui secundo seculo floruerunt. Justinus enim Martyr, declarata vanitate doctrinae graecorum philosophorum, ita graecos urgebat: "[4] Igitur cum veri nihil ex magistris vestris de religione disci

---

[2] Ignat. epis: ad Smyrn: n. v.

[3] Clem: 1 epis: ad Cor. c. xliii.

[4] Just, cohor. ad Graec n. viii.

possit, ut qui vobis idonea suae rerum ignorationis documenta mutuis dissensionibus praebuerint: sequi mihi videtur, ut ad majores nostros recurramus, qui et multo antiquiores vestris fuere, nec quidquam proprio marte excogitatum nos docuerunt: nec inter se digladiati aut suas invicem opiniones evertere conati sunt, sed sine ullo contentionis et partium studio scientiam a Deo acceperunt, eamque nos docuerunt." Et paucis interjectis, continenti oratione subdit: "[5] Ducam igitur initium a primo apud nos propheta et legislatore Moyse: ac prius quidem quibus temporibus fuerit, ex gravissimis apud vos testimoniis exponam. Nam non modo ex divinis apud nos historiis, quibus nondum ob veterem majorum errorem assentiri vultis, haec demonstrare non aggredior, sed etiam ex vestris ac nihil ad religionem nostram pertinentibus: ut intelligatis omnibus apud vos sive sapientibus, sive poetis, sive historiae scriptoribus, sive philosophis, sive legislatoribus multo antiquiorem fuisse primum religionis nostrae magistrum Mosen: quemadmodum nobis declarant historiae Graecorum." Hisce pariter consona sunt, quae Tatianus ad rem nostram edidit. Is enim Moscos antiquitate ex graecis testimoniis praestituta concludit: "[6] Ex his ergo perspicitur Mosen vetustis heroibus et bellis et daemonibus antiquiorem esse. Quamobrem, cum antiquitate praestet, credendum ei potius quam graecis, qui ex fonte hauserunt, non grato animo, illius dogmata. Multi enim apud eos sophistae, cum curiosius indagarent, quaecumque a

---

(5) Just. loc: cit: n. ix.

[6] Tatian. orat. adv. Graec. n. xl.

Mose, et ab iis, qui similiter ac ille philosophati, cognoverunt, ea adulterare conati sunt: primum quidem, ut aliquid proprie suum dicere viderentur: deinde, ut quae minus intellexerunt, ea disertis quibusdam commentis obvolventes fabulae speciem affingerent veritati." Pari modo sese gessit Athenagoras, qui, in tuto posita argumentis nec non poetarum, et philosophorum paganorum testimoniis Dei unitate, subdidit: "[7] Si ejusmodi tantum rationibus niteremur, doctrina nostra nonnullis humana videretur. Sed quia Prophetarum vocibus argumenta nostra confirmantur, non enim vobis, qui litteratissimi et doctissimi estis, ignota esse puto Moysis scripta aut Esajae, aut Jeremiae, et aliorum Prophetarum, qui mente et animo extra se rapti, impellente Spiritu Sancto quae ipsis inspirabantur, ea sunt loquuti: utente illis Spiritu Sancto, veluti si tibiam inflet tibicen." Haec item Teophilus Antiochenus ad rem nostram habet: "[8] Nos autem et Deum confitemur, sed unum, conditorem et creatorem et opificem hujus universi: et providentia gubernari omnia scimus, sed ab eo solo: et legem sanctam didicimus, sed legislatorem habemus verum Deum, a quo et justitiam colere et pietatem et bona opera facere edocemur . . . Hujus divinae legis minister fuit Moses famulus Dei, toti quidem mundo, praecipue vero Hebraeis, [qui et Judaei dicti sunt: quos antiquitus Rex Aegypti in servitutem redegit, cum essent semen justum hominum piorum et sanctorum, Abraham, Isaac, et Jacob. Horum recordatus Deus,

[7] Athen. legat. pro Christ. n. ix.
[8] Theoph. lib. iii: ad Autol: n. ix.

factisque miraculis et stupendis per Mosen prodigiis liberavit eos, et ex Aegypto eduxit ac per eam regionem, quae deserta dicitur, deductos restituit in terram Chananaeam, quae postea Judaea vocata est: legemque posuit, et haec eos edocuit." Hisce omnibus merito adjicimus Irenaeum ex [9] Tertulliano omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem, qui multis in locis, et praesertim quando utriusque Testamenti unum eumdemque Deum auctorem esse demonstrandum suscepit, plura pro re nostra in lucem inque medium protulit testimonia. Sic enim postremo in loco habet: "[10] Quoniam autem Moysi literae verba sint Christi, ipse ait ad Judaeos, quemadmodum Joannes in evangelio commemoratus est. Si credidissetis Moysi, credidissetis et mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, neque meis sermonibus credetis. Manifestissime significans Moysi literas, suos esse sermones. Ergo Moysi et reliquorum sine dubio Prophetarum sermones ipsius sunt, quemadmodum demonstravimus."

Idipsum docuerunt reliqui Patres, qui seculis insequentibus ecclesiam suis scriptis illustrarunt, et quorum testimonia jam in hujus operis decursu protulimus: quapropter ne longius quam par est, in horum allegatione excurramus, nonnullos ex tertio ecclesiae seculo in medium, inque lucem proferemus. Et sane: Clemens Alexandrinus de Hebraeorum legislationis antiquitate prae omnibus aliis a graecis Philosophis confictis agens, hoc

(9) Tertul. adv. Valent. n. v.
[10] Iren. adv. Gnost. lib. iv. c. 3.

ad rem nostram scriptum reliquit: " [11] Quod philosophorum quidem dogmata ex Hebraeis surrepta fuerint, tractabimus paulo post. Prius autem, quod erat consequens, jam dicendum est de temporibus Mosis per quae ostendetur circa ullam controversiam Hebraeorum philosophiam esse quavis philosophia antiquiorem." Et adductis ad fidem faciendam idoneis testimoniis, concludit: " Plurimis ergo qui apud Graecos colantur diis, non solum iis, qui dicuntur Sapientes et Poetae, ostensum est Mosen esse antiquiorem." Cui etiam consonat Tertullianus, qui veram Dei cognitionem scriptis proditam omni litteratura seculari antiquiorem esse ostendens, dixit: " [12] Primus prophetes Moyses, qui mundi conditionem et generis humani pullulationem et mox ultricem iniquitatis illius aevi vim cataclysmi de praeterito exorsus est, per vaticinationem usque ad suam aetatem et deinceps per res suas futurorum imagines edidit, penes quem et temporum ordo digestus ab initio supputationem saeculi praestitit: superior invenitur annis circiter trecentis, quam ille antiquissimus penes vos Danaus in Argo transvenisset: trojano denique praelio ad mille annos ante est, unde et ipso Saturno." Ex quibus testimoniis clare, ac diserte edocemur Moysen ejusque libros tum omnibus profanis scriptoribus, tum omnibus profanis historiis antiquitate praestare, atque praecellere.

160. Praeterea Pentateuchi genuinitatem in tuto collocant ac pro virili tuentur versiones antiquissimae, et praesertim Itala et Syriaca " Pescito" nuncupata. Cum

(11) Clem: Alex: lib: i. Stromat:

[12] Tertul. Apolog. c. xix.

enim ab ipsis christianismi primordiis Ecclesia longe lateque per universum orbem diffunderetur, divino consilio factum est, ut ab ipso pariter ejus initio variorum sermone traditae scripturae vulgarentur: cumque insuper inter omnes linguas latina maxime et syriaca post graecam latius obtinerent, hinc pariter factum est, ut a remotissimis christianismi temporibus duae versiones prae ceteris, [13] Itala una, [14] Syriaca altera in omnium tum Occidentalium, tum Orientalium manus venirent. Imo praeter hanc antiquitatis praerogativam duplici ulterius pollebant pretio, interno uno, externo altero. De Italae enim versionis pretio interno haec habet Augustinus: "[15] In ipsis interpretationibus Itala ceteris praeferatur: nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae:" ad pretium ejus externum vero quod adtinet, sat nobis est asserere eam hisce duobus nominibus "communis" et "vulgata" designari consuevisse: ita ut Hieronymus dixerit: "[16] Nisi vero ea in omnium usu fuisset, ut quid vulgata, ut quid communis appellaretur?" Quod facto ipso comprobatur: nam omnibus ratum compertumque est, hanc versionem in universo propemodum Occidenti Patriarchatu adhibitam fuisse usque ad Hieronymi tempora, ita ut hac uterentur Ecclesiarum pastores in liturgiis, catechesibus tradendis, homiliis habendis, dogmatibus constabiliendis, haereticis refellendis, et universa Christianae vitae ratione determi-

(13) Conf. Petitded. dissert. x: in Scrip:: Sacr:
(14) Conf. Jans. herm. sacr: § 598.
[15] August. de Doctr. Chr. c. xv.
[16] Hier. in Is. c. xiv: et xlix.

nanda. Item versio Syriaca, ut nomen ipsum "Pescito" [17] innuit, incorrupta, atque accurata erat; ejusque usus in ecclesiis, quae in universo Syriae tractu floruerunt, [18] obtinuit, proindeque est amplissimus. Jam vero in utraque versione Pentateuchus, tamquam genuinum Moysis opus, primum ac principem obtinet locum. Certum igitur compertumque est Pentateuchum pro genuino atque authentico ab iis ecclesiis habitum, penes quas hujusmodi versiones longe lateque obtinuerant.

161. Pentateuchi genuinitatem insuper in tuto collocat suffragium Codicum. Plurimi enim occurrunt sacrarum scripturarum codices, qui tamen a Hugio ad triplicem redacti [19] fuerunt classem: quarum prima illos complectitur, qui ante sticometriam in lucem inque medium editi fuerunt: secunda illi continentur, qui tempore sticometriae exarati fuerunt, quique proinde sticometrici audiunt: ad tertiam vero classem ii omnes revocantur, qui obsoleta sticometria, conscripti fuerunt. Hos inter vero codex Vaticanus eminet, utpote qui juxta [20] praelaudatum Hug ad quartum ecclesiae seculum pertineat, duplicique polleat pretio, privato uno ex ipsius scribae peritia desumpto; publico altero ex auctoritate ecclesiarum, quae illo utebantur. Porro hoc in codice aliisque nonnullis primi occurrunt libri a Moyse conscripti: seculo igitur quarto rata pariter erat persuasio de Pentateuchi genuinitate tum penes peritos amanuenses, tum etiam penes ecclesias, quae hisce codicibus utebantur.

(17) Glaire Intro. in S. Scrip vol. I. sez. secund. § xi.
(18) Glaire loc. cit.
(19) Glaire Append. ad cap. vi.
[20] Hug. de Antiq. Cod. Vat.

162. Pentateuchi genuinitatem ulterius in tuto collocant libri liturgici. Hisce enim libris utebantur ecclesiae tum latinae, tum graecae, tum coptae, tum syriacae, tum armenae in sacramentis conficiendis, fidelibus ad christianam disciplinam erudiendis, ac christianae religionis decore promovendo, ad quam librorum classem spectant libri [21] sacramentarii, seu ut graeci eos vocant [22] ευλογια, breviaria, ritualia, missalia, catechismi, aliaque numero plurima. Jam vero in hisce libris non modo ex Pentateucho verum etiam ex omnibus tum Veteris, tum Novi Testamenti scriptis plura loca transcripta occurrunt: quod quidem argumento perspicuo nobis est omnes libros, ex quibus haec testimonia decerpta, ab universali ecclesia pro genuinis atque authenticis habitos fuisse.

163. Pentateuchi genuinitatem postremo loco in tuto collocant ac pro virili tuentur reliqua fere omnia monumenta ecclesiastica. Ut enim [23] inscriptiones lapidarias, opera musiva, sculpturas in sarcophagis, picturas in coemeteriis, [24] aliaque id genus plurima tacitus praeteream, sat mihi est nonnullas ecclesiarum declarationes in medium inque lucem edere. Et sane: declarationes ecclesiae Romanae habentur in epistola [25] Innocentii I. ad Exuperium, in decreto [26] Gelasii anno 494 edito, in decreto [27] Eugenii IV. in decreto pro Jacobitis dato

---

[21] Bergier. diction. theol. vol. v. pag. 631.
[22] Renaud. de perpet fidei.
[23] Apud Franc. Blanch. tom. iii. Anastas. biblioth.
[24] Conf Ciampin. Veter. Monim.
[25] Conf. Coust: epist. Rom. Pontif. inter Innoc. ep. vi. cap. vii.
[26] Conf. Anast. biblioth: tom. iv. de vitis R. P.
[27] Conf. Harduin. Acta Concil, tom. ix.

anno 1439, tandem in [28] canone Concilii Tridentini, ubi una cum reliquis libris Pentateuchus adnumeratur, Pariterque declarationes Ecclesiae Africanae habentur in [29] Concilio Carthaginiense III anno 397 celebrato ubi legitur: " Placuit ut praeter scripturas canonicas nihil legatur sub nomine divinarum scripturarum: " qua declaratione posita numerus atque canon librorum editus fuit. Cui consonat etiam concilium [30] Hypponense anno 395 coactum, ubi canone xxvii omnes et singulos libros canonicos videre datum est. Praeterea declarationes Ecclesiae Hispanicae habentur penes [31] Isidorum Hispalensem, qui tum generice affirmavit libros Novi et Veteris Testamenti complexive sumptos esse septuaginta duo, tum in specie eorumdem canonem referens, libros Moysis una cum ceteris enumeravit.

Hisce consonae sunt insuper declarationes ecclesiae Gallicanae, quas prae ceteris expressit [32] Cassiadorus in suo de Institutione Divinarum literarum opere. Jam vero postquam de occidentalium ecclesiarum declarationibus fuse actum a nobis est, praestat nonnulla de ecclesiae orientalis hac de re persuasione in medium inque lucem edere. Et sane: ex omnibus documentis, quae maxima sedulitate collegit [33] Renaudotius, satis superque constat, omnes communiones schismaticas jam inde a seculo quinto effectas: cujusmodi sunt Nestoriani, Jaco-

---

[28] Concil. Trid. sess. 4: in decret: de canon: script:
[29] Apud. Hard. Acta Concilior. tom. 1.
(30) Apud Hard. loc. cit.
[31] Apud Blanchin. Vindic. Canonic. Scriptur.
(32) Apud Blanchin: oper. cit.
(33) Renaud. de perpet. fid. Tom. v. cap. 7.

bitae, Copti, Syri, atque Eutychiani, eumdem, atque integrum librorum sacrorum indicem venerari, quem semper tenuisse ac recepisse vidimus ecclesiam occidentalem. Hinc cum dici nequeat has communiones praefatum librorum censum recepisse ab ecclesia romana, consequitur constantem atque universalem fuisse ante earum separationem non modo quoad Pentateuchi, verum etiam quoad ceterorum librorum sacrorum genuinitatem ac divinam inspirationem, omnium persuasionem et fidem. Quod quidem, etiam omissa declaratione [34] Concilii Constantinopolitani in Trullo celebrati, adhuc clarius apparet ex solemni declaratione [35] facta contra Cyrillum Lucari Patriarcham Constantinopolitanum. Cum enim seculo decimo septimo hic vir auro Protestantium corruptus ausus fuisset suam haereticam confessionem nomine Ecclesiae Orientalis obtrudere asserens non obtinere penes eamdem tamquam divinitus inspiratam partem deuterocanonicam utriusque foederis, statim in se excitavit odium et convicia omnium Graecorum, qui duabus synodis coactis, Constantinopoli altera sub Patriarcha Jeremia, et altera Jerosolymis praeside Patriarcha Dositheo, solemniter ac publice anathema in ipsum tamquam nova dogmata fabricantem dixere, insuperque clare professi sunt se habere omnes et singulos libros, quos transmisit antiqua consuetudo, tamquam canonicos ac divinitus inspiratos.

164. Sive igitur Patrum testimonia, antiquas versiones,

(34) Conf. Lieber. Inst. Theol. tom. ii. part. 2. § 1.

(35) Conf. Le-Quien in adnot. i. ad cap. xvii. lib. iv. de fid. orthod. S. Jo. Damasc.

antiquos codices, libros liturgicos, sive ecclesiarum declarationes, uno verbo omnia ecclesiastica monumenta consulamus, satis constat, Pentateuchum ab universali Ecclesia tamquam genuinum Moseos opus semper habitum ac custoditum fuisse.

CAPUT V.

Pentateuchi genuinitas tandem ulterius evincitur ex Scriptorum paganorum testificatione:—ex constanti ac universali Samaritanorum persuasione:—et ex agendi modo ab haereticis usurpato:—postremo loco infertur, nullum esse librum profanum antiquae aetatis, cujus genuina origo tanto argumentorum pondere demonstratur.

165. Quum contra ea omnia, quae hucusque in medium inque lucem protulimus, testimonia ad Pentateuchi genuinitatem vindicandam, inque tuto locandam, Deistae et illud regerere soleant, quod hi omnes, utpote qui testes sint in propria caussa, parum auctoritatis praeseferre possunt: hinc operis pretium esse duximus hisce omnibus et illorum suffragia adjicere, qui dubio procul absque ullis verborum ambagibus, omnem falsitatem, si qua huic tam antiquae persuasioni insederit, retegissent, illamque suis in scriptis divulgassent.

Verum etiam hi, qui tum Synagogae, tum Ecclesiae Religionique Christianae infensissimi, eo tendunt, inque id conspirant, ut de Pentateuchi genuinitate praeclarum edant

testimonium: tum enim gentiles Scriptores et Samaritani, qui gravissimas inimicitias cum Hebraeis gerebant, tum haeretici qui ab Ecclesia damnati desciverunt, splendida de Moseos scripturis reliquerunt testimonia.

166. Et sane: Manetho Aegyptius praeter multa fabulosa, quae cum vera Hebraeorum historia consociavit, haec de Moyse memoriae tradidit: " [1] Dicitur autem quod Reipublicae conditor erat legumque lator, sacerdos, genere Heliopolitanus, nomine Osarsiph, ex Osiride Deo, quem colit urbs Heliopolis, denominatus, cum ad hoc hominum genus transisset, nomen mutavit, et vocatus erat Moyses. " Hisce fere consona sunt, quae Apion grammaticus de Moyse litteris mandavit: ait enim: " [2] Moyses, ut accepi a grandioribus natu Aegyptiis, Heliopolitanus erat; qui, patriis institutis obligatus, subdiales precationes ad septa qualia urbs habebat, reduxit:" et alibi haec Josephus Flavius juxta mentem Apionis scriptum reliquit: " [3] Moysen autem conscenso monte Aegyptum et Arabiam medio, qui Sinaeus appellatur, quadraginta diebus delituisse dicit, indeque descendentem Judaeis leges dedisse." Pariterque Chaeremon Aegyptiorum historiam describens, haec de Hebraeorum exitu habet: " [4] Isidem in somnis Amenophi apparuisse, de eo querentem, quod templum illius per bellum dirutum esset. Phritiphantem vero sacrum scribam dixisse, si de pollutis hominibus Aegyptum purgare vellet, fore ut libe-

(1) Apud Joseph: Flav. lib. i. contr. Apion: § 26.
(2) Apud eumd. lib. ii. § 2.
(3) Apud eumd. loc. cit.
[4] Apud. eumd. lib. i. § 32.

retur a nocturnis terroribus. Atque ita morbidorum millia ccl collegisse, et e finibus ejecisse. Duces vero eorum fuisse scribas Moysen et Josephum." Hisce fere similia sunt, quae Lysimachus de Hebraeorum origine litteris mandavit: ait enim: "[5] Sub Bocchori rege Aegyptiorum, populum Judaeorum, quod essent lepra, scabie, et aliis quibusdam morbis infecti, ad templa confugisse, et victum mendicasse: multis autem hominibus morbo correptis, sterilitatem in Aegypto accidisse. Bocchorim vero, Aegyptiorum regem, ad Ammonem scitatum oracula de sterilitate misisse: responsumque a Deo, repurganda esse templa ab hominibus impuris et impiis, ejiciendo eos e templo in loca deserta, caeterum scabiosos ac leprosos mergendos, tamquam sole ut isti viverent aegre ferente: et templa expianda, atque ita fore ut terra fructum ferat. Bocchorim autem accepto oraculo, accersitisque sacerdotibus et sacrificiis, jussisse, ut impuri collecti militibus traderentur, deportandi in desertum: utque leprosi plumbeis laminis involuti in pelagus dejicerentur. Submersis autem leprosis ac impetiginosis, reliquos congregatos in loca deserta expositos esse ut perirent. Eos autem habito concilio de seipsis consultasse: et nocte superveniente, accensis ignibus ac lucernis custodias agitasse: sequentique nocte jejunasse ut Deos saluti suae propitios haberent. Insequenti vero luce, a Moyse quodam ipsis consilium datum, ut irent intrepidi una via, usque dum ad loca culta perveniretur: tum praecepisse, ne cui hominum in posterum benevoli essent, neque optima sug-

---

[5] Apud eumd. lib. i. § 34.

gererent sed deteriora: utque Deorum templa et altaria, prout in ea inciderent, everterent etc."

167. Hisce fere similia sunt, quae tum graeci tum latini historiarum scriptores de Hebraeorum Republica, deque eorum legislatore scripserunt. [6] Justinus enim Martyr, [7] Tatianus, [8] Clemens Alexandrinus, [9] Tertullianus aliique in asserenda Moseos antiquitate, atque Pentateuchi genuinitate vindicanda iis, quae Polemon, Ptolemaeus Mendesius, Hellanicus, Philocorus, Castor, Thallus, Alexander Polyhistor, ac reliqui graeci scriptores hac de re scripserunt, usi sunt. Hinc haud necessum est omnia horum scripta persequi, sed sat erit ex his nonnulla delibasse. Et re quidem vera Diodorus Siculus, postquam se ex Aegyptiis sacerdotibus accepisse retulit quae narrare suscepit, haec ad rem nostram habet: "[10] Post antiquum vitae statum, quem fabulae sub diis et heroibus traductum fingunt, primus Moyses populis persuasisse fertur, ut scriptis legibus uterentur, vir et magnitudine animi, et utilitatibus vitae hominum allatis celeberrimus." Et Strabo: "[11] Fama, ait, quae plurimum obtinet de his, quae de templo Hierosolymitano jactata fidem invenimt, perhibet ab Aegyptiis fuisse prognatos eos, qui nunc Judaei appellantur. Nam Moses unus ex Aegyptiis Sacerdotibus, cum partem quamdam regionis haberet, ac moleste ferret praesentem statum, inde huc

(6) Just. Mart. cohort. n. ix.
(7) Tatian. in orat. nn. xxxvi-xli.
(8) Clem. Alex. lib. i. Stromat.
(9) Tertul. in Apolog. cap. xix.
(10) Apud Just. loc. cit.
[11] Strab. lib. xvi. rer. geogr.

commigravit, multis eum comitantibus, quibus divinae curae erant. Affirmabat enim docebatque Aegyptios non recte sentire, qui bestiarum ac pecorum imagines Deo tribuerent, itemque Afros, et Graecos, qui diis hominum figuram affingerent. Id vero solum esse Deum, quod nos et terram ac mare continet, quod coelum et mundum et rerum omnium naturam appellamus, cujus profecto imaginem nemo sanae mentis alicujus earum rerum, quae penes nos sunt, similem audeat effingere etc." Tacitus item haec habet: "[12] Moses, quo sibi in posterum gentem firmaret novos ritus, contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quae apud nos sacra, rursum concessa apud illos, quae nobis incesta." Juvenalis tandem haec de Moyse, deque Judaeorum ritibus cecinit:

"[13] Quidam sortiti metuentem sabbata patrem:
Nil praeter nubes, et coeli numen adorant;
Nil distare putant humana carne suillam
Qua pater abstinuit, mox et praeputia ponunt.
Romanas autem soliti contemnere leges.
Judaicum ediscunt et servant et metuunt jus,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses."

Jam vero hi omnes scriptores, qui propter religionis diversitatem, aliaque rerum adjuncta summopere Hebraicam gentem invidebant, quique toti in eo sunt, paucis tantum exceptis, ut illam ignobili genere ortam traducant, dubio procul genuinitatem librorum, quibus Hebraeorum leges, quas a Moyse, ut a Deo jussus, conscriptas fuisse

(12) Tacit. lib. v. Annal.
(13) Juv. Sat. xiv.

dictitabant, continebantur, in discrimen, inque falsi suspicionem vocarent, ni certa atque rata etiam ipsis esset hujus persuasionis sinceritas. Etiam igitur ethnicorum scripta mirifice veritatem, quam defendimus, constabilire atque proclamare non desinunt.

168. Hanc ipsam ulterius Pentateuchi genuinitatem confirmat Samaritanorum testificatio, quae ob gravissimas, quas cum Judaeis gerebant, inimicitias, haud exigui ponderis est habenda. Ad cujus rei majorem intelligentiam abs re non erit nonnulla de hac Samaritanorum secta in medium inque lucem edere.

Et sane: postquam decem Tribus Israel defecerunt a filio Salomonis [14] Roboamo Rege Juda, atque Regem sibi constituerunt Jeroboamum, hic industriam omnem adhibuit, ne sui populi communicarent cum domo David, impioque consilio secutus morem Aegyptiorum, quibus cum aliquando vixerat, constituit in Bethel, et Dan duos vitulos aureos, sacerdotesque elegit e viliori plebe, qui una cum Dei cultu a ceteris Hebraeis observato sacrilegam Idolorum superstitionem suaderent. Ita cautum futurum [15] sperabat, ne suae gentes accederent religionis caussa ad Jerosolymitanum Templum, et ita aversae remanerent a Regibus Juda. Quae prava malitia nec ipsum, nec successores ejus umquam fefellit: semper enim regnum Israel a rege Iuda post hanc separationem avulsum permansit. Eversa autem ab Assyriorum Rege [16] Samaria, et decem tribubus in captivitatem adductis

---

(14) 3 Reg. cap. xii.
[15] 3 Reg. cap. cit. v. 27-28.
(16) 4 Reg. cap xvii. v. 6.

ipse Assyrius Rex novos colonos e Babylone, et ex Cutha, Avah, Amath, aliisque locis ad illam terram una cum Israelitarum reliquiis habitandam [17] misit. Cum vero ob avitam idololatriam isti a leonibus a Deo immissis [18] devorarentur, a rege obtinuerunt, ut unus Sacerdos ex iis, qui captivi adducti erant, eos legitima Dei illius terrae edoceret: quo factum est, ut isti adhuc idolis servientes verum cultum soli Deo praestandum amplexati sint, ita ut aedificantibus Iudaeis post captivitatem Babylonicam Ierosolymitanum Templum haud dicere dubitarint: " [19] Aedificemus vobiscum quia ut vos quaerimus Deum vestrum: ecce nos immolavimus victimas a diebus Asor Addan Regis Assur, qui adduxit nos huc. " At repulsi [20] fuerunt, ac proinde isti pro virili enisi sunt, ut urbis Templique instauratio [21] impediretur: quo cognito Esdras, ut narrat Iosephus [22] Flavius, eos devovit, ac infames haberi decrevit. Hinc summa exarserunt odia Iudaeos inter et Samaritanos ita ut Iudaei quotquot nonnullorum Sacerdotum exemplum secuti Samaritanas duxere uxores a suorum communione [23] repulerint, et apud Samaritanos sese recipere compulerint, Samaritani vero insuper etiam a colloquio cum Iudaeis [24] refugerent Hisce vero gravissimis inimicitiis

(17) 4 Reg cap. cit. v. 24.
[18] 4 Reg. cap. cit. v. 25-28.
[19] 1 Esdr. cap. iv. v. 2.
(20) 1 Esdr. cap. cit v. 3.
(21) 1 Esdr. cap. cit. v. 4-24.
(22) Joseph. lib. xii. Antiq. cap, 7.
(23) 2 Esdr. cap. xiii. v. 28: et Josep. Antiq. lib. xi. c. 7.
(24) Joh. cap iv. v. 7.

non obstantibus, Samaritani aeque ac Iudaei Pentateuchum tamquam genuinum Moseos opus suscipiunt, atque venerantur. At circa Samaritanorum Pentateuchi originem atque antiquitatem discors adhuc est, ut vera fatear, criticorum sententia. Nonnulli enim [25] contendunt Pentateuchum Samaritanum dictum etiam ante decem tribuum captivitatem cognitum fuisse: alii vero cum [26] Carpzovio, [27] Pareau, nonnullisque aliis originem hujus Pentateuchi ab illo repetunt tempore, quo Rex Assyrius unum ex Sacerdotibus Samariam miserat, qui Chutaeos aliosque populos in Israelitarum locum suffectos legitima Dei illius terrae edoceret: tandem Benedictus [28] Spinoza, R. [29] Simon, aliique connaturali sibi confidentia arbitrati sunt, Samaritanos hujusmodi Pentateuchum mutuo accepisse a Iudaeis post illorum reditum a captivitate Babylonica; imo Adversarius noster adhuc hisce omnibus audacior, nonnullis [30] animadversionibus praejactis, id contigisse [31] statuit tribus post Esdrae aetatem seculis, tempore scilicet Ptolemaei Philadelphi. Nos vero ut hanc quaestionem quam brevissime, ne tempore abuti videamur, absolvamus, cum Pareau [32] contendimus, nullum in historia tempus istius Pentateuchi origini aptius assignari posse, quam illud, quo ab Assyriorum rege sacerdos israeliticus

(25) Bergier. Dizion. Teolog. art. Samarit.
(26) J. G. Carpzov. crit. sacr. p. ii. c. iv.
(27) J. H. Pareau Instit. Inter. V. T. pag. 67.
(28) Apud Mor. Introd. in Scrip. Sacr. tom. i. pag. 34.
(29) R. Simon hist. crit. V. T. lib. i. cap. x.
(30) Colen. part. quart. cap. i. § 2-20.
(31) Colen. loc. cit. § 21.
(32) J. H. Pareau loc. cit.

mittebatur, ut Samaritanos de modo institueret, quo religionis israeliticae Deus colendus esset: quod quidem variis rationibus evincere enitemur.

169. Et sane: id evincimus 1°. ex eo quod vel ideo Rex Assyriorum sacerdotem ad coloniam recens in Israelitarum regno constitutam miserat, ut eos [33] legitima seu leges Dei illius terrae edoceret. At quae erant legitima ab Hebraeis observata? Non alia profecto, nisi ea, quae jugiter Elias, Eliseus, Amos, Ionas aliique Prophetae inculcabant, leges scilicet Pentateucho consignatae. At quum ita res se habeat, non temere contendimus, illum Israelitam sacerdotem secum ad recte munus sibi demandatum fungendum libros Moseos detulisse.

Id evincimus 2, ex eo quod statim post Iudaeorum reditum a captivitate Babylonica Samaritani eorum societatem appetentes, ita ad eos verba fecerunt: " [34] Aedificemus vobiscum quia ut vos quaerimus Deum vestrum: ecce nos immolavimus victimas a diebus Asor Addan Regis Assur, qui adduxit nos huc: " ex quibus verbis clare constat a prima Samaritanorum in illis locis collocatione viguisse penes ipsos Hebraeorum religionem. At quum haec sint in caussa, ecquis contendat, Moseos Pentateucho haud eos indiguisse pro ordinando cultu, victimisque immolandis?

Id ipsum 3 evincimus ex eo quod, si post captivitatem Babylonicam, et praecise tempore Ptolemaei Philadelphi hujusmodi Pentateuchus confectus, nulla ratio, quae graviter solideque urgeri possit, inveniatur, cur

(33) 4 Reg. cap. xvii. v. 27.
(34) 1 Esdr. cap. iv. v. 2.

Samaritani, confecto jam librorum canone, quem Esdrinum vocavimus, quique non solum Pentateuchum sed et reliquos libros, qui ad captivitatem usque conscripti fuerant, complectabatur, Pentateuchum tantum, seu illum canonem, qui ante captivitatem [35] receptus erat, et non reliquos libros amplexati sint. Hinc jure nostro contendimus, longe ante Ptolemaei aetatem, imo ante Iudaeorum Babylonicam captivitatem Pentateuchum Samaritanum exaratum fuisse. Quum vero improbabile videatur Chutaeos aliasque gentes Moseos libros in Israelitarum regno primo eorum adventu reperisse, vel ideo quod totali detinebantur [36] ignoratione circa legitima Dei illius terrae, usque dum ille Israelitarum Sacerdos missus, qui haec omnia eos [37] edoceret, necessario sequitur ab hoc tempore, quo Sacerdos Israeliticus a rege Assyriorum Samariam missus, originem hujus Pentateuchi repetendam esse.

Id ipsum tandem 4 evincimus ex eo quod Pentateuchus Samaritanus non litteris figura quadratis, quae Chaldaicae audiunt, sed rudibus, quae nullam praeseferunt elegantiam, quaeque Samaritanae vocantur, est conscriptus. At doctissimus [38] Waltonius tum ex siclis ante captivitatem cusis, tum ex [39] Rabbinorum et Ecclesiae [40] Patrum res Hebraicas apprime callentium

---

(35) Conf. Glaire: Intr. in Sac. Srip. vol. 1. cap. iv. sez. 1.

(36) 4 Reg. cap. xvii. v. 26:

(37) 4 Reg. cap. xvii. v, 27.

(38) Walton. Poliglot. prol. iii. n. 30.

(39) Talm. Babyl. tract. Sanhed. et Hierosol. tract. Magil.

(40) Euseb. in chron. ad annum mund. 4740, et Hieron. in Prol. Galeat.

testimoniis, aliisque rationum momentis invictissime demonstrat, ante captivitatem Babylonicam illas literas, quae Samariticae dicuntur, non vero Chaldaicas ab omnibus Hebraeis adhiberi solitas. Hinc si Samaritani mutuo accepissent a Iudaeis Pentateuchum Esdrinum, nempe post Iudaeorum reditum e Babylone, recentiores quoque literas Chaldaicas, quibus post captivitatem omnes libri conscripti fuerunt, recepissent eo vel maxime cum plerique ethnici essent Babylonii, ac Sepharvaimitae, facilius Chaldaicos sibi olim proprios, quam Samaritanos characteres cognovissent. Quum igitur aliter res se habeat, quum scilicet Pentateuchus Samaritanus literis, quae ante captivitatem Babylonicam adhiberi consueverant, conscriptus sit, jure nostro concludimus per illud tempus exaratum fuisse.

170. Quidquid vero sit de hac quaestione, sat est pro re nostra vere penes Samaritanos Pentateuchum extitisse, illumque tamquam genuinum Moseos opus habitum ab illis fuisse.

Quum enim ex his, quae supra innuimus, satis constet, nullum amorem Iudaeos inter et Samaritanos locum habuisse, imo gravissima odia, gravissimasque inimicitias non modo inter populares, verum etiam inter Sacerdotes ac populi magnates intercessisse, quumque insuper Pentateuchi praecepta adeo gravia sint, ut ex sacerdotibus nonnulli ea violare non erubuerint, ac proinde populis hisce non assuetis, ac proprio genio indulgentibus satis intolerabilia; ubi aliqua suspicio de horum librorum genuinitate Samaritanis suborta esset, non modo hosce libros non recepissent, verum etiam ipsos Iudaeos de hac fictione incusare non destitissent. At dum de

aliis [41] rebus ad religionem spectantibus Samaritani conquesti sunt, omnes tamen, nec ipso Dositheo excepto, Pentateuchi genuinitatem agnoverunt. Rata igitur compertaque etiam illis erat Pentateuchi genuinitas.

171. Haec ipsa tandem Pentateuchi genuinitas comprobatur ex agendi modo ab haereticis usurpato. Hos vero claritatis gratia ad duplicem redigimus classem: eorum scilicet 1°, qui una cum reliquis sacrae Scripturae libris et Pentateuchum susceperunt: 2°, eorum qui, nonnullis acceptis, Pentateuchum ex adverso rejecerunt.

Et sane: ad primam spectant classem omnes haeretici, qui primis ecclesiae seculis exstiterunt dogmata dualismi praedicantes. Hujusmodi enim haeretici cum nullatenus possent illam perabsurdam Aeonum genealogiam ex sacris libris comprobare, et ridiculum illud discrimen, quod libros Veteris Testamenti inter et Novi invexerant, omnes quidem libros susceperunt, vanas tamen et fabulosas interpretationes in medium, inque lucem ediderunt, testante Irenaeo: " [42] Non solum ex evangelicis et apostolicis libris, quos perverse interpretantur, ac mala fide exponunt, haec probare conantur, verum etiam ex lege et prophetis." Quas quidem perridiculas Scripturarum interpretationes Basilides in viginti quatuor libros, quos Barcabas nominavit, distribuit, inque medium protulit.

Ad secundam vero classem in primis revocantur Marcionitae, qui omnes Veteris Testamenti libros repudiarunt. Marcion enim hujus sectae dignus parens severitate poenae exacerbatus, quam ob pravum facinus solvere coactus,

---

(41) Joh. cap. iv. v. 19-20.

(42) Iren. lib. i. adv. haer. cap. 3.

quidquid severitatem spiraret, repudiandum esse decrevit. Hinc Cerdonis doctrinis nomine dato, quum praecepta Veteris Legis rigidiora quam legis Evangelicae deprehendisset, quadam antithesi instituta, proclamare coepit Deum a Jesu Messia praedicatum longe altioris esse ordinis ac perfectioris substantiae ac exstitit יהוה Veteris Legis. Hinc ex hac sua oppositione, quam dogmatice professus est contra Judaeos, omnes Veteris Testamenti libros, prouti testatus est [43] Tertullianus, rejecit, ex Novo autem omnia scripta judaizantium Apostolorum repudiavit, evangelio Lucae, et nonnullis Paulinis epistolis tantum exceptis.

Exemplum Marcionis secuti sunt quotquot ad hanc nostram aetatem exstiterunt haeretici: illud enim secutus est Tatianus, illud Manichaei, illud Protestantes, illud tandem hac nostra tempestate post Spencer, Le Clerc, nonnullosque alios secutus est Colenso.

At hi omnes haeretici sive Pentateuchum tamquam genuinum Moseos opus venerantes, sive illum tamquam spurium repudiantes, velint nolint, coacti sunt splendidum de Pentateuchi genuinitate edere testimonium, illamque licet inviti proclamare. Qui enim illum recepere hoc ipso professi sunt tum ab ipsis, tum a ceteris fidelibus Pentateuchum pro genuino habitum fuisse: qui vero illum repudiarunt, atque adhuc repudiant hoc ipso clare innuunt, exploratam semper fuisse, talemque perseverasse penes eos, a quibus ipsi dissentiunt, Pentateuchi originem, atque genuinitatem.

172. Quae quum ita se habeant, quum scilicet om-

[43] Tertul. de Praescrip. cap. li.

nia monumenta ab origine Hebraeorum Reipublicae extantia Pentateuchi genuinitatem prodant, imo omnes Reipublicae cives, qui ad illius praescripta omnes mores vitamque civilem et domesticam componebant, id ipsum clare testentur, quumque insuper in omni loco, inque omni aetate constans atque universalis fuerit etiam ethnicorum hac de re persuasio, licet non defuerant in omni aetate multi, quorum maxime intererat fraudem, si qua esset, detegere, fas licitumque nobis est asserere, nonnisi temere Adversarium nostrum Pentateuchi genuinitatem in discrimen inque falsi suspicionem vocare enisum. Jam vero qui ulterius haec diligentius expenderit, inveniet vix ullum esse librum cujus antiquitatem cum majori adstruat auctoritate fides publica. Poema Aeneidos v. g. Virgilio tribuit fides publica, cujus auctoritati non subscribere insania habetur. Verum antiquitatem genuinitatemque Aeneidos non adstruunt gentis Romanae tabularia. Non est in monumentis illius fabula expressa, poema illud non continet jus romanum, et sine eo poterat respublica consistere. Non excitabat propter opinionem coelestis originis omnium Romanorum attentionem, non commovebat omnium civium, sed litteratorum tantum studia. Nullius denique intererat libri illius antiquitatem negare. Quod quidem de ceteris profanis libris dicere possumus. Optimo igitur jure concludimus, nullum esse librum profanum antiquae aetatis, cujus genuina origo tanto argumentorum pondere demonstratur.

CAPUT VI.

Vindicata Pentateuchi genuinitate postremo loco ad ejus authentiam asserendam gradum facimus:—Et in primis discrimen, quod genuinitatem alicujus libri inter ejusque authentiam intercedit, retegitur:—hoc praejacto Pentateuchi authentia 1. ostenditur ex charactere scientifico, quo Moyses praeditus fuit:—2. ex charactere morali:—3. ex nonnullis, in quibus Moses constitutus erat, rerum adjunctis:—4. tandem ex variis aliis rationum momentis.

173. Post ea omnia, quae superioribus disputationibus quoad Pentateuchi genuinitatem in medium inque lucem edita fuere, prorsus superfluum nonnullis videretur, ejus authentiam, sive auctoritatem veracitatemque philosophice demonstrare: quum, semel posito Moysen et non alium esse horum librorum auctorem, nonnisi absurde imo impie ejus character tum scientificus tum moralis in dubium atque in discrimen vocari adducique possit. At non defuerunt post Voltaire, suosque asseclas, qui ausu temerario, imo impio Mosis libros in falsi suspicionem vocarunt, imo hac nostra tempestate Colenso totus in eo est, ut ad omnem fere paginam hanc impiam doctrinam inculcet, proque virili tueatur: hinc necessitati nostri aevi consulturi ad Pentateuchi authentiam asserendam gradum faciamus necesse est.

174. Ad majorem vero rerum dicendarum intelligentiam nihil ducimus antiquius esse oportere, quam illud formale discrimen, quod genuinitatem inter atque authentiam intercedit, quam brevissime declarare, declaratumque explicare: utraque enim notis constat toto coelo a se invicem distinctis. Ad genuinitatem enim alicujus

libri constabiliendam requiritur, pronti jam alibi [1] innuimus, primo ut liber vere illi conveniat, cujus nomen in fronte gerit: utque secundo ea aetate conscriptus sit, qua primum editus dicitur: ad authentiam vero requiritur primo ut liber ab eo sit conscriptus, qui plenam rerum narratarum cognitionem habuerit: secundo ut in illis enarrandis sinceritate et probitate ductus fuerit. Hinc nihil prohibet, quominus unus idemque liber vere sit, dicaturque genuinus, quin tamen pro authentico haberi possit: et authenticus, quin tamen sit genuinus. Pentateuchus vero non modo genuinus est, sed, quum Moysen tum charactere scientifico tum charactere morali praeditum fuisse ex dicendis constet, etiam pro scriptura authentica est habendus: quod quidem sequentibus ad fidem faciendam idoneis argumentis confirmabimus.

175. Et sane: quod Moyses charactere scientifico in Pentateucho conscribendo polleret, evincitur 1 ex eo quod non modo [2] Hebraei, verum etiam sacerdotes Aegyptii, uti testatur [3] Diodorus Siculus, imo quod capitalius, et ipsi [4] deistae Pentateucho, Hebraeorumque legislationi infensissimi ultro fatentur, Moysen omni sapientia a pueritia fuisse imbutum, omnibusque ingenii atque animi dotibus a natura fuisse instructum. Nec immerito: lex enim religiosa ac politica ab ipso lata, quae summopere illis, in quibus versabantur Hebraei, rebus, temporibus, ac locis accommodata, satis superque ejus sapientiam prodit, retegitque. Insuperque excellentiam ejus doctrinae do-

(1) Conf. lib. iii. hujus oper. n. 137.
(2) Actor. cap. vii. v. 22. Joseph. Flav. et Phil. alib. cit.
[3] Apud Just. Mart. alib. cit.
[4] Conf. Curs. Thel. compl. edit. Migne vol. 2. pag. 773,

gmaticae ac moralis nullus philosophorum antiquorum attigit, nemoque, ut cetera omittam, tam mirabiliter essentiam Dei expressit, quam Moyses sola voce יהוה. Nonnisi igitur perridicule scientificus Moseos character in Pentateucho conscribendo in discrimen vocari potest.

Id ipsum evincitur 2 ex eo quod Moyses non modo divinam habuit missionem ad populum ex Aegypto educendum, illique legem ferendam, verum etiam ad nonnulla conscribenda, quae in Pentateucho occurrunt narrata. Sic post caedem Amalec: "[5] Dixit Dominus ad Moysen: scribe hoc ob monumentum in libro, et trade auribus Josue: " itemque post varia praecepta in monte Sinai lata: "[6] Dixit Dominus ad Moysen: scribe tibi verba haec, quibus et tecum et cum Israel pepigi foedus : " tandem Moysi praedicens imminentem ejus mortem, et scelestas populi post deos alienos fornicationes: "[7] Dixit Dominus ad Moysen . . . . scribite vobis canticum istud, et docete filios Israel : ut memoriter teneant, et ore decantent, et sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israel. " Jam vero Moyses, hac divina missione accepta, ad hoc munus sibi demandatum recte obeundum dubio procul omnem industriam adhibuit, omnemque ingenii aciem acuit, ut certam atque exploratam sibi hisce de rebus notitiam compararet.

Id ipsum ulterius evincitur 3 ex eo quod non modo res, quae anteriores aut coaevae fuerunt, nobis Moyses narravit, verum etiam plura adhuc futura praenuntiavit suo tempore eventu confirmata. Sic, etiam nonnullis

---

[5] Exod. cap. xvii. v. 14.
(6) Exod. cap. xxxiv. v. 37.
(7) Deut. cap. xxxi. v. 19-22.

[8] ex his omissis, pro vera prophetia habenda est illa, quam edidit Moyses quando Israelitae, decem exploratorum relatione territi, divinis noluerunt parere mandatis, ac proinde fore [9] praedixit ut nemo eorum, qui Dei mirabilia in Aegypto et in Sina viderant, excepto Caleb filio Jephone, et Josue filio Nun, terram Chanaan ingrederetur. Cujus prophetiae adimpletionem habemus post initam ultimo peregrinationis anno populi recensionem: legitur enim: " [10] Hic est numerus filiorum Israel, qui descripti sunt a Moyse et Eleazaro sacerdote in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho: inter quos nullus fuit eorum qui numerati sunt a Moyse et Aaron in deserto Sinai . . . Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb filius Iephone et Josue filius Nun." Neque dicas hoc humana sagacitate Moysen praescivisse: nam primo qua arte praescire potuit Moyses ex tot hominum millibus duos solummodo fore superstites Josuam et Calebum? Cur hos potius permansuros quam alios conjectaret, nulla profecto ratio fuit. Non erant ceteris juniores, nam aetate vincebant plura Judaeorum millia. Non minora adibant pericula, erant semper isti duo in fronte aciei. Habebant forsan corporis habitum valentiorem, sed qui id potuit habere Moyses exploratum? Insuperque est prorsus incredibile in sexcentis hominum millibus duos tantum viribus pollentes fuisse. Moysen igitur veram prophetiam heic edidisse dicamus oportet. Sed adhuc et aliam maxime insignem Moseos prophetiam habemus, in qua Judaeis legem observantibus semper prae-

(8) Numer. cap. xxv. v. 10. xx. v. 12. et Deut. cap. xviii. v. 15.
(9) Num. cap. xiv. v. 28-34.
(10) Numer. cap. xxvi. v. 65.

sentem adfuturam divinam opem spopondit; contemnentes vero afflictos et oppressos fore praedixit. Inter innumera [11] Pentateuchi loca, in quibus has promissiones et comminationes legimus, illum unum seligimus, quo haec mala Hebraeis divinam iram lacessentibus praenuntiantur: " [12] Adducet Dominus gentem de longinquo, et de extremis terrae finibus in similitudinem aquilae volantis cum impetu, cujus linguam intelligere non possis: gentem procacissimam, quae non deferat seni, nec misereatur parvuli . . . donec te disperdat, et conterat in cunctis urbibus tuis, et destruantur muri tui firmi, atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua . . . quam dabit Dominus Deus tuus: et comedes fructum uteri tui, et filiarum tuarum . . . in angustia, et vastitate, qua opprimet te hostis tuus." Iam vero hoc vaticinium, antequam Israelitae munitas urbes tenerent, praenunciatum non modo completum fuit obsidione [13] Samariae, et oppugnatione urbis Hierusalem sub Nabuchodonosor [14] peracta, verum adhuc terribilius quoad ejus minimas circumstantias sub Tito, qua in obsidione quaedam mulier, uti narrat [15] Iosephus, assatum filium comedere adstricta fuit. Hinc liquido patet etiam futurorum scientia Moysen a Deo fuisse donatum; ac proinde potiori jure contendimus eum tum praeteritorum tum praesentium notitiam habuisse.

Id ipsum tandem evincitur 4, ex eo quod nec tanta

(11) Lev. cap. xxvi. v. 3, et Deut. cap. xxxviii. v. 1.
(12) Deut. cap. xxviii. v. 49-53.
[13] 4 Reg. cap. v. v. 28-29.
[14] 4 Reg. cap. xxv. v. 1-22.
[15] Josep. Flav. de bello lib. vi et vii.

sapientia, quanta illi adtribuitur, opus erat Moysi ad ea conscribenda, quae in Pentateucho narrantur. Nam ipse vidit, imo magna pars ipse fuit, eorum quae quatuor posterioribus Pentateuchi libris occurrunt: nihil enim aliud isti libri continent, nisi sermones Dei ad ipsum factos, descriptionem mansionum in deserto, bella cum vicinis populis, denique breviarium legis in Deuteronomio. Quae tamen omnia ab ipso Moyse descripta fuisse intelligimus ex ipso Pentateucho. Nam omnes sermones Domini, quae in [16] Exodo occurrunt, ab ipso Moyse conscriptae fuerunt: legitur enim: "[17] Scripsit autem Moyses universos sermones Domini:" et ibidem: "[18] Assumensque volumen foederis legit, audiente populo, qui dixerunt: omnia quae locutus est Dominus faciemus." Ab ipso Moyse etiam mansiones populi in deserto descriptae dicuntur: "[19] Hae sunt mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de Aegypto per turmas suas in manu Moysi et Aaron, quas descripsit Moyses juxta castrorum loca, quae Domini jussione mutabant." Pariterque haec habemus post bellum contra Amalec gestum: "[20] Dixit Dominus ad Moysen: scribe hoc in libro, et trade auribus Iosue." Denique totius legis breviarium, quale est Deuteronomium, Moysen etiam scripsit: legitur enim: "[21] Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi." Iam vero ad ea testanda,

(16) Exod, cap. xx-xxiii.
(17) Exod. cap. xxiv. v, 4.
(18) Exod. cap. cit. v. 7.
(19) Numer. cap. xxxiii. v. 1-2.
(20) Exod. cap: xvii. v. 14.
(21) Deut. cap, xxxi. v. 9.

quae videntur, et audiuntur haud ingens doctrinae supellex requiritur, sed sufficit expeditum sensuum exercitium: ubi igitur mediocri, imo nulla doctrina Moyses praeditus, non ideo accuratis rerum notitiis, quas in suis quatuor posterioribus libris narravit, prorsus impar dicendus, ni dicere velimus, eum etiam expedito sensuum usu caruisse: quod nemo umquam somniavit. Id ipsum de iis, quae in Genesi narrantur, dicere possumus. Nam, etiam deficiente illi divina illustratione, divinaque disciplina, Moyses earum rerum notitiam sibi comparare poterat tum ex orali traditione quasi per manus ab Adam, ministerio Mathusalem, Sem, Isaac, Levi et Amram accepta, tum ex antiquis monumentis ejus aetate existentibus haurire poterat. Nullo pacto igitur de scientifico Moseos charactere dubitare possumus.

176. Quod vero Moyses praeter charaterem scientificum et charactere morali praeditus fuit evincitur 1°. ex qualitate doctrinae, quam tradidit. Haec enim non modo a quavis mendacii specie abhorret, verum tenerrimam in Deum pietatem spirat, summumque virtutis studium. Opus enim suum exorsus est Moyses a divinae sapientiae, bonitatis et potentiae laudatione, quas in creationis descriptione tam magnifice expressit, ut omnium semper habuerit admirationem. Totius constitutionis Iudaicae legem primariam et fundamentalem hanc esse voluit: "[22] Audi, Israel, Dominus noster Dominus unus est: [23] Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima, et ex tota fortitudine tua:" tandem

[22] Deut. cap. vi. v. 4.
[23] Deut. cap. vi. v. 5.

" [24] Diliges amicum tuum sicut teipsum: " ita ut omnia Hebraicae legislationis praecepta, sive moralia, sive caeremonialia, sive tandem judicialia illa sint, ab hisce fundamentalibus praeceptis, et ipso [25] Jesu testante, dependere videantur, et re actuque dependeant. Imo ad omnem fere paginam nil aliud spirat quam summum virtutis studium, nihilque aliud inculcat, quam constans omnium virtutum exercitium. Huc enim revocantur illae omnes leges, quas pro extirpandis vitiis sanxit, illae patheticae ad populum orationes, quibus ad patientiam, ad fiduciam, ad submissum Dei voluntati animum, ad timorem Dei, omnesque alias virtutes excitabat. Moyse quidem digna sunt, quae leguntur : " [26] Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo et in tota anima tua. . . [27] Non est Deus noster, ut dii eorum, et inimici nostri sunt judices . . . [28] Beatus es tu, Israel, quis similis tui, popule, qui salvaris in Domino? Scutum auxilii tui et gladius gloriae tuae: negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis . . . [29] Perfectus eris et absque macula cum Domino Deo tuo." Atqui haec omnia talia sunt, quae hominem evehunt ad omnem justitiam, et sanctitatem, quaeque auctorem omnium virtutum genere cumulatum produnt atque proclamant.

---

[24] Lev. cap. xix. v. 18.
[25] Math. cap. xxii. v 40.
[26] Deut. cap. x. v. 12.
[27] Deut. cap. xxxii. v. 31.
[28] Deut. cap. xxxiii. v. 29.
[29] Deut. cap. xviii. v. 13.

Praeterea moralis Moseos character evincitur 2, ex modo, quo suam doctrinam proposuit. Est enim omnino simplex ex una parte, et semper sibi constans, sibique cohaerens ex altera: qualis profecto esse debet eorum stylus, qui solo amore et veritatis studio impelluntur. Res enim in Pentateucho narrantur maxime sublimes, ac praeclara gentis Hebraeorum facinora referuntur, simplici vero dicendi modo, neglectoque, ut plurimum, stylo. Nullam enim in hisce omnibus enarrandis Moyses affectat eruditionem, ut sibi conciliet auditorum plausum, perraro, inspecto orientalium more, suos conceptus ornat imaginibus ex penu oratoriae desumptis, suasque ideas vestit figuratis dicendi modis, et a communi loquendi usu alienis: summa ubique fulget simplicitas, brevitas, sinceritas. Praeterea iste modus est semper sibi constans, sibique cohaerens, seseque exhibet ab omni adulationis umbra alienum. Moyses enim tum in aula [30] Pharaonis, tum in deserto coram populi principibus, magnatibus, ceterisque popularibus Deum metuendum constanter [31] docuit. Imo quod capitalius, tum Pharaonis [32] perfidiam, tum populi Aaronisque fratris ingratitudinem quam durissime [33] exprobravit. Ut Dei jussa compleret tum Pharaonis [34] minas, tum concitati populi rebelliones despectui imo nihili [35] habuit. Uno verbo in Dei gloria zelanda semper Moyses sibi constans,

(30) Exod. cap. ix. v. 30.
(31) Deut. cap. vi. v. 13.
(32) Exod. cap. vii. v. 16. et ix. v. 30.
(33) Exod. cap. xxxi. v. 22.
(34) Exod. cap. x. v. 28.
(35) Exod. cap. xiv. v. 11. cap. xvi: v: 2: cap: xvii; v: 2: et alibi

sibique cohaerens fuit: ac proinde omnem impostoris umbram speciemque a se removet.

Ipse moralis Moseos character ulterius evincitur 3 ex motivo, quo ad suam doctrinam proponendam ductus fuit. Hoc enim pacto nobis suspectus esse posset Moyses, si propriae gloriae captandae, commodis et divitiis acquirendis hisce in rerum adjunctis impensius studeret. At nihil hujusmodi contra Moysen urgeri potest: nam et ipsis suis privatis commoditatibus publicas totiusque gentis utilitates praeposuit, ac plurimis malis tuto pede occurrit. Omnes enim filiae Pharaonis divitias sprevit, populi liberationem nonnisi cogente Deo suscepit, in tota sua vita nihil nisi molestias pertulit et aerumnas. Imo, quum Deus rebellem populum illius fidei commissum exterminandum dixisset, semetipsum Moysen victimam pro ejus salute obtulit, Deumque ita deprecatus. "[36] Dimitte illis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti." Neque vel levissimum ab hoc populo emolumentum illi expectandum erat: nam adeo erat rebellis duraeque cervicis, ac ad idololatriam pronus, ut tertio adhuc ab exitu ex Aegypto die contra eum insurrexerit, qui dixit: "[37] Quid faciam populo huic? Adhuc paullulum et lapidabit me." Ipse tandem omni avaritia superiorem sese gessit: nam fratre Aarone, prouti a Deo jussus, constituto Pontifice, summoque Sacerdotio in aeternam haereditatem Aaronis filiis dato, Josue alterius tribus virum ducem populi constituit, propriis filiis in Levitarum plebem redactis. Tot

---

(36) Exod. cap. xxxii: v. 32:
(37) Exod. cap xvii: v. 4:

tandem tantisque exantlatis laboribus moritur pauper, ita ut haec in veritate dicere potuerit: "[38] Tu scis, quod ne asellum quidem unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quemquam illorum." At quum haec sint in caussa, ecquis vel tenuiter de Moseos probitate, ac proinde de ejus morali charactere dubitare possit? Quum igitur Pentateuchi scriptorem tum charactere scientifico, tum morali praeditum fuisse viderimus, optimo jure concludimus non modo genuinum verum etiam authenticum ab omnibus Pentateuchum habendum esse.

177. Jam vero Pentateuchi authentia ulterius evincitur ex eo quod Moyses ne decipere quidem Judaeos potuisset, etiamsi voluisset. Non potuisset eos decipere in factis, historiisque in libro Geneseos narratis: nam Judaei aeque ac Moyses ex documentis antiquis, ex tabulis genealogicis, vel ex orali traditione, aliisque id genus cognoscere poterant. Non potuisset eos decipere in historiis in quatuor posterioribus libris relatis, nam Judaei ea omnia viderant et audierant, aut e suis parentibus intellexerant. Nisi ergo dicere velimus, Moysen Israelitis [39] persuasisse, se scire quae nesciebant, se vidisse aut audivisse, quae nec viderant nec audierant, se v. gr. mare rubrum siccis pedibus [40] trajecisse, se quadraginta annis cibo divinitus elaborato nutritos [41] fuisse, aliaque sexcenta, dum Hebraei nihil de his scirent, fatendum est Moysen, quum nullo modo Judaeos decipere posset, ea omnia quae in Pentateucho narravit, ad veritatis

(38) Numer. cap. xvi. v. 15.

(39) Deut. cap. i. v. 14. et alib. passim.

(40) Exod. cap. xiv. v. 31.

(41) Exod. cap. xvi. v. 35.

normam exegisse, ac proinde ejus libros non modo genuinos, verum etiam authenticos esse.

178. Haec eadem Pentateuchi authentia evincitur tandem ex eo quod omnia monumenta publica ab origine Hebraeorum Reipublicae summam harmoniam, summumque concentum praeferunt cum iis, quae Pentateucho consignata sunt. Sic, ut nonnulla, quae alibi [42] protulimus, commemoremus, tabulae legis in arca servatae fuerunt usque ad captivitatem Babylonicam, at hoc monumentum veritatem Mosaicae narrationis, qua de rebus ad montem Sinai gestis [43] edocemur, confirmabat. Pariterque mensura mannae, virga Aaronis induta foliis ad latus arcae repositae, nec non laminae aureae altari affixae, veritatem Mosaicae historiae produnt, ubi legimus populum Israeliticum per quadraginta annos hoc cibo [44] alitum fuisse, et Summum Sacerdotium miraculose Aaroni ejusque posteris [45] confirmatum, rebellionemque inde Levitarum cum Core, Dathan et Abiron [46] ortam fuisse. Serpens tandem aeneus, qui ad Ezechiae usque tempora [47] servatus est, aliam partem [48] historiae Pentateuchi confirmabat. Jam vero, ni luce meridiana caecutire velimus, Pentateuchi authentiam veneremur oportet.

179. Hinc non temere sed summa evidentia coacti fuere, quotquot sive Hebraei, sive Christiani, sive Ethnici

(42) Conf. lib. iii. hujus oper. cap. i. n. 138.
(43) Exod. cap. xxxiv. v. 29.
(44) Exod. cap. xvi. v. 15-35.
(45) Lev. cap. xvii. v. 8.
(46) Lev. cap. xvi. v. 2-35.
(47) 4 Reg. cap. xviii. v. 4.
(48) Numer. cap. xxi. v. 6-8.

Scriptores Pentateuchi genuinitatem, atque authentiam ad coelos usque evexerunt. Sic, ne ea, quae alibi protulimus, inaniter repetamus, optimo jure Clemens Alexandrinus omnium Patrum nomine, postquam Judaicae gentis vices in Aegypto et in deserto narravit, se haec omnia "[49] ex scriptura fide digna" hausisse testatus est.

180. Antequam vero hanc nostram elucubrationem absolvamus, in qua, adjuvante Deo, prouti nobis initio proposuimus, tum Adversarii principia, tum argumenta, tum demum conclusiones, quas contra Pentateuchi genuinitatem, atque authentiam in lucem, inque medium edidit, prorsus falsa, prorsus impia, ne dicam anilia, esse ostendimus, abs re non esse ducimus omnes Pentateuchi osores sequentibus Augustini verbis urgere: "[50] Quid adhuc potest dicere impudentissima pertinacia? ... Falsum esse scriptum? Quid hoc sacrilegio magis impium reperiri potest? Quid ista voce impudentius? Quid audacius? Quid sceleratius? Simulacrorum cultores . . . numquam hoc adversus Scripturas illas ausi sunt dicere. Consequetur namque omnium litterarum summa perversio, et omnium, qui memoriae mandati sunt, librorum abolitio, si quod tanta populorum religione roboratum est, tanta hominum et temporum confessione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, ut ne historiae quidem vulgaris fidem possit gravitatemque obtinere."

---

(49) Clemens. Alex. lib. i. Stromat.
(50) August. de mor. eccles. lib. i. cap. xxix n. 60.

FINIS.

SYNOPSIS OPERIS.

LIBER SECUNDUS.

De Adversarii exceptionibus atque argumentis contra Pentateuchi genuinitatem atque authentiam prolatis.